PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI NVCERINI

Elogia
Virorum bellica virtute illuſtrium,

Septem libris iam olim ab Authore comprehenſa,

Et nunc ex eiuſdem MVSAEO ad viuum expreſſis Imaginibus exornata.

PETRI
PERNAE TYPOGRAPHI
BASIL.
OPERA AC STVDIO
CIↃ IↃ XCVI.

PAVLI IOVII
NOVOCOMENSIS
EPISCOPI NVCERINI
IN
ELOGIA VIRORVM BELLICA VIRTVTE ILLVSTRIVM,
Præfatiò
AD COSMVM MEDICEM Florent. Ducem.

VETERES Philoſophi, qui ex Zenonis Stoici diſciplina & porticu prodierunt, magnanime COSME, tanquam contenti nuda illa horridaque virtute, ideòque ea ſententia felices; vel ob id agreſtiores cæteris durioresque habiti ſunt, quòd de contemnenda gloria aſſiduè diſputarent, & libros accuratè conſcriberent; tametſi eam non inſulſa diſſimulatione, dum libris nomen ſuum apponunt, obliquo veluti viæ compendio conſequi niterentur. Huius ego ſeueræ atque adeò pertinacis ſectæ ingenia, vti parum explicata, triſtique duritie aliena à communi hominum ſocietate, minimè probauerim. Quid enim aliud eſt, quàm hac exitiali perſuaſione, homines ad egregia corporis & animi agenda facinora, promerendamque laudem natos, proprio innatæ virtutis honeſtique laboris fructu ſpoliare? Quando hac ſtultiſſima (vti reor) cenſoria lege, id vnum præclarè contenditur, vt gloriam ex benefactis optimè ſperatam, & extra præſentis vitæ inuidiam poſt fata cumulatè obuenientem, funditùs euertamus. Non mirum itaque ſi his multò ſapientiores fuiſſe arbitramur eos, qui beatam vitam glorioſis ac illuſtribus factis ad perennem nominis laudem, non in arida ſterilique virtutis imagine, ſed in nobilium operum æmulatione poſuerunt. Verùm in toto humanarum actionum curſu facilè euenit, vt quum omnes eandem gloriam appetere videantur, non vno tamen atque eodem itinere ad eam conſequendam contendant. Eò enim quiſque vel temerè fertur, quò naturæ genius facilè ducit, aut impotenter trahit; niſi præcellenti educatione, & multis exactæ diſciplinæ præceptis, quæſiti confirmatique mores, variis animi morbis & perturbationibus medeantur. Id autem liquidò perſpici deprehendique poteſt ex his bellicoſis, vt ita dicam, Heroibus, qui ad veram effigiem inſigni pictura expreſſi in

Muſæo noſtro ſpectantur. Horum enim vitas per elogia ipſis ſuppoſita tabulis, Laconica breuitate conſcriptas, tibi vni, Italicæ dignitatis exiſtimationem vera virtute tuenti, ſtudioſe dicauimus, vt tot diuerſorum ingeniorum, humanæque varietatis exempla, magno tuo ſeculique noſtri commodo inter ſeſe conferantur. Scio enim quàm graui conſtantique iudicio, dum literis boniſque artibus impenſe faues, & pietatem in primis atque iuſtitiam colis, ad verum non ſimulatæ, ſed illuſtris famæ decus anheles; & quo incorrupti animi decreto ſcelera odiſſe vindicareque ſoleas. Ad famoſos autem quoſdam, admirandis rebus geſtis, ſed condigno deteſtabilis vitæ exitu damnatos, idcircò deſcendimus, vt præclara virtus, adumbratæ laudis collatione certiùs atque viuidiùs exprimatur. Erit enim hoc vtriuſque famæ monumentum his omnibus ſingulari documento, qui tecum rectiſſimo itinere ad perennem laudem aſpirant; ſi vituperanda repudiare, ſectariq; laudanda, nobili ſalubriq; æmulatione, in hac vita maximè decorum atque honeſtiſſimum eſſe putauerint. Vale.

Romæ.


PAVLI

FRANCISCO MEDICI
MAGNO HETRVRIAE
DVCI
HEROICARVM NON MINVS
VIRTVTVM
QVAM DIGNIT. FORTVNÆQ.
PATERNÆ
HÆREDI ET SVCCESSORI
OPT. EXOPTATISSIMOQ.
IOVIANVM HOCCE
MVSAEVM
COSMO PRINCIPI VERE'
MAGNO
A' SVMMO ÆTAT. NOSTRÆ
HISTORICO
IAM OLIM DEDICATVM;
CONSECRATVMQ.
NVNC VERO VIVIS ILLVSTR.
VV. IMAGINIB.
MAGNO STVDIO, PARI ARTE
NEC MINORE
SVMPTV
INSTRVCTVM, AVCTVM, ET
EXORNATVM,
P. PERNA CIVIS ET TYPOGR.
BASIL.
DEVOTO ANIMO
DD.

PAVLI IOVII
EFFIGIES.



Cedite facundi, Muſarum gloria, vates,
Oratorq́ tuo flumine conſtiteris,
Qui geſta Heroum maiori dixerit aſtu,
Non IOVIO *vixit ſub gemino axe prior.*
T. M.



PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS
EPISCOPI NVCERINI
HISTORIARVM SCRIPTORIS
CELEBERRIMI HIC DEPOSITA
SVNT OSSA, DONEC EXIMIA EIVS
VIRTVTE DIGNVM ERIGATVR
SEPVLCHRVM.
VIXIT ANN. LXXVIIII. MENS. VII.
D. XXII. OB. III. ID. DECEMBR.
M. D. LII.
HIC SITVS EST IOVIVS
ROMANÆ GLORIA LINGVÆ,
PAR CVI NON SCRIPTO NON
PATAVINVS ERAT.

HONORATI FASITELLII.

Magnanimi Heroes ſaluete, haud paruà ſupremi
Cura Iouis; docti maxima curà Ioui.
Vos tulit in cœli ſublimes Iuppiter arcem,
Dignatus menſa concilióq; Deûm;
Vos Iouius totum latè volitare per orbem,
Romanaq́; iubet viuere in hiſtoria.
Munera magna Iouis: verùm, ſi dicere fas eſt,
Non ſunt æterni dona minora Ioui.

Romulus.



PRAESTANTISSIMO hercle (ſi præfari licet) incomparabiliq́ue merito, & lætis quidem auſpiciis ROMVLI Quirini Romani Regis effigies, ante omnes ſpectanda proponitur. Nulla enim cuiuſquam mortalis vel ſtupendæ originis euentu miraculoque, & ſancta priſcæ ætatis antiquitate nobilior, vel immortalium operum vera æſtimatione præſtantior, vel demum tanti oris atque habitus dignitate auguſtior in Vrbe extat: vt ex marmorea ſtatua, quæ iuxta Laurentianam Damaſi ædem, in fronte Gallorum ciuium domus poſita eſt, collato veteri numiſmate, ab eruditis prȩclarè deprehenditur. Itaque fas eſſe putamus æternæ Vrbis conditorem venerari, Deo (vti ferebant) Marte genitum, ac ideò authorem diſciplinȩ militaris, qua Romana res in immenſum creuit, vt fatalis nec defuturi vnquam Imperij fundamenta iacerentur. Hinc enim vel inuita reluctanteque ſæpius fortuna, tanquàm ab auguſta, almaque Vrbe, certiſſimo domicilio, liberaque gentium omnium patria, à ſubacto quondam inuictis armis terrarum orbe, cùm Cæſarei Imperij legitima iura inſigniaq́ue, tum veræ religionis ſacra petuntur. Verè enim Romanum eſt dare leges: atque item Regna ad non dubium ſempiternumq́ue ſacroſanctæ dignitatis ſpecimen, teſtata virtute merentibus elargiri. Sed Romulus inſtitutis equitum decuriis, lectoque ex Patribus Senatu, & diſtincta per Tribus ciuitate, quum vrbanas recenſeret copias, oborta repentè ſereno cælo turbida tempeſtate, vti Deo fatum decebat, in cælum remeans, inter mortales eſſe deſiit. Nihil enim ei poſt deuictos hoſtes, actosq; triumphos, & templa Ioui Feretrio, Statoriq;

votis nuncupatis in Capitolio ritè dedicata, maius vel admirabilius peragendum ſupererat, quàm vt ſe ciuibus nequaquam mortalem fuiſſe oſtenderet. Quum regnaſſet annos xxxvij.

IANI VITALIS Panhormitani.

Fortiſſimorum Principem Quiritium,
Vrbiſq; glorioſa,& orbis arbitra
Qua ſtrauit omnes nationes barbaras
Quas Phœbus vndequaque luſtrat, aſpice,
Genus Deorum, conditorem Romulum.
Tantum vnus omnes vicit ille Principes
Virtute mentis,corporiſq; robore,
Quantum triumphis,prælijſq; fortibus.
Ne quære buſtum bellicoſi Numinis
Romane, ſedes namque viuo contigit
Cælum, micat ſtellis vbi felicibus
Receptus inter cælites lectiſſimos,
Vti decebat Principem Quiritium.

AVGVSTI COCCEIANI Brixenſis.

Heroes,animæ illuſtres,atq; inclyta Martis
Inſanientis pignora,
Aeternis properat Iouius,quæ tradere chartis,
Vt clara viuant poſteris:
Aequo ferte animo ſi primos carpſit honores,
Sedeſq; primas Romulus:
Qui genus athereo ducens è ſanguine,terris
Semen deorum ſparſerit:
Terrarum latè dominam conſtruxerit Vrbem
Superbi ad vndas Tybridis:
Regnatorem orbis Populum formauerit armis,
Almæq; pacis artibus:
Cumq; omnes hominũ meritis ſuperaſſet honores,
Migrâris in cælum Deus.

Numa Pompilius.



ROMVLO

ROMVLO ad Capræ paludem deſideraro conſecratoque, Numa Pompillus ſucceſſit. Hunc religioſæ grauitatis atque iuſtitiæ fama inclytum, diſſidentes inter ſe Romani Patres, è Curibus Sabinis acciuerant, apud quos tetricæ atque incorruptæ probitatis diſciplina vigebat. Tum enim orbatis Rege Duceque, cuius imperio per tot annos aſſueuiſſent, abſurdum erat nondum intellectę libertatis nomen: nec ex toto Senatu reperiebatur, qui alteri tanquam æquali, potiùs quàm ſibi, ſuperba obtrectatione Regium decus concederet. Itaque pudendo conſilio, ſed ab euentu demum felici, pro ciue vix externus, auditusque tantùm, Rex eſt effectus. Is ingenti prudentia pacatis vndique finitimis, quos inuicta Romuli virtus contuderat, populi ad arma nati ferociam inuecta religione mitigauit, condito ſcilicet ad Argilletum & mox clauſo Iani templo, vt militares animi non ſine numine ad colendæ pacis ſtudia flecterentur. Hæc verò inſtitui monitu atque oraculo credi volebat Deæ Aegeriæ, quæ ab eo nocturnis maximè congreſſibus in nemoroſa & perenni fonte irrigua, valle colebatur. Inde enim ſacerdotia Diis, & ſingulos Ioui, Marti, & Quirino Flamines inſtituit. Deæ Veſtæ ſacroſanctas Virgines legit: annoque ex lunaris curſus ratione in duodecim menſes digeſto, quinam faſti, aut nefaſti dies forent, populo edixit. Quibus accumulatis ſacrorum ceremoniis, efferi & rudis populi mentes, vſque adeò imbutæ captæque ſunt, vt facilè iuſtitiam, fidem, temperantiam colere diſcerent, nec iam validius qui peccarent, Magiſtratuum pœna, quàm Deorum metu terrerentur. At Numa quum quadraginta tribus annis imperaſſet, exactæ ætatis ſenex fato cedens, Vrbem belli gloria ſuperbam, quod deerat ſanctiſſimis temperatam legibus, atque optima pace florentem reliquit. Eius effigiem marmoream diademate inſignem, quam in Vrbe non vno in loco videmus, nummi ærei cum literis, atque eadem imagine, veriſſimam eſſe oſtendunt.

ANTONII FRANCISCI RAINERII Mediolanenſis.

Viderat armato Tybris ſub Rege, Quirites	*Sacraq́ ſub ſancto ſurgere Pompilio:*
Iura dare edomitis Martia finitimis:	*Cum lætus, reſono hæc effudit flumine, Noſtra ò*
Viderat & ſuperis Populum pia thura ferentem,	*Quàm bene Roma colit, quã bene bella gerit.*

Artoxerxes.

HÆC mitrati Regis effigies ſuperbo oris ductu, prolixaque barba, & naſo in aduncum prominente, Magni Artoxerxis fuiſſe conücitur. Hanc ex antiquiſſimo numiſmate argenteo Rodulphus Pius Carpenſis Cardinalis omnis priſcæ elegantiæ ſtudioſus, eruditioribus Romanæ Academiæ interpretandam oſtendit. Omnes itaque non ambiguis coniecturis in id conſentiunt. Nam Perſarum Reges Magorum ſacris initiati, ceremoniarumq; principes eſſe conſtat: ideoque eos vti thiara excelſa, exornataque gemmis & pluuiali chlamide, cultu non abſimili ab eo, quo Romani Pontifices in ſacris ſolennibus exornantur. Hunc autem à Perſis Hebræos accepiſſe crediderint, à quibus demum ad nos manarit. Sed literæ Græcæ, quæ in auerſa monetæ parte leguntur, nihil plus exprimunt, quàm Regi Regum Arſaci Benefico. Teſte enim Plutarcho Artoxerxi, qui Cyri minoris frater fuit, & Mnemon, id eſt, Memor vocatus eſt, ad differentiam ſuperioris Artoxerxis, qui Longimanus appellabatur, Arſaci cognomen fuit. Arridet etiam ad coniecturam Plutarchi problema, ex quo Perſarum Reges naſo adunco, tanquam è ſtirpe maioris Cyri fuiſſe colligitur. Nec obſtat quòd neque Artoxerxis, neque Perſarum inſcriptæ literæ quicquam referant, quoniam id præclarè demonſtrat imago Sagittarij in ſolio ſedentis, quę viſitur in auerſa parte numiſmatis: nam idem Plutarchus Perſarum Reges pecuniam auream ac argenteam cum nota Sagittarij ſignare ſolitos tradit, adiecto Ageſilai Regis lepidiſſimo ſcommate. Is enim in Aſia terra marique rebus contra Perſas feliciter geſtis, quum ſummæ victoriæ immineret, à Lacedæmoniorum Magiſtratu reuocatus, amico tuſ cunctanti, cur è limine ſperatæ ingentis victoriæ tam citò rediiſſet. Ita reſpondit: An tu miraris, qui militiæ peritus es, me recentiſſimorum triginta milium Sagittariorum impetum ſuſtinere nequiuiſſe? At ille, qui nihil auxiliorum è Perſide in Ioniam deſcendiſſe audierat, quum omnino intempeſtiui reditus cauſam improbaret, ſerò ſalſi dicterij acumen agnouit. Notabat enim hac infamia Ageſilaus, patricios ciues, quòd obtrectatione laudis ſuę à Tiſſapherne Perſa triginta milibus aureis ſagittarlis corrupti, ipſum ab Aſia reuocaſſent. Sed ne ineptus ſim, Artoxerxem deſcribendum minimè ſuſcipiam, quum is qualis quantusque fuerit, à Plutarcho ſcriptore luculentiſſimo memoriæ tradatur. Id vnum tamē, quod in Principe ſummæ virtutis locum implet, & ſi quæ ſint internaræ vitiorum labes egregiè contegit, & obſcurat, præſtantiſſimæ ſcilicet liberalitatis ſpecimen, inſigni præconio extulerim. In eo enim tanta in donando gratiſſimi animi magnitudo enituit, vt in referenda gratia pro agreſti ſæpe munuſculo, tenuiſſimique officij genere, non ingentia modò auri pondera, ſed vrbes & prouincias rependere.



IANI VITALIS.

Quem ſpectas chlamide ornatum Medaq́ tiara
Regem Artoxerxem, Pharetrata Perſidis inter
Præclaros belli proceres, paciſque Magiſtros,
Quos louius poſuit liquidi propè murmura Lari,
Hic vbi Muſarum erexit de nomine villam,
Aeternum famæ monumentum, auiq́ perennis:
Hic ille eſt, in quem natura exempla bonorum
Congeſsit, Regúmque malorum immania facta.
Huius magna fuit laus exegiſſe tyrannos
Et claros meritis Reges, & munera parua
Muneribus penſaſſe ingentibus, & ſimul vrbes
Sponte dediſſe ſua paſsim, nec clarius vnquam
Duxiſſe, inſigni quàm de virtute mereri.
Sol tamẽ hic proprias habuit quandoq́ tenebras,
Dum nimis indulget vetito inconſultus amori,
Abrogat & leges naturæ, ardensq́ duarum
Iungitur amplexu natarum: atq́ his ſuper addit
Infandam nati cædem: ſed ſplendida in illo
E tenebris vitiorum emerſit ad æthera virtus.

Alexander Magnus.

ALEXANDRVM Macedoniæ Regem, qui ſubacto Oriente Magni cognomen adeptus, imperium Indico Oceano & Riphæis niuibus terminauit, hoc honore ſpectatæ frontis, & roſei vultus decore prædicum fuiſſe conſtat, ex ipſa fide numiſma-
tam & ſtatuarum, Græcorumq; præſertim teſtimonio, qui formam eius religioſiſſimè deſcripſerunt. Tradunt enim (quod mirũ videri poſſit) eum nonnunquam ex ſerena atq; pulcherrima facie, in trucem atque terrificam mutari ſolitum, & tum maximè, quum in præliis iracundia incenſus, Martium vigorem igneis atque minacibus oculis euibraret. Is à

prima



prima ſtatim adoleſcentiæ, vti lectiſſimis moribus & literis ex Ariſtotelis Præceptoris diſciplina grauiter imbutum decebat, vſque adeò generoſi & laudis amore deflagrantis ingenij aciem intendit, vt æmulatione decoris, paterna gloria vehementer augeretur: Quaſi ille ſtratis vndique hoſtibus, & tot vrbibus manu captis, nihil iam ſibi maiora armis auſuro planè relinqueret, quo innata necdum ſpectata virtus eniteſcere poſſet. Sed Fortuna, vt plerunque accidit, ingentium animorũ præclara adiutrix, inuictas interempti patris copias excipienti, multò ampliora quàm tum cuperet regni & gloriæ ſpatia deſpondebat. Itaq; maxima tum virtutum concurſu inclytus ex Europa tranſgreſſus in Aſiam fatali ſuæ gloriæ deſtinatam, poſt innumerabiles præliorum victorias cunctis gentibus iugũ impoſuit, tanta felicitate, vt ad Scytharum Indorumq; ſolitudines, aras victoriæ teſtes conſecraret. Verùm qui ſupra mortales nominis famam extendiſſe cenſetur, Dijs proximus exiſtimari potuit, ſi ſe ipſum, qui cuncta deuicerat, demum viciſſet, nec pro certo numine haberi adorarique vaniſsimè concupiſſet. Mirificã enim excelſi animi indolem aſſentantes Perſæ nimia adulatione corruperant, quòd eis Alexander regibus ſeruire aſſuetis, mortali ſpecie formoſior & auguſtior appareret. Ipſe quoque reputatione fortunæ ſuæ, quæ nuſquam aduerſa cœptis atque auſibus intemperanter aſpiraſſet, ita gloriam ab admirandis operibus ſponte naſcentem inflato animo ſentire cœperat: vt iam planè ſe Philippo inuictiſsimo rege genitum puderet, cum graui Olympiadis contumelia, poſtquam confeſſo matris adulterio, ſe Hammone Ioue editum mentiretur. Ideoque exuta penitus humanitate, amicorũ præcipuos vanitatem ſuperbientis animi deteſtantes, temulenta crudelitate trucidaret. At Græci authores, quòd infinitæ gloriæ auido iuueni totus orbis ad iuſtum triumphum minimè ſufficeret: ita eum congeſtis laudibus ſupra mortales attollunt, vt cæteræ gentes illum ſe ipſo admirabiliorem extitiſſe arbitrentur, quòd nondum alteram fortunam expertus, dum bella ex

bellis ſereret, in medio vitæ curſu ceciderit: non immitti hercle fato, auertente eum à Romanis armis, quæ facto virtutis & diſciplinæ periculo, ſi in Italiam tranſiſſet, ſpoliare eum anteparta belli gloria, aut certè multum de fulgore tanti nominis detrahere potuiſſent.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Quid tua te Macedo iuuit latè aucta per orbem
Gloria, Hyperboreo quà riget aura gelu?
Quaq; pharetrata ſurgunt iuga Perſica, & quà
Ebibit Eoas decolor Indus aquas?
Victorem cùm te Populorum vicerit ira:
Noxiaq; vndanti pocula ſumpta mero,
Et tumidi faſtus, Diuûm queis poſcis honores,
Cogis & ingenuos flectere colla viros.
Hæc procerũ impulerunt fida olim pectora, Regi
Miſcere e ſæua toxica Theſſalia.
Fortunam venerere: noua ò qui ſceptra capeſsis
Nam Dea regna agili datq; adimitq; manu.

Pyrrhus Epirotarum Rex.



INTER admiranda Romanæ antiquitatis monumenta, Pyrrhi Epirotarum Regis marmorea ſtatua primam obtinet claritatem. Hæc humana ſtatura procerior, & tota quidem incolumis galeata thoracataq; ſtantis, & ſariſſæ innitentis geſtu, in Angeli Maximi honeſtiſſimi ciuis domo conſpicitur: non ſine admiratione ingentis eius viri vim, ore atq; oculis cum laude artificis ſpectantium ingeniis repræſentans. Nemo enim ei maximorum Ducum, aut robuſta atq; habili corporis forma exercitationeq;, aut indomito vigore militaris animi, aut eximiæ laudis, quæ armis peteretur, cupiditate comparari poteſt. Quum inter pugnaciſſimos

gnaciſſimos Imperatores propè vnicus, inter magnanimos verò Reges ad gloriam anhelantes omnium confeſſione præcelleret. Sed qui oblatum in acie hoſtem inuicta dextra ſternere, caſtrametandiq́;, & inſtruendæ aciei diſciplina cæteros duces anteire, ac inter omnes bello inclytos veri decoris famam extendere didicerat, vel perampla iam partæ, affectatæq́; gloriæ ſpatia terminare neſciit, vtpote qui bella ex bellis ducendo, prouocandoq́; ſæpe Fortunam, alias atq; alias ex victoriis, nuſquam confecto bello victorias ſectaretur: quòd volucri quodam igne ardentis animi concitatus, ad Alexandri Magni decus aſpiraret. Itaq; dum ab Epiro in Italiam, atq; inde in Siciliam, & rurſus è Sicilia in Græciam verteretur, vaga arma circumferenti Fortuna illuſit: vſq; adeò indigno tanti Herois exitu, vt cuius impetum & robur Romana arma vix ſuſtinuerint, Argiuæ mulieris manu deiecta in caput tegula perfregerit.

GABRIELIS FAERNI Cremonenſis.

Epirus mihi parua quidem, ſed Martia tellus,
Et patria, & Regnum, & generoſa bellica mentis
Materies fuit. Aeacides mihi ſanguinis author.
Et mea cognatum virtus expreſsit Achillem.
Ipſe ego praſcripto docui munimine valli
Metari caſtra, & tutos ad bella receptus.
Romula me pubes certamine fuſa cruento
Itala experta eſt ſub mœnibus Heracleæ.
Quo terrore truces animos atque aſpera corda
Fregiſſem Aeneadū, & ſtatuiſſem fœdera victis,
Ni pacem infamem, cæca ſententia diſcors
Diſſuaſiſſet, & ad litora atque arma vocaſſet.
Sic ego re infecta Italo de littore ceſsi,
Quo me ſors grauis, atque immitia fata trahebant,
Ad clarum nece noſtra Argos, vbi ſæua cientem
Prælia, ab excelſis vltrix me tegula tectis
(Indignum) dextra deiecta afflixit anilis.

Annibal.



NVLLIVS vnquam verè inclyti Imperatoris virtus quàm Pœni Annibalis clarior atque teſtatior fuit, quum admiratione ingentis animi, qui Romano nomini dirus hoſtis extiterat, honoris nomine ſtatuam meruerit: ſcilicet vt media in Vrbe ad funeſtum & execrabile monumentum, truculenti hoſtis imago ſpectaretur: graui quidem ac apprimè nobili decreto. Nam ſi Romani ſenatus iudicium æſtimare velimus, inexpiabili profectò inuidia Carthaginenſes ardebunt, qui ſummæ gloriæ Imperatorem ciuemque ſuum ab aduerſo pugnæ exitu ſolum vertere coëgerint, vt in hoſtium vrbem glorioſa quadam adoptione tranſiret. Quid enim ad diuturnam laudem populo Romano honeſtius vel luculentius eſſe potuit, quàm tanti hoſtis nomen, poſtquam ille toto terrarum orbe & exul, & profugus, epoto demum veneno, miſerè necem ſibi conſciuiſſet, erecto perenni ſimulacro, æternæ memoriæ conſecraſſe. Tantam enim vim eſſe præſtantiſſimæ virtutis intelligi volebant, vt extra inuidiam vel in hoſte celebranda cenſeretur. Nec vllo herclè certiore teſtimonio indomita Romana virtus niti potuit: niſi eum vbique vindicatis iniuriis, à ſe planè deuictum oſtenderet, qui paulò antè bellicoſiſſimarum gentium legiones ex Africa, Hiſpanis, Galliaque, ad Italiæ vaſtitatem trahens, tot partis ad Trebiam, Traſymenum, & Cannas victoriis, ſummum pauenti, ſed inuictæ Vrbi terrorem admouerat. Eius ex marmorea ſtatua integrum caput penes Fabritium Peregrinum Parmenſem vidimus, id cacuminato villoſoque pileo protectum erat, non abſimili ab eo, qui viſitur in argenteo numiſmate Iubæ Regis, quem purpurei coloris fuiſſe conſtat ex Hircianis Commentariis, quum Rex ille barbatus ſuperbo faſtu, vt ſolus duorum exercituum imperator videretur, Scipionem Magni Pompeij ſocerum interdicto vſu purpuræ, ad album veſtitum redegiſſet. Hac autem villoſi & purpurei integumenti turbinata forma, Sulthanis nuper in Aegypto Syriaq; regnantibus, Prætorianorum equitum capita ad certum pro galea munimentum, & ad terrificam ſpeciem ornabantur. Alteram quoque Annibalis imaginem ex vetuſtiſſimo ære Iſabella Gonzaga Herculis Cardinalis mater, nobilium antiquitatum ſumptuoſa cumulatrix, paulò antè Vrbis cladem nobis oſtendit. Et ſedebat in elephanto cubitalis magnitudinis, turbinato pileo, & orbitate oculi inſignis. Cui, vt ab exemplo ſcitè picto deprehenditur, plurimùm arridet id marmoreum dimidiatæ ſtatuæ caput, quod pro Annibale cum ſuperioris Africani imagine apud Meſſanam à Decurionibus religioſè cuſtoditur.

FAERNI.

Ferus ille, domina terror Vrbis & pauor,
Clariſſimorum peſtis & ſtrages Ducum,
Procella Italiæ vaſtitaſq; nominis
Delineatus hac tabella eſt Annibal,
Quem & ipſa quondam (ò teſtimoniū graue)
Statuarum honore Romula Vrbs impertijt.
Quantum ille meritus eſt apud Pœnos ſuos?
Qui in hoſtium vrbe, ipſo inquam in hoſtili foro,
Virtutis ergò, marmore effictus ſtetit.

Scipio Maior.

SCIPIO Maior, qui à deuicto Annibale, atque ſubacta Carthagine Africani cognomen tulit, hoc excelſo ore, & promiſſa cæſarie, coronaque inſuper ciuica, conſpicuus inceſſiſſe traditur, quum Proconſul in Hiſpanis debellatis Pœnorum Ducibus, ac Hiſpanis admiratione virtutis atque iuſtitiæ in eius fidem ſe dedentibus, patris patruique cædem vindicaſſet. Prælio ſiquidem ad Ticinum non ciuis modò, ſed quod incomparabile fuit, & Conſulis, & patris ſeruati decus meruerat: quod non multò pòſt noua atque inuſitata laude cumularet. Patricios enim in lugubri terrore Cannenſis cladis deſpondentes animos, & turpiſſimè de patria deſerenda cogitantes, vibrato ſuper eorum capita gladio, ita à fœdo conſilio ſeuerè deterruit, vt eo die ipſe vnus Vrbem præſentis animi magnitudine ſeruaſſe cenſeretur. Hac ſummæ virtutis indole florentem vſque adeò Populus ſuſpexit, vt arcano quodam religionis oſtento, ex Draconis fabula inter incunabula conſpecto, eum diuinæ ſtirpis eſſe putaret, quòd in Capitolio, cellaq; Iouis cum numine colloqui, atque inde oracula excipere crederetur. Nuſquam enim hac via vadenti ad gloriam, & triumphos cumulanti, Dij immortales defuerunt, poſtquam vir omnibus integræ probitatis numeris vel apud barbaras gentes admirandus, non ſine diuino numine cœleſtique auſpicio cuncta belli & pacis munia obiret. Verùm in eo maximè mirum fuit, inter tot eximia naturæ & fortunæ dona, quæ modum exceſſerant, quòd illud atrox & ſummæ virtuti ſemper infeſtum inuidiæ monſtrum, non modò non perculerit, ſed ſua inſuperabili gloria nitentem ſupra cæteros mortales, in immenſum extulerit. Quid enim ei vel ſpecioſius, vel glorioſius ad nominis æternitatem Dij immortales tribuere potuerunt, quàm vt im-

manis



manus inuidiæ domitor, de victore gentium omnium Romano populo triumpharet? Quum citatus ad dicendam cauſam peculatus, deſpectis eluſisq́; Petiliis, ab eorum infami atq; improbo tribunali recedens, vniuerſum populum in Capitolium ſecum abduxerit, quòd priuſquàm profano iudicio vacarent, Ioui Opt. Max. gratiæ ingentes gratis piisq́; animis agendæ cenſerentur, poſtquam eum eſſe diē faſtum ſolemnemq́; memoria repeteret, quo ipſo Annibalem dirum Romani populi hoſtem, in Africa & prælio, & bello deuiciſſet. Contriuit liuidos Tribunorum animos, ab hac generoſa voce obortus pudor, & populum repentè circumflexit, quando hic ab iniqui iudicii ſpectaculo, ad iuſtiſſimi triumphi pompam traheretur: illi verò fracto erectoq́; inſitæ malignitatis atq; ſæuitiæ ſucceſſū, deſerti ab omnibus & irriſi, neq; vocē impotenti Magiſtratus imperio dignam edere, neq; oculos contuſæ ferociæ indices attollere poſſent. Verùm Scipio optimi ciuis more, vt legibus parêre videretur, ad Linternum ſpontè ſeceſſit, ſatietate gloriæ vrbanarumq́; rerum contemptu adductus, quod fortaſſe pro cōſtanti credi par eſſet, niſi indignatus Magiſtratuum acerbitatem amarulento ore Linterni ſepulcro ſuo inſcribi iuſſiſſet. INGRATA PATRIA, NE OSSA QVIDEM MEA HABEBIS. Quo titulo id oppidum abolito Linterni vetere nomine, Patriam appellari hodie videmus. Sed exultanti per loca ſola Campani litoris, & rerum ab ſe geſtarum meritas laudes tranquillo animo ad felicitatem repetenti, inexpectatum ſupremæ gloriæ decus obuenit, quod omni alio vel de Syphace atq; Annibale triumphatis, grauiùs atq; nobiliùs, prædones humani generis hoſtes contulerunt. Quum enim improuiſo appulſis biremibus ad eius villam frequentes acceſſiſſent, & Scipionis familia repentino metu excita ad vim repellendam tuendumq́; aditum arma corriperet: ſe non veniſſe hoſtes proiectis armis profeſſi, id vnū poſtularunt, vt ſibi liceret Scipionem coram intueri, quem apud omnes gentes virtute & gloria celeberrimum, venerari adorareque

percuperent. Prodiit ergo interritus Scipio, & procumbentibus ad pedes humaniter ſatisfecit, ſic vt reputatione inſperati caſus, non ſine ciuium ſuorum inuidia erubeſceret, poſtquam extorris & penè exul ſeipſo triumpharote maior ac admirabilior in manibus Piratis, quàm ſeruatis ab ſe ciuibus extitiſſet. Mortuus eſt eodem anno, quo clariſſimi Græcorum & Pœnorum Duces Philopomenes & ipſe Annibal miſerabilem vitæ exitum tulerunt.

FAERNI.

Pœnorum clades, domitor Carthaginis altæ
Aſdrubalis magni victor, & Annibalis,
Depictum cuius veteri de marmore vultum
In claris Iouius fixit imaginibus:
Quàm te magnanime Heroum: tuaq; iſta verēda
Ora ſacramq; libens conſpicor effigiem,
Eminet in parua maieſtas quanta tabella
Quantum conſpicuus floret honos capitis.
Apparet læto grauitas coniuncta decori,
Et datur excelſi cernere ſenſum animi.
Conſpiciare diu, & vim ſpernere temporis aude
Diuini ſpecies imperioſa viri.

Athila.



HÆC facies inhumano luridoque pallore, ac efferi oris monſtroſo ductu, & torua oculorum nictatione terribilis, immanem Hunnorum Regis ATHILAE ſæuitiem ſpirat, ſicuti ex ære artificis manu, & ſcriptorum ſtylo expreſſam videmus. Hic ſiquidem ille eſt, funeſti ſeculi dira clades, vrbiumque & terrarum portentoſus euaſtator, qui ſuperbo atque terrifico nomine, Dei flagellum appellari voluit: ſcilicet vt totius truculentiæ ſuæ inuidiam, humanique generis odium, ab ſe in iratum Dei numen auerteret,

auerteret: quaſi non alio lictore opus foret, quàm ipſo Athila, qui acerbiùs lege agere, & virgas, ſecures, ignes, validiùs exercere poſſet, vt damnatæ tempeſtatis mortales extrema ſupplicia meriti grauiſſimè plecterētur. Is Manduci filius, Bleda germano fratre, qui ad Budam Pannoniæ regnum ſibi condiderat impiè trucidato, innumerabilem Hunnorum variarumque gentium colluuiem ſecum trahens per Noricum & Vindeliciam, Remorumque fines, in Galliam irrupit. Sed in Catalaunicis campis edito longè omnium cruentiſſimo prælio, ita Aëtij virtute repulſus eſt, vt in Pannoniam magna accepta clade redierit. Vnde demum poſt aliquot annos reparatis copiis, per Carnicas alpes in Italiam ſeſe vaſtabundus effunderet. Sed hæſit in limine aliquandiu, obſeſſa per duos annos Aquileia, atque eadem fame capta deletaque. Cæterùm ab eius nobiliſsimæ vrbis excidio, nihil mitigatą rabie deflexit in Euganeos & Venetos, Altino, Concordia, Opitergio, Taruiſio, Patauioque euaſtatis aut euerſis: quum vndique tot oppidorum atque vrbium incolæ, metu mortis, in proximas Hadriatici maris paludes confugere cogerentur. Verùm ab hac inuſitata & planè miſerabili incolarum calamitate, læto quodam maximeque felici auſpicio, admirandæ vrbis Venetæ primordia exorta ſunt, inſigni quidem magni numinis prouidentia, quum munitiſsimo inter paludes ſitu ſtupendæ eius vrbis fundamenta iacerentur. Quæ vna ferè omnium per mille annos inuicta, cæteris non obſcurè ſeruientibus, in Italia incorruptæ libertatis decus tuetur. Anhelabat Athila ſemper ſæuus & furens ad Alarici prædonis famam, qui ante quadraginta annos Romam orbis dominam ſummique imperij caput immaniter deformarat, eoque iam cum tota mole barbararum gentium cruoris & prædę auidus ferebatur, immaniq́; voto potitus foret, niſi Martianus Cæſar viribus & belli fortuna inferior, à Deo maximo certam opem implorasſet, diuino inſtinctu per quietem admonitus, vt poſitis armis Leonem Romanum Pontificem venienti belluæ obiiceret. Suſcepit itaque id munus alacriter Leo, nihil reformidato periculo quod veræ pietatis gloriam afferret. Is non dubia ſanctitatis opinione, & ſenecta venerabilis, cum ſimplici antiſtitum & patritiorum ordine in tiara, ſacerdotalique amictu, & prælata argentea cruce, ad tyranni pedes proiectus, ita atrocem eius animum aliàs ſemper iratum & implacabilem, piis precibus mitigauit & flexit, vt occulto perterrente numine attonitus & emollitus manus daret: Nec multò pòſt qui cuncta obuia proſtrauerat, nec vſquam ſiſti potuerat, modico contentus tributo in Pannoniam reuerteretur. Quid enim maius & glorioſius armis peti potuit, quàm Romanos, qui à deuictis toto orbe populis tributum exegiſſent, tanquam domitos alienæ virtutis admiratione tributarios effeciſſe? Mirabantur Hunni proceres Romanæ prædæ auidi, quòd Athila virtutis & fortunæ ſuæ penitus oblitus ex bellicoſiſſimo Imperatore, homuncionis ſacrificuli oratione fracto vigore animi, repentè alius & prorſus imbellis & timidus extitiſſet. Verùm is ad ea reſpondens, tantæ commutationis cauſam in duos auguſtiore ſpecie Heroes referebat, qui à dextra læuaque ſupplicantis Leonis, vibratis gladiis ſibi necem, niſi piis precibus annueret, minitari videbantur. Eós procul dubiò diuorum Petri & Pauli ſpectra fuiſſe Chriſtiani exiſtimant. Athila verò vel ſupra omnes barbaros ingenio maximè fero & agreſti, vt ſuos itidem conuicio quodam pacem Romanis datam improbantes eluderet, lepido ſcommate vſus fertur, quum diceret; An non importunè miramini quòd ferarum Regi quem cūncta animantia horrent, repentè ceſſerim? facetè ad Pontificis nomen alludens. Per hunc modum Romanis tributo impoſito in amicitiam receptis, quum in Pannoniam eſſet reuerſus, Hildidem excellenti forma vxórem duxit, ſed maturè Dij prohibuerunt, ne ex eo ferali connubio proles aliqua tanquam humani generis portentum ederetur: nuptiali enim nocte temulento atque altè ſtertenti, tanta vis ſanguinis per nares erupit, vt qui tot cædibus paſsim editis, prouincias immaniſſimè cruentarat, ad extremum ſubitò expirans, coniugalem thorum largiſſimo ſanguinis ſui flumine inundârit. Memoriæ autem proditum eſt, Martianum Cæſarem per ſomnium ea nocte', qua Athila fato ceſsit, fractum eius tyranni arcum, comminutasque ſagittas, Theodoſio indicante conſpexiſſe: quaſi Diis curæ eſſet, vt hoſtile quicquam ab ea terribili fera timere deſineret.

ANTONII VVLPII Nouocomenſis.

Quid tot conſpiciens, viator, altum
Erecta ad tumulum trophæa, tótque
Victorum exuuias Ducum, vrbiumque
Tot cadauera, totq́; de ſubactis
Triumphos populis, ſtupes anhelus?
Rex ille Athila, Numinum flagellum,
Tu noſti reliqua: hic iacet: viator
Cerne vt nunc etiam cinis ſuperbus
Spiret imperium, minas, furorem:
Hunc caſus niſi narium ſoluta
Vena, dum thàlamis nouaq́, nupta
Indulget nimis, abſtuliſſet: orbis
Euerſus, titulos, decusq́, monſtro
Fatalis cumularet, & trophæa.

ADAMI FVMANI Veronenſis.

Fax orbis ille, incendium, pallor, pauor,
Europa monſtrum, quẽ nouum genuit parens,
Matris ferus quod carnifex foret ſua,
Qui barbaro ſuperbo ipſe ſpiritu
Dei Flagellum nomen indidit ſibi
Terris furens ſatelles irati Iouis,
Per quem fuére ſecla facta ferrea,
Quam quaque mores vſque fundit barbaros,
Quo ſe ore viuens ferre ſueſſet Athila
Tabella Iouij hæc indicat planiſsimè.

Totila.



TOTILAS hoc roſeo illuſtrique vultu, & ſtatura corporis eximia, multoque militaris animi vigore, Viſigothicæ regiæ ſtirpis ſpecimen referens, Taruiſij Rex eſt appellatus: paulò pòſt quàm Rex Vitiges Beliſarij virtute fractis opibus ſeſe atque Rhauennam victori dedidit, vt ad Iuſtinianum triumphali ſpectaculo duceretur. Indignabantur enim reliqui Gothorum proceres, qui in Venetiæ Ciſalpinæque Galliæ oppidis remanſerant, quòd inuicta antea Gothorum virtus, Græcis homunculis imperitia Vitigis, aut certè nimis celeri deſperatione ſuccubuiſſet. Propterea hominem regia dignum corona animo atque oculis requirebant, qui afflictum, humique proſtratum Gothicum decus erigeret. Nam paulò antè Theudebaldum Vitigi ſuffectum, quòd Vraiam virum ſua virtute & Vitigis propinquitate clariſſimum

clariſſimum, indignè occidiſſet, Bella Rogua inter epulas obtruncarat: ſucceſſoremque huius Acharicum Gothi proceres, quod cum Iuſtiniano fœdè paciſci, quàm armis contendere mallet: incertum an veneno, intra paucos menſes ſuſtulerant. Itaque Totilas ex Thendebaldi ſorore genitus, inſignique ob id procerum fretus ſtudio, vſq; adeò animum ſuſtulit, vt bonæ ſpei plenus & gerendi belli maximè cupidus ad veteris imperij, Theodoricíq; regis amplitudinem aſpiraret: ſæpeque ad Gothos concionaretur magnificè ſuadendo, vt nihil animo ſe demitterent, & ſibi ſecunda omnia, poſtquam Beliſarius Italia deceſſiſſet, obuentura ſperarent. Nec opinionem fauentis populi vnquam fefellit, vtpote qui in omni obeundo munere mirificæ virtutis vim ad bellum afferret: & eo quidem rerum ſucceſſu, vt maximorum regum famam rerum geſtarum felicitate æquaſſe, nec immaniſſimi tyranni nomen à noſtris impoſitum; meritò tuliſſe cenſeatur: niſi in poſtremo vitæ actu, vt in Tragœdijs videmus, illudente Fortuna corruiſſet. Primùm eius operum victoria fuit de Beſſa & Vitalio Belliſarij ducibus ad Veronam parta: læto quidem auſpicio, quòd profligatis copijs cuncta ad vnum militaria ſigna in eius poteſtatem veniſſent. Inde victor & ferox Italiam percurrens, paſſimque præſidia confirmans, Spoletum cepit, Beneuentum mœnibus nudauit, Neapolim longa obſidione perdomuit. In ea autem victoria, tanta vſus eſt clementia, lenitate, iuſtitia, vt Cononem præſidij præfectum, liberali inuitatum ſtipendio, & id munus renuentem, quòd ſacramenti religione obſtrictus, ſine ſcelere fidem mutare non poſſet, incolumem datis comitibus Romam dimiſerit. Romanos item milites & ciues Neapolitanos inedia propè enectos, & paſſim ab immoderato auideq; ſumpto cibo collabentes, diſtributis ad vitæ & valetudinis rationes alimentis, refouit atque ſeruauit. Et quum vndique maleficia militum puniret, armigerum ſuum, nobili ortum loco & apprimè ſtrenuum, de vi illata ingenuæ virgini conuictum ſecuri percuſſit, tanta ſeueritate, vt damnati bona quæ erant ampliſſima, nupturæ virgini in dotem adijceret. Brutijs demum, Lucanis, & Calabris admoto vndiq; terrore in fidem redire coactis, ſatis ſibi bellicæ laudis, ſatiſq; imperij ſibi partum exiſtimare potuit, niſi Roma vrbium omnium domina ad ſummum gloriæ cumulum potiri cupiuiſſet. Nec impotentis barbari immani voto, Dij iam pridem Romanis infeſti omnino defuerunt: ſemel enim vt in fatis erat, atque iterum vrbs Roma Iſauris, Cilicibus, cuſtodiæ locum prodentibus, capta, direpta, euaſtataque eſt. Verùm auſo potitus Totilas nequaquam barbaro ingenio ex tanta victoria nouæ laudis occaſionem intellexit: generoſoq; conſilio violentiæ atque ſuperbiæ ſuæ modum imponens, omnes qui in templa confugiſſent, incolumes & liberos fore pronunciauit: vſq; adeo remiſſa animi feritate, vt Pelagio ſacrorum Principi, & pro ſalute publica excidium deprecanti, religioſo quodam pudore placatus obediret, & in mœnia tantùm graſſaretur, vt certis in locis ingentium portarum inſtar adaperta, & potentiæ ſuæ vim, & moderationis lenitatem æterno monumento teſtarentur, Romanorumq; familiæ in Campaniæ oppida relegatæ, patrij ſoli calamitatem diu lugerent. Cæterùm miſeris, vt plerunque in ipſa clade accidit, pie riteq; ad placanda numina conuerſis, non omninò ſerus vltor Narſes aduenit, vt commutata belli fortuna, qui à ſummo duce Belliſario ſuperari nequiuerat, præualidus & ingens vir Totilas, à tripalme ſene eunucho vinceretur. Cum hoc enim Totilas poſtquàm vndecim regnaſſet annos, in Vmbria iuxta Calles oppidum viæ Flaminiæ impoſitum, ad aquam (vt dicunt) Alaniam, collatis ſignis conflixit. Eo quidem euentu, vt quum diu inter vtranque aciem phalerato equo, & auratis armis conſpicuus, iaculo ſæpe in auras euibrato, itidemq; excepto, equitandi artem oſtentaſſet, conſerta demum pugna profugeret, vulneratuſq; à perſequentibus, intenta fuga ad vicum Capras cum tribus equitibus elaberetur. Ibi dum vulnus obligaret, nec ſanguis ſiſteretur, expirauit: Vna hac fortaſſe fatali ſorte nequaquàm infelix, quod tanti modò nominis rex, & inter ſtrenuos milites longè fortiſſimus, nec vnquàm antea victus, Eunuchi triumphum effugerit: quum ſine vllo funeris honore nulliſque inferijs, clam inter vepreta conderetur: vt inde poſt aliquot dies indicante muliercula erutus, & planè agnitus, vel ab ipſo victore Fortunæ ludibria graui animo reputante, miſerationis & verecundiæ mixtas gaudio lachrymas exprimeret.

ANTONII FRANC. RAYNERII Mediol.

Hac Totila effigies, quo iuncta leguntur in vno
Et decor, & robur, & pudor, & pietas.
Miſcetur decori robur: pudor emicat armis
Quam forti apparet pectore, tam pius eſt.
Vrbem terrarũ dominam capit: attamen Vrbis
Seruat captiuæ templa, Deoſq; colit.
Semiuir aſt illum valido domat agmine Narſes
Infractum bellis omnibus ante virum
Flebilior ſors nulla fuit, nam contigit illi
(Heu) prope fœminea procubuiſſe manu.

ADAMI FVMANI.

Immanis ille peſtis Vrbis, barbarus
Qua barbararum gentium terror, ſui
Ad ortum ab occidente fines imperi
Olim feroci Marte dilatauerat,
Qui noſtra vaſtitate cuncta perculit
Vicos, agroſq́, ciuitates, oppida,
Ritu procellæ, turbinũq́ acerrimi

Deo atque hominibus abominatus Totila
Hac in tabella pictus hoſpes an vides
Vt ſæuus, importunus, impotens, adhuc
Stragem minatur ore, cædem, ſanguinem?

Narſetes.

NARSETIS veram imaginem, quam argenteis & æreis nummulis minimè eleganter expreſſam videmus, Græci ſcriptores, Procopius, Agathius & Suidas, ad perenne monumentum nobis ita repræſentant, vt eam non lætis modò oculis, verùm maximè pio gratoq; animo admirari & venerari fas ſit. Quid enim ex omni annalium memoria admirabilius fuit, quàm Gothorum gentem, indomito immanium corporum, ingentiumq; animorum robore terribilem, ipſumq; inuictum antea regem Totilam, ab homulo gracili, puſillo, & quod maximè miſerum & pudendum hoſtes putarunt, defectæ virilitatis eunucho, omnibus ferè prælijs, ac vniuerſo demum bello ſuperari? Sicilia, totaque Italia depelli, & ad internitionem nominis paſsim deleri? Fuit hoc profectò incomparabile & verè ſummo ampliſsimæ laudis decus, quum longè ſpecioſiſsimum de reſtituta Vrbe liberataq; Italia trophæum Narſeti erectum conſpiceretur: ſi certis ſeſe finibus immenſæ virtutis gloria terminaret. Acceſsit enim ad ipſum excelſi trophæi cacumen, vt id noua ſpecie nouiſque exuuijs exornaret, victoria de Francis ad Vulturnum parta. Irruperant in Italiam è Gallia Germani fratres Bulthinus & Leuthares, Francorum principes, non contenti opulenta ea regione, quam ipſi è Germania aduenæ eiectis indigenis occupaſſent, vt poſt debellatos à Narſete Gothos, Italiæ imperium arriperent. Diuiſis itaque copijs Bulthinus à Tyrrheno, Leuthares ab Hadriatico litore, totam Italiæ emenſi longitudinem cuncta obuia proſtrauerant: iamq; Bulthinus diues præda è Brutijs atque Lucanis rediens, quartam cladem afflictæ adhuc Vrbi, & nondum planè munitæ proculdubiò allaturus erat, niſi Narſes irruenti belluæ ad Caſilinum occurriſſet. Erant Franci inuictum, & formidabile hominum genus, hamatis atque mortiferis inſtructum telis: ſano imperatori æquo in campo & iuſta acie refutandum: nec oppugnandum quidem in caſtris, quum ſe lunata curruum ſerie depreſsis ſolo ad axem rotis vndique muniuiſſet. Verùm Narſes vel parua manu tot barbarorum robora per moras & aſtus mirè ludificatus, ita perfregit, vt inuſitata aciei forma circumuentos, cadente Bulthino ad vnum omnes trucidaret, & Vulturni cruento alueo ingentia cadauera in Tyrrhenum voluerentur. Parem quoque profectionis & vitæ exitum, ſed diuerſa conditione Leuthares tulit. Nam è Salentinis per Apuliam, Picenum atque Flaminiam, quum in Venetiam eſſet reuerſus, quòd templa omnia paſsim ſacris donarijs ſpoliaſſet, vltore magno Deo in horribilem incidit morbum, ex quo veſana rabie percitus, ſuos artus dentibus laceratos, manantemq; cruorem bibens deuorabat: & Franci ad vnum omnes ſæuiente peſtilentia delerentur. Tantis rebus geſtis Narſes quum per Italiam præcellenti pietate templa conderet, & paſsim illatas à Gothis iniurias magnificè reſarciret: ſummaque legum æquitate populis ius diceret, id vnum omnino contendebat, vt feſſa tot malis Italia, ſecura atque opulenta pace frueretur. Sed his artibus collecta gratia, auctis opibus, & inſigni gloria florentem, quem immenſæ Gothorum vires & formidanda Francorum arma non fregerant, oborta inuidia humanæ felicitatis commune malum, inexpectatò ita perculit, vt incredibili dolore incenſus, animum omnibus antea iuſtitiæ, religionis, & patientiæ virtutibus exaggeratum, ad vindictæ libidinem indignantes verteret. Sophia nanque Auguſta muliebri liuore à delatoribus concitata, quum Narſeti ſucceſſorem deſtinaret, ad eum contumelioſe ſcripſerat: vt iam tandem diuitijs expletus in Italia regnare deſineret: quando ei colus in Gynæceo Byzantij, quàm Romæ ſceptrum aptius conueniret. Quæ verba vſque adeò profundè in pectus deſcenderunt, vt Sophiæ reſponderet, ſe nere quidem, ordiri, texereque ſolitum, maturè daturum operam, vt paratis iam filis eam ſcitè telam ordiretur & texeret, quam nec ipſa nec vxorius imperator retexere poſſent. Accerſendum enim in Italiam è Pannonia Alboinum Longobardorum regem, cui nemo ex inuidis reſiſtere poſſet, exiſtimauit: vt intima Romani imperij viſcera, nouæ & bellicoſiſſimæ gentis irruptione quaterentur. Verùm omnibus magnitudine periculi terrefactis, Ioanne Romano pontifice iuſtam iracundiam pijs precibus demulcente, Narſes priſtinæ ſuæ pietatis & probitatis memor, perturbatam mentem ad clementiæ decus vſque adeò tempeſtiuè reflexit, vt Alboinum iam intentum ad iter, ſubſiſtere, opperirique alia nondum maturæ occaſionis mandata iuberet. Paruerunt Longobardi, nec oblatum inuadendæ Italiæ conſilium prius ad profectionem explicarunt, quàm Narſes poſt aliquot annos cunctis quæ ab imperatore deferri poſſent honoribus functus, iam ſenex exceſſit è vita. Eius ſiquidem inclyta virtus in poſtremo vitæ actu, quod ſummæ felicitatis fuit, immane illud inuidiæ monſtrum, magnitudine admirabilium operum, & illuſtri fulgore ſuo penitus obruerat. Imbelles enim liquidique aulæ proceres non obſcuro ingruentis belli metu ſubacti, qui ad Narſetis præfecturam anhelare

auſi fuerant, eum quem priuatim oderant, vt plerunque fit, publicè miris laudibus extollebant: ita vt mihi Narſes ſupra omnes mortales maximè admirabilis fuiſſe cenſeatur; poſtquam è Perſide conditione ſeruus & eunuchus inter delitias muliebres nutritus in Regia, pretioſiorique demum gazæ fidelis cuſtos præpoſitus, è tanta ereptæ virilitatis calamitate, vnicus prope cùm virtute, tum fortuna imperator extiterit. Nemo enim eo peracuti atque habilis ingenij vim ſolertius ad conſilium flexit, nemo grauiſſimarum rerum negotia certius explicauit, nemo denique vtriuſque fortunæ impetum conſtantius atque felicius ſuſtinuit & auertit. Verùm quod admirationis humanæ modum excedere videtur, nullo literarum fretus præſidio, quòd ſophiſtæ ad parandam dicandi artem nunquam operam dediſſet: eloquentia militari tantum valuit, vt quum opus foret, repente ſummus orator, animos quò vellet facile impelleret. Cunctas ſiquidem humanarum rerum actiones ad religionem reuocabat, ex qua non dubia præſenſio diuinatioque rerum bellicarum, & longa infracti animi patientia & cuncta denique iuſtitiæ temperamenta profluerent. Nec in tenui corpuſculo ſupra ingentis animi vigorem experita magnis ducibus, equitandi & iaculandi peritia deerat, qua vires in hoſte ad impetum validiores mirè contemneret & eluderet. Nobiliſſimum eius operum Romæ viſitur marmoreus pons, quem Totilas diſiecerat, Anieni Salaria via impoſitus, in quo tale Epigramma incorruptis adhuc literis legimus, dignum vtique vt non in ponte tantùm, ſed toto orbe ad Narſetis gloriam celebretur.

Quàm bene curuati directa eſt ſemita pontis
Atq; interruptum continuatur iter,
Calcamus rapidas ſubiecti fluminis vndas
Et libet iratæ cernere murmur aquæ,
Ite igitur faciles per gaudia veſtra Quirites
Et Narſin reſonans plauſus vbique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Non nō hac tabula ſemiuirū hūc fingere paruula
Fas eſt, marmoribus quē decuit ſcalpier, arduo
Aut Oſſa, aut Rhodope, aut aërio Caucaſeo in iu
Si ſpectes animū belligeri, factaq; fortia. (go,
Hic Narſes, regio quem peperit Perſidis inclyta
Byzantiq; aluit, quē domus olim aurea Cæſaris
Eductum muliebri imperio & mollibus in iocis,
Acuto fuerant ſecta cui pondera forcipe.
Hic ille eſt valido conſilio qui quatit agmina
Gothorū, et madiaū ſanguine regē Totilā Italo,
Francorūq; acies, barbariēq; Auſonia expulit.
Salue, ò macte animo ſemiuir & clarior omnib.
Veris Marte viris. Nūc vtinā magne reſurgeres.

Carolus Magnus.

SALVE Heros bellica virtute, illuſtri iuſtitia, & Chriſtiana pietate ſupra omnes Auguſtos maximè inclyte. Salue Imperator inuicte non MAGNI modò, quod conſenſu noſtri orbis cum incomparabili gloria tibi obuenit, ſed TAR MAX. cognomento digniſſima. Tu enim gentes immanitate barbaras, & in veſtigio mori potius quàm vinci ſolitas, quoniam inſanis ſuperſtitionibus ſeruirent, ita iuſtis armis & diuina tua virtute domuiſti, vt non opibus & libertate ſpoliatæ, vinctas manus ad ſeruitium victori darent, ſed conſeruatæ incolumes à clementia pietateque tui nominis inſigne beneficium acciperent: quum ad veræ religionis cultum, te hortatore, magiſtroque ducerentur. His nempe longè optimis belli & pacis artibus, non indomitos modò Saxones & peruicaces Cantabros perpetuis victoriis deuictos, verùm quod ad perenniorem laudem nobilius fuit, Longobardos arroganter & impiè ſacroſancto pontifici infeſtos, Deo vltore funditùs exciſos videmus. Salue itaque Chriſtiani imperij propagator Auguſtiſſime, pōtificiæ dignitatis aſſertor & vindex, aureæque ætatis conditor. Te ſiquidem auſpice Italia in primis, quæ iam pridem à Gothis & Vandalis deformata proſtrataque ferrei ſecoli iniurias pertulerat, ſeſe vſque adeo felici rerum omnium prouentu erexit, vt priſtinæ amplitudinis ornamenta reciperet, & religio ad firmiorem dignitatem ritè inſtaurata, clariore iam nominis ſui authoritate poriretur, & ſingulæ prope vrbes tuæ eximiæ liberalitatis atque magnificantiæ monumenta mirarentur. Verùm Etruſci nullo vnquam æuo tuas laudes ſilebunt, quòd Florentiam omnium vrbium longè pulcherrimam ad non dubium, ſi admirabile ædificiorum decus ſpectetur, totius Italiæ ornamentum, in cineres à Gothis conuerſam reſtitueris. Itaque magnanime Carole, nihil nobis ex tui decoris memoria maius aut luculentius relinquitur, quàm vt hanc generoſæ frontis & probi vereque auguſti oris ſpeciem contemplando ſanctiſſimè veneremur. Neq; enim dubitare fas eſt, quin inter priſcæ ætatis Heroes mirifica pietate in cœlo beatas ſedes meritos, æterna felicitate perfruare. Vel ob id tu ipſo in terris maior & venerabilior, quòd plerique Romani imperij ſucceſſores o-



quaquam æmulatione gloriæ tuæ ducti, & impiè & turpiter ad certum dedecus ac ignominiam neglectæ religionis imperarint. Æream Caroli effigiem nobis dono dedit Alfonſina, Magni Laurentij Medicis nurus.

IOANNIS BELLAI Cardinalis Pariſienſis.

Carole dum monſtras aditus quibus Itala poſſet
Externum virtus ferre ſubacta iugum,
Lene tamen ferre illa iugum ſub principe leni,
(Quale fuiſſe tibi vidimus ingenium)
Extinxti penè vnus opes Latiaſq; tuaſq;,
Nec tam in lucro vt debuit eſſe, fuit:
Regnandi neq; enim eſt, vt regni exẽpla ſecutus
Aemulus heu cœpti qui fuit ille tui,
Aemulus ille quidem, cœptiq; & nominis hæres
Sed tibi tam, victo quàm nocuus Latio.
Nam Latio eſt vſus ſic in tua viſcera victo,
Vt ſit in authorem pœna retorta ſuum:
Si neſcis, proceres cæſos animaſq; nepotum
Errantes toto conſule in Elyſio.

HONORATI FASITELII.

Audiſti ne olim magni poſt Herculis arma
Extremam paribus Calpen qui terruit auſis
Inuictũ virtute animi, dextraq; Rolandum?
Audiſtin' robuſta ſenis tot pignora Amonis,
Ac teneram roſeo cum primis ore puellam
Caſside ſub dura ſolitam ſe credere campo,
Congreſſamq; viris victricem excedere pugnâ
Atq; alios, aliosq; omnes fortiſsima bello
Pectora, bis ſenos ex ordine Palatinos?
Quos magnis longum ſpectatos Gallia rebus

Euexit

Emexit cœlo, & fulgentibus intulit aſtris,
Inſignes ſcilicet ſpolijs Heroas opimis
Inſignes raptis immani ex hoſte trophæis?
Hoc duce, quem multo trabeatum cernis in auro,
Nunc etiã aſpectu ipſo, & maieſtate verendum,
Hoc meruere olli, & tantum exhauſere laborum.
CAROLVS hic ille eſt, quẽ nec ſecla vlla, nec ætas
Non canet eximio Magnum cognomine regem:
Cuius ab auſpicijs tum primum Gallica ſigna
Bætis, & inſtructas victricia ſenſit Iberus.
Intremuere Aſiæ reges, iacuitq; ſubacta
Punica terribili tellus concuſſa duello.
Cætera ab anguſtæ ſpatijs excluſa tabellæ
Te magni diuina IOVIS monumenta docebunt.

PARTHENII PARAVICINI Nouocomenſis.

Hæc verò longè ante alias quæ fulget imago,
Quam circum denſa mediam cinxere corona
Egregij reges, tibi maxime regum
Sacratur, priſcum reparas qui Martis honorem.
Nam vix Pipini imperio ſceptrumq; potitus
Francorum iuſta arma mouens, atq; hoſte ſubacto,
Duces Aquitana celebrem de gente triumphum.
Nec mora quãquã ingẽs immani à Saxone bellũ
Ingrueret, patrios fines tranſgreſſus & Alpes
Vixdum victrices aliquas anguſtaq; ſigna
Expandis, cecidere hoſtes rex captus, ab illo
Italia amiſſos primùm ſperauit honores,
Et caput erexere arces, colleſq; Latini,
Relligio, Petriq; ratis iam feſſa procellis
Per te exoptatos ſubiit tutiſſima portus,
Te ne adeò Auſonij pietas laudumq; cupido
In lituos, ara, Romanaq; ſacra trahebant?
Qui Longobardum ſtrages, & Bætica dicam
Agmina? perfractos Mauortia pectora Iberos,
Et totum auſpicijs domitum felicibus orbem,
Poſt obitus, quem tot exantlatoſq; labores,
Iuppiter emeritum cœli ſuper arce locauit
Heroes inter claros, ſanctumq; ſenatum.
Auſonia infelix, ecquem nunc æmula virtus
Exciet, qui tam pro relligione tuenda
Sollicitus, ſacrumq; Deum pia ceperit arma?
Vos ò qui ſocias odiis ciuilibus vrbes
Vertitis, infandumq; decus ſperatis ab auſis,
Si fama vos tangit amor, laudumq; cupido,
Hoc agite, hinc iuſtis quærenda eſt gloria bellis.

Gotifredus Bolionius.

SACRO bello, quod ante quadringentos annos indicente Vrbano pontifice, ab illuſtribus Europæ Regulis pro gloria Chriſtiani nominis, incredibili pietate ſuſceptum, inuſitata geſtum virtute, ac admirabili felicitate confectum eſt, GOTHIFREDVS Bolionius ſupremum decus tulit. Is tum in Belgico Oceani litore vrbi Bononiæ dominabatur, præque ſe ferebat antiquiſſimam Lothariogiæ ſtirpis nobilitatem, quum pontifex ad Claromontem Aruernorum oppidum in Aſiaticam expeditionem ad recuperandas Hieroſolymas nomen dantibus, dextro humero rubra cruce religioſe obſignato, cœleſtibus vitæ præmia promittebat. Omnium itaque princeps Gothifredus Chriſti ſe militem profeſſus, eam crucem, & belli teſſeram de manu ſacroſancti pontificis accepit: Ea verò apud vniuerſos erat, DEI VOLANTES. Inerat ei præcipuum naturæ donum proceri corporis & grauiſſimi oris eximia dignitas, quam excellens bellica virtus, & ſancta promiſſi fides, incorruptique mores adornabant. Nauarat Cæſari in Italia bellum gerenti fortem fidelemque operam: vnde trium linguarum peritiam & ſingularis induſtriæ famam bello & pace retulerat. Incredibile dictu eſt, quo militum concurſu, quo ardore procerum, quo diuitiarum, penatium, vxorum, & vitæ denique contemptu rubræ cruces peterentur. Diuino enim quodam furore concitatis animis, deuotiſque corporibus generoſiſſimi quiq; non caducum, ſed immortale decus quærebant, quum pia fortiſque pectora occupante religione, periculorum omnium metum, ſpes vna perennis inter cœlites gloriæ diſcuteret: propter quam ſuſcepto voto, cunctis domeſticæ pacis delitiis, cunctiſque opulenti ocij voluptatibus facilè renunciarent. Id verè pium, vereque decorum præſentium animorum decretum, non Gallos modò, ſed Germanos, Anglos, Scotos, & Danos, & denique Hungaros æmulatione pietatis & gloriæ in id bellum traxit. Non defuere Itali principes externæ pietatis æmuli, qui expedita arma conſociarent, mariaque traiicientes cupidiſſimè ſequerentur. In his fuere è Tranſpadanis Gulielmus Longaſpetha, & Otho Vicecomes, & ex Apulia Boemundus atque Tancredus illuſtres Reguli, qui ſupra triginta millia armatorum peditum & equitum ſub ſignis habuerunt. Iêre diuerſis itineribus, diuerſiſque claſſibus, quòd tantæ alendæ multitudini, neque expoſitæ paſſim, aut reconditæ fruges, neque contracta vndique nauigia ad traiiciendum ſufficerent. Petrus Eremita, huius belli præcipuus exhortator, ab Hungaris ex itinere multis affectus detrimentis, cum primo agmine Byzantium peruenit. Hugo Magnus Francorum Regis frater, qui authoritate nominis cunctos anteibat, è Bario Dyrrhacium traiicit, & per Macedoniam in Thraciam iter habuit. A Brun-



duſio autem atque Hidrunte Boemundus cum Italicis copiis Ionium emenſus Corinthum appulit, atque inde per Ætoliam & Phocidem atque Theſſaliam, Byzantium eſt profectus: Alexio Græcorum Imperatore vſqueadeò ad tantæ multitudinis conſpectum metu conſternato, vt poſtquam iuſta petentibus, & inuicta tenentibus arma, nihil negare poterat, dubio aſtutoq; ingenio certa pactione cuncta concederet: ſcilicet vt graui ea periculoſaque Thraciæ tot fortiſſimarum gentium multitudine exoneratus, belli ipſe ſpectator, omni prorſus timore atque incommodo leuaretur. Traiecerunt è Byzantio Chalcedonem trecenta milia deſcriptorum peditum, & centum milia galeatorum equitum: qua multitudine vadentium ad inſolitum decus, nuſquam irrito conatu tota penè Aſia quateretur. Nam ſicuti ab Europa terribiles tot nationum copiæ totque inuicti duces ſuſcepto ſemel voto, aut honeſta morte, aut inſigni victoria ſatisfacere, perrumpereque omnino in Syriam ad Chriſti ſepulchrum decreuerant: ita excitæ ad arma toto Oriente Mahometanæ gentes, Aſiæ poſſeſſionem ante trecentos annos bellica virtute partam pertinaciſſimè tuebantur. Sed ea noſtrorum vis religioſique & indomiti conatus felicitas fuit, vt quum centies variis cruentiſque ſucceſſibus eſſe dimicatum, nec ingentia flumina, nec inacceſſæ Tauri, Amaniquerupes, nec oblatæ paſſim immenſæ Barbarorum acies, nec ſitis, nec diræ famis, incidentesque viris & iumentis morbi properantia agmina retardarint. Scriptores nempe eius ætatis, & in primis Tyrius antiſtes, qui earum rerum hiſtoriam incorruptè condidit, varietate incredibilium caſuum & magnitudine præliorum obruuntur. Hæc enim humanæ memoriæ captum exuperant, & omnem annalium fidem antecedunt. Nec mirum, quum totius ferè commoti terrarum orbis bellicoſiſſimæ gentes, non de fortunis modò ac imperiis: ſed quod maximè animos excitat & incendit, de religione ſacrorumque authoritate

inter

inter ſe manus contulerint. Ad Nicæam primò Solymanus Turcarum Satrapes, & clariſſimus Imperator ingenti prælio victus, & latè profligatus eſt. Ad Antiochiam deinde in Syria Corbanam Parthorum Medorumque & Aſſyriorum innumerabiles ducentem copias, noſtri heroes ancipiti prælio dimicantes, ad Orontem proſtrauerunt. Ægyptius verò Rex Caliphas memorabili acie victus Chriſtianæ virtuti ſuccubuit: Hieroſolymæque demum diu oppugnatæ, acerrimeque defenſæ, magna cum cæde Barbarorum captæ ſunt: quum ante omnes Gothifredus admota turri lignea, ex eaque in hoſtilem murum demiſſo ponte, ipſe criſtata galea conſpicuus, & pedeſtri protectus ſcuto, trucidatis depulſiſque Barbaris primus in vrbem peruaſiſſet. En celeberrimo facinore edito, tot Procerum conſenſu Hieroſolymarum Rex eſt appellatus. Sed vir ſanctitate pariter atque virtute ſingularis, decorum fortaſſe aliis, ſibi verò ſuperbum regis nomen, pio inuictoque aduerſus faſtum animo repudiauit: quòd nefas eſſe diceret, ea in vrbe auream coronam ferre, in qua Chriſtus ſpineam tuliſſet. Quo habitu delatum diadema renuentis, eius effigies iubente Leone pontifice, ex vero numiſmate excepta, in cœnaculo Vaticani picta eſt. At Gothifredus ſuſcepto imperio nihil antiquius duxit, quàm ſacroſanctæ vrbis delubra ritè expiare: quaſſata arietibus mœnia inſtaurare, ac ingenti cura Ioppem expugnare, vt Chriſtianis claſſibus in proximo litore portus pateret. Nam Veneti Ligureſque, tam pia quàm decora contentione nouas ſemper copias, nouoſque commeatus & bellica inſtrumenta noſtris præclarè vincentibus conuectabant: vigente & creſcente ad victoriæ famam ſtudio piorum fortiumq; hominum, qui ad inuiſendum Chriſti ſepulchrum, vrbemque antiqua religionis claritate famoſiſſimam, certatim transfretabant. Victores nanque proceres ſacræ militiæ, voto ad Chriſti ſepulchrum ritè ſoluto, perfuſi incredibili lætitia, tanquam victoriæ compotes, ad vxores & propinquos in Europam redibant, hortabanturque obuios, vt in ſupplementa glorioſæ militię defunctorum, arma atque animos expedirent, & reliquum integræ adhuc laudis decus, deletis ad internicionem impiis mererentur. Cæterùm Gothifredus Ioppe Aſcaloneq; expugnatis, fuſiſq; non vna acie paſſim hoſtibus, mediterraneiſq; aliquot oppidis in fidem receptis: quũ integrum regnaſſet annum, peſtilenti morbo ſurreptus exceſſit è vita: tanto Chriſtianorum, Syrorumque omnium luctu ac deſiderio, vt qui viuens multos dignitate æquales, commendatione pietatis atque virtutis anteiſſet: poſt mortem quoque in terris felix haberetur, quòd relicta poſteris glorioſa hęreditate, Balduinus frater, qui ad Edeſſam Meſopotamiæ vrbem Tetrarcha regnabat, fraternæ amplitudinis atq; fortunæ æmulus, conſenſu Procerum regnum ſit conſecutus.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Gothifrede piis Solymos dum ſubiicis armis,
Et veniunt capiti regia ſerta tuo:
Nil vnquam humano diuinius exiit ore,
Regali quàm quod exiit ore tibi.
Laurea non hominem geſtare, nec aurea regem
Fas, vbi rex Diuum ſpinea ſerta tulit.
Macte heros tam voce hac quàm victricib. armis,
Qua Babylon, omniſq; horruit Aſſyria.

Saladinus Sulthanus.

SALADINVM Sarraconis Medi, qui nefario ſcelere ſummaque perfidia interfecto Califfa Memphitico Sulthano, cuius mercenarius dux fuerat, Ægypti regnum occupauit, filium fuiſſe authores tradunt: tantaque animi magnitudine & virtute præditum, vt inuicto ſpiritu, altitudineque ſolertis ingenij, & vi eximia corporis, pericla & fortuna belli, maximorum imperatorum gloriam æquaſſe cenſeretur. Is ab ineunte ætate cunctis belli artibus inſtructus, vti erat præcipuus pecuniæ contemptor, viros fortes liberalitate vndique ſibi aſciſcere, magno ſumptu explorare hoſtium facta dictaque, induciarum bellique gerendi occaſiones præſentire, iuſtitiam fidemque religioſe colere, victoriis modum imponere, fortuita incidentium caſuum præſenti ſemper ingenio ad conſilium rationemque flectere, probè didicerat. Vt non mirum videri poſſit, ſi Ioannes Boccacius in fabulis mirus, vel in Barbaro virtutis æſtimator, eum explorandis Chriſtianorum opibus atque conſiliis, mercatoris habitu Italiam & Galliam peragraſſe tradiderit. Tum enim Ænobarbus imperator, & ſecundum eum Philippus Galliæ & Ricardus Anglię reges: Venetique item, Ligures, & Piſani ingentes copias & claſſes parabant, vt eccliſis Syriæ rebus opem ferrent. Verùm tanti apparatus vel incredibilis conatus, æmulatione, inuidia, infamique diſſidio noſtrorum fractus, eum tulit exitum, vt Saladinus expugnatis Hieroſolymis poſt octugeſimum & ſeptimum annum, ex quo eas Gothifredus manu cum inſigni gloria ceperat, & Guidone demum Luſignano Hieroſolymitano rege ad Tiberiadem acie ſuperato captoque, in Syria & Iudæa Chriſtianorum opes euerterit. Vſus eſt autem ea victoria magno ferociæ humanitatiſq; temperamento, quum Hieroſolymis Chriſtianos incolas ſua in ſede relinqueret, campaniſq; tantùm æris ſonitum è ſacris turribus tolleret, colen-



dumque Chriſti ſepulchrum, Gothifredi etiam tumulo admiratione virtutis inuiolato, piis hominibus concederetur. Sed ea inuictæ virtutis vrentem fortuna occaſio neque, diſſenſionis & ſocordiæ noſtræ cuncta ad Ioppen, Gazam, Aſcalonem, Tolemaidem, Berytum, & Tripolim aſſiduis cladibus proterentem, fatalis hora non planè ſenem eripuit, quum ſedecim regnaſſet annos, ſcilicet vt debellandis Chriſtianorum reliquiis Saphandino filio nouæ parandæ laudis materia præberetur. Moriens vti humanæ conditionis atque miſeriæ memor condito teſtamento, omnem funeris pompam abdicauit, iuſſitque tantùm in lancea præferri atri coloris obſoletam tunicam, præcinente ad populum ſacrificulo huius ſententiæ carmen, quod à Boccacio memoriæ proditum eſt:

VIXI *diuitiis, regno, tumidúsq; trophæis,* *Sed pannum heu nigrum vel niſi morte tuli.*

Huic Saladino aut certè (quod potius crediderim) Saphandino filio de Ludouico Francorum rege capto, ceſſit victoria: quum ad Damiatã vrbem Peluſiaco Nili oſtio in Chriſtiana caſtra effuſo, miſerabilem cladem accepiſſet. Ferunt Ludouicum, vt ſe redimeret, in pactionis fidem Chriſtianam hoſtiã victori impio tradidiſſe: non minore accipientis quàm tradentis gloria, quando barbarus pro ſua ſuperſtitione in hoc extremæ fidei pignus acciperet; in eam ſpem, vt ad perpetuum dedecus, ſi rex inclytus in exoluenda pecunia impiè fidem falleret, inexpiabilis inuidia maximè pio regi conflaretur. Viuens Saladinus ex linteo more gentis conuoluto, cornutũ capitis integumentũ geſtare erat ſolitus, vt totidem regna virtute parta nobili argumento ſpectantibus exprimeret: quod poſtea diadematis genus à ſucceſſorib. Sultanis vſurpatũ fuiſſe videmus. In hác autem habitus ſpeciem Saladini formã nobis cõmunicauit Donatus Lectius, patritij ordinis Venetus, diu in Cypro, Syriaq; geſtis magiſtratibus, hiſtoriæ & omnis antiquitatis ſtudio clarus.

MARVLLI

MARVLLI TARCHANIOTAE Conſtantinop.

Littore dum Phario prima Saladinus in alga
Barbara deuicto caſtra oriente locat,
Venit adulatrix regum comes vnica turba
E quibus vt lingua promptior vnus erat,
Nunc domitũ Aegyptũ iactat, nunc littora rubra
Fractaq́ pugnaci Gallica ſceptra manu,
Oſtentaq́ virum duris tot milia in armis
Et iubet hinc vires æſtimet ipſe ſuas,
Scilicet hinc ille, atq; adeò ex hac inquit arena
Qua te ſemiuſtum littore Magne tenet.

IANI VITALIS Panhormitani.

Accepit pignus victor Saladinus Ieſu,
Redderet vt regnis te Ludouice tuis,
Tu pignus redimis multo pretioſius auro,
Vtra fides maior, illa vel iſta fuit?

Fridericus primus Imp.



NVLLI Cæſarum ex his qui Romani imperij dignitatem illuſtri rerum geſtarum fama protulerit, nomen ſuum minus ad naturæ genium reſpondit quàm FRIDERICO primò, qui à colore Ænobarbi cognomen adeptus eſt. Vetere ſiquidem Germanorum lingua Fridericus pacis diuitem exprimit: contrario ſcilicet euentu, quum ingenio ferox, armorum & belli cupidus, nihil magis oderit quàm pacis nomen. Nam ab ineunte ætate in contubernio Conradi Cæſaris patrui, in Aſia militarat. Vbi verò in defun-

ẽti locum Imperator eſt appellatus, eo aoimi decreto arma iodult, vt ea non prius ſe exuturum
iuraret, quàm Romani imperij diademare ornaretur: cuius voti Conradus minimè compos fa-
ctus, graui cum dolore animi exceſſiſſet è vita. Id verò vnum Fridericus præalto ingenio ſupra
coronæ decus ſpectabat, vt quum ea potitus foret, cuncta iura imperatoriæ maieſtatis ad anti-
quam dominatus authoritatem reuocaret: quòd ſuperiorum Imperatorum beneficiariæ ciuita-
tes perampla immunitatom priuilegia conſecutæ, obſoletis iam tributis aut intermiſſis, ingratę
& contumaces ad parendum viderentur. Excitabant autem mirum in modum ad extendendam
famam virum integra ætate florentem Sueuæ gentis illuſtre & verè Martium nomen, antiqua
maiorum decora, & recens vel iofelicis patrui Cæſaris exemplum, ſub quo variis vtriuſq; fortu-
næ documentis probè obſeruatam & exercitam militarium operum diſciplinam hauſiſſet. Itaq;
Fridericus coacto exercitu in Italiam deſcendit, expugnataq; in limine, & deleta Derthona, ac
Spoletó demum in Vmbria ex itinere funditùs exciſo, Romam profectus tantum terrorem Ha-
driano pontifici intulit, vt ad mare ſe proriperet. Formidandis enim ſtipatus copijs aduenta-
bat, minaci ingenio aliquam leoitatis ſpeciem ferens, ita vt ſe pacato agmine pontificem vene-
raturum polliceretur. Clauſerant Romani portas, Ælioque ponte erumpentes, com Germanis
ad Neroniaos prata tendentibus, tumultuario crueotoque prælio dimicarunt. Verùm aduentu
pontificis placatus Cæſar, in Varicano more maiorum Romani imperij inſignia accepit. Nec
multò poſt in Ciſalpinam Galliam regreſſus, Mediolanenſibus bellum indixit, quòd finitimis
ſuperba ſæuaque arma intuliſſent, vt latè imperarent, Laude Pompeia crudeliter euaſtata, Co-
mo graui obſidione ſubacto crematoque, & Papia omnibus belli detrimentis affecta, magnam
ſibi iuiquæ atq; intolerandæ potentiæ inuidiam coofiauerát. Cæterùm eo euentu inchoatũ bel-
lum, ſæpeque reoouatum Ænobarbus confecit, vt multis victor præliis, ſemel victus ad Cal-
caoum vicum iuxta lacum Eupilim, laborioſa difficilique obſidione perdomitos, acerbiſſima
lege impoſita ſubegerit, Mediolanenſes ad vnum omnes patrium ſolum verterent, vltraque
ceorum ſtadiorum ſpatium ad vicina oppida migrantes, relegatique, corruentis ſuperbæ pa-
triæ excidium ex propinquo ſpectarent: taota quidem victoris immanitate, vt vrbs totius Ita-
liæ ampliſſima ac opulentiſſima, inexorabili diri Cæſaris edicto, vix ſeruatis ab iniuria tem-
plis, ſolo æquaretur: turritaque mœnia cum ædificiis priuatis omnibus & publicis, Circo, A-
rena, Theatroque conciderent. Acerbiſſimo quidem luctu tanti populi penatibus excedere
coacti: ſed ingenti nec iniquo finitimorum ſolatio, qui ſuas iniurias conſpecta hoſtium cala-
mitate vindicaſſeot. Id verò maximè crudele & contumelioſum fuit, quum vrbs euerſa fundi-
tus aratris proſcinderetur in agri ſpeciem, vt noo frugis, ſed ad ludibrium, ſalis ſemen accipe-
ret. Pari propè clade etiam hoſtiliter incumbens Cæſar Cremenſes, Cremoneoſes, Soncinates
afflixerat: quibus excitandis incendiis, exortum ſchiſma ſuas faces admouiſſe videbatur. Ha-
driano namq; defuncto, quum Alexander Senenſis eſſet ſuffectus, nec Cæſari impotenter inuſi-
tata indignaque iuſto pontifice poſtulanti quicquam concederet: vſqueadeo in eum iracundus
& ſæuus Cæſar concitatus eſt, vt vrbe Roma depelleret, & Victorem pſeudopontificem crearet:
conueotus Antiſtitum indiceret habereque, vt Alexandro tanquam adulterino, ſacroſancti iu-
ris poteſtas abrogaretur. Ea diſſeoſione diuioa humanaque Fridericus impiè perturbauit: tan-
taque vi tueri ſuam cauſam adnixus eſt, vt moriente Victore, nihil imminuta pertinacia Paſcha-
lem ſufficeret, & in huius defuncti tertius nomine Caliſtus, demumque Iunoceotius quarto lo-
eo ſubrogarentur: quum interim Alexander tantis iactatus fluctibus exul & inops, ſed integra
ſemper authoritate, ab Italia in Galliam, atque inde in Siciliam, & è Sicilia Venetias coofugiſ-
ſet: imploratis paſſim auxiliis à piis regibus, vt Reipublicæ Chriſtianæ immaniter dilaceratæ,
pereuntique maturè opem ferrent. Ea autem conſtantis & infracti pootificis felicitas fuit, vt
Cæſariani pſeudopontifices ab ſe legitimo iure execrati atque damoati, quanquam robuſto in-
tegræ ætatis habitu valerent, Deo magno vindicaote ooxam, ægri ſenis fatum anteierint. Fa-
uebant Alexandro duo reges Ludouicus Galliæ ſuo Pij cognumento dignus, & Gulielmus Si-
ciliæ, ea Chriſtianę Reipublicæ fœda labe commotus. Idem quoque pietatis ſtudium inerat Ve-
netis, quibus multo maxima Italię pars acceſſerat, isq; demum deteſtandę diſſenſionis finis fuit,
vt Otho Cæſaris filius in Hadriatico aduerſa nauali pugna à Venetis captus, occaſioné præberet
parandæ pacis. Friderico nanq; multis defatigato bellis, filij deſiderium, & vltoris Dei metus in-
ceſſerat. Itaq; pacificatore Ziano Venetorum principe, imperatorem ad pedes ſuppliciter prole-
ctum, pontifex pro foribus Marciani templi ritè expiauit, in gratiamq; recepit: ea conditione, vt
ſacro bello ſe deuoueret: quod tum Saladinus Ægypti Sulthanus Hieroſolymitano regi graue
bellum moliretur. Traduot ſcriptores, pontificem aoteactæ calamitatis ſuæ memorem, oſcu-
lanti pedem, contracta fronte, hoc Dauidicum carmen protuliſſe: Super aſpidem & baſiliſcum
ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: vt domitæ ſuperbi animi ferociæ nequaquam
humaniter illuderet: Ad quod Cæſar tam piè quàm grauiter reuidenti vultu reſponderit, Non
tibi, ſed Petro: tanquam hominé facile contẽnere, perſonæ verò digoitatẽ probè venerari vide-
retur. Cæterùm Cæſar Venetiis ſummis affectus honoribus, quũ in Germaniã rediſſet, pio gene-
roſoque

roſoque animo, lectiſſimum ex veteranis copijs exercitum coëgit, & quum Henricus filius conſenſu procerum Cæſar eſſet appellatus, & per Pannoniam & Triballos Byzantium contendit. Inde verò recreatis copiis, Emanuele Græcorum imperatore propinquo ſuo liberaliter commeatum præbente, præter Mæandrum amnem profectus, cum Turcis acerrimè bellum geſſit. Supremum verò eius operum fuit Philomela vrbs manu capta. Nam paulò poſt ad Iconium Lycaoniæ vrbem, quum Ferrei amnis perſpicuis vndis per æſtum inuitatus lauandi gratia alueum intraſſet, cæco abſorptus gurgite interiit: inſigni quidem illudentium Parcarum iniuria, quum vir fortiſſimus, & ſupra reges omnes bello inclytus, quem mille acies ſtrenuè dimicantem non abſumpſerant, natantem ignobilis torrentis vortex abſtulerit, pergraui vtique noſtrorum luctu, iacturaque, & ſingulari Barbarorum commodo atque lætitia. Delatum in Syriam cadauer Guido rex apud Tyrum exquiſito apparatu funeris, & marmoreo ſepulchro honeſtauit. Effigiem Ænobarbi Cæſaris Mediolanenſes in euerſam patriam remigrantes, marmoreo in arcu ſupra Romanam portam ſculpſerunt dracone ſtantis cruribus inuoluto, vt viroſi dirique hominis ſimulacrum perpetuò ſpectaretur. Ad eundem quoque oris & barbæ habitum altera ipſius effigies plurimum arridet, quæ in aurea bulla ſcitè expreſſa, appenſaque membranis priuilegiorum Piſanæ ciuitatis conſpicitur: ea fide collata, vt tertiam quoque eius ſtatuam ad Volturni pontem proximo Lotrechij bello baſe deiectam viderimus: quum ſumptuoſiſſimi operis turritus pons, à Friderico iuniore, huius Ænobarbi nepote, Sueuæ gentis regum imaginibus ornaretur.

ANTONII VVLPII.

Exciſe Italiæ cupiens penſare ruinas
Vel ſaltem in pulchra quærere morte decus,
Ænobarbe, Aſiæ fines irrumpis, & hoſti
Eripis auectas relligionis opes.
Inuidit cœptis Fortuna inimica ſecundis,
Nam dum te in nitido proluis amne, cadis.
Macte animis ingens Aſiæ digniſſime campis
In quibus illuſtres tot cecidere viri:
Hinc vatũ calamos & marmora & æra fatigas,
Hinc meritò clarũ annumerare viris.

GEORGII IODOCI Bergani.

Sæuus eram, mea me bellax audacia cœlo
Suſtulit aſtrigero,
Norica Pannoniis coniunxi ſaxa colentes
Fœdere pacifico,
Inſubres domui, & Danum parere coëgi
Legibus Imperij,
Europæ impoſui frænos, Aſiæq́; ſuperbæ,
Africa me timuit.
Ipſe tamen cuius vires animoſq́; feroces
Senſit vterque Polus:
Captus tenero nati deuinctus amore
(Ceperas hunc Venetus)
Non aſſueta iugo ſubmiſi colla ſupremi
Pontificis pedibus.
Et tandem Armeniæ merſantẽ flumine membra
Me tulit vnda rapax.
Indulgens nunc mater erat, nunc ſæua nouerca
Sors mihi non ſtabilis.
Dic igitur felix, miſer an, tibi iudicet hoſpes
Qui mea geſta legis.

PARTHENII PARAVICINI Nouocomenſis.

Te quoq; bellorum decus, & noua gloria Martis,
Armatos inter Proceres, & Numina belli
Seruant venturis Muſæa palatia ſeclis,
Et Iouius fama quæ doctis volumina mandat.
Nam, licet egregias vrbes, & maxima regna
Ceperis, & validum toties ſubieceris hoſtem,
Atq; etiã procul, inq; orbem tua ſigna remotũ
Protuleris: tamen hæc olim inuidioſa vetuſtas
Preſſerat, & ſecum rapidis immerſerat vndis,
Et vix vlla tui ſupereſſet nominis vmbra:
Ni clara Iouius donaſſet munere lucis.
Sic viſum eſt Superis iuſtos penſare labores:
Tu patriæ illius clades, ac diruta bello
Mœnia, & euerſas reparaſti funditùs arces:
Ille tibi meritiq́; memor, gratusq́; laborum
Extinctũ decus, et lapſum inſtaurauit honorẽ,
Digna quidẽ atq; æquãda tuis hæc præmia factis.

Farinata Vbertus.

FARINATA ex antiquiſſima Vbertorum familia, inter Florentinos optimates equeſtri dignitate, eximiaque virtute generoſi animi Florentiæ illuſtris, ab inſigni erga patriam pietate, æterno Dantis poëtæ præconio celebratur. Is per omnem ætatem ſeſe ciuilibus bellis exercuit, quum Florentiam, ſicuti & cæteras ferè omnes Italiæ ciuitates, idem peſtilens factionum morbus inuaſiſſet. Ab aduentu enim Ænobarbi Cæſaris, ſupra tot acceptas bellorũ clades, inducta erant Gibellinorũ & Guel-



phorum funeſta nomina, quæ horribili & diuturno quodam terræmotu, humana diuinaq; omnia concuſſerunt. Diductæ ſiquidem in partes inſana & crudeli diſſenſione ciuitates, Guelphi pro Pontificibus, Gibellini pro Cæſaribus, de potentia, dignitate, vitaque dimicabant: ſed longè omnium pertinaciſſimè Florentini. Gibellinarum autem partium Vberti ante alios nobilitate, opibus, viriſque præſtabant. Inter Vbertos autem vnus maximè excellebat Farinata, militarium ciuiliumque artium peritus, grauitate conſilij, & robore virium Guelphis metuendus. Pugnabatur in vrbe ſingulis in regionibus, tanta vtrinque per mutuas cædes rabie, vt multæ magnificentiſſimæ turriteq; Procerum domus, alternante vices Fortuna, miſerabili ſæuitia delerentur. In ea contentione Florentiæ in primis & ſingulis Italiæ vrbibus, Gibellino ceſſit Guelphus. Nam ea tempeſtate Fridericus ſecundus imperator Ænobarbi nepos Guelpharum partium opes, impotentibus armis proterebat. Itaq; Vberti egregiè vincentes, aduerſarum partium principes Adimarios, Bondelmontes, & Pactios ciuitate expulerunt. Sed Friderico demum in Apulia mortuo, vigenteque rurſus authoritate Pontificis, Guelphi aucti viribus, poſt deuictos fugatosq; hoſtes, Florentiam rediêre, dignitati priſtinæ reſtituti. Expulſus aliquandiu apud Senas Farinata, nihil ſua ſpe deiectus, quin moliendo ſatagendoq; hoſtibus quidem exitium, ſibi verò maturum in patriam reditum pararet: longè intentiore infracti animi cura, quàm cæteri exules, quòd audiſſet ſuas, totiusq; Vbertæ gentis magnificas ædes, non deformatas modò repentina ciuili iracundia, ſed publico decreto à fundamentis exciſas, tranſlatis marmoribus ad publicum opus, quo vrbs trans Arnum ad meridiem nouis mœnibus muniretur. In area porrò æquatis ruinis, ædificatum eſt è ſubruſo marmore præcellenti ſtructura, id quod adhuc admiramur inſigne Palatium Octouiralis & ſummi Magiſtratus ſedes. Infeſti erant Senenſibus Florentini

Guelphi,

Guelphi, quòd apud Senenſes Cæſariani nominis ſtudioſos, Gibellinis omnibus tutiſſimus eſſet receptus. Quamobrem Guelphi eorum agrum omnem, expugnatis aliquot Caſtellis, effuſè impunéq; populabantur, quòd exiguæ omninòque validò hoſti impares Senenſium eſſent copiæ. Tum verò Farinata peracri vir ingenio, vt qui conſiliis eorum admiſceretur, graui eloquentia Decurionibus perſuaſit, vt à Manfredo Rege propulſandis hoſtibus & vindicandis iniuriis, Germanorum equitum auxilia poſtularent. Manfredus ex concubina genitus, vt Conrado fratri legitimo adhuc impuberi Apuliæ regnum præriperet, (vt authores tradunt) ægrotantem patrem Fridericum, puluino in os coniecto immaniter ſuffocârat: dabatque enixè operam vel per ſcelus, vt ſeſe aduerſus propinquos præmuniret. In legatione Senenſium atque exulum eminebat Farinata, ſecundis ac aduerſis rebus in Italia clarus. Poſtulatis autem ita annuebat Manfredus, vt ſe non plus quàm centum galeatorum equitum alam, ſed eam inuictæ virtutis daturum polliceretur. Tum verò Senenſes, quòd ea manus exigua, & nihil omnino profutura videretur, id auxilium tanquam inane & ſumptuoſum repudiare cogitabant: indignati ſcilicet quòd Rex nouus nequaquam paterni ſpiritus æmulos, partes ſuas adeò negligenter tuendas exiſtimaret: niſi Farinata imperiti Regis incuriam ſtomachatus, aſtutè & grauiter nihil omnino opis quod Rex offerret, ſpernendum cenſuiſſet: modò regium vexillum cum ſuo inſigni furuæ aquilæ argenteo in campo alas extendentis, quod eſſet amicitiæ pignus ad terrendos Guelphos ab alæ ſignifero geſtandum daret. Hac, inquit Farinata, viri Senenſes parua manu ſi ſapimus, Manfredus vel nolens in partes trahetur, ſi, vti bene ominari licet, à numeroſo inſolentiq; hoſte, pauci atque præcipites Germani concidantur. Tunc enim negligentiæ ſuæ agnoſcet culpam, & pro ſua dignitate cauſam tueri, iuſtiq; roboris auxilia mittere cogetur. Dedit non alacriter modò, ſed cum faſtu vexillum Manfredus: Germani autem vbi cum Legatis Senas peruenerunt, Florentinos ad Petronellam habentes caſtra non ſemel adorti ſunt: ſed intra paucos dies, vti diuinabat Farinata, vſu euenit, vt quum Florentini ad Camoleam vſque portam excurrẽtes, Senenſium iuuentutem ad erumpendum irritarẽt, canente tuba Germani ad arma exciti, effuſiq; porta, hoſtes conuerſos in fugam vſque ad caſtra perſequerentur, in eaq; vehementi impetu multis cæſis perrumperent. Erant bene pranſi, meroq; & victoria calentes Germani, ob idq; adeò intemperãter terga vertentibus inſtabant, vt cruento grauiq; tumultu edito in media caſtra ad Carrocium vſque penetrarent: funeſto quidem audaciæ exitu, quum à circunfuſis vndique copiis reiecti primò, mox ad vnum omnes trucidati ſint. Vexillum autem Florentiam cum magno plauſu relatum populus victoria ferox, tanto ludibrio habuit, vt inuerſa haſta per vrbem euerrendis regionibus traheretur. Farinata itaque vno tempus ſolerter egit, vt Decuriones Manfredo perſcriberent, qua virtute Germani vel inconſultè erumpẽtes in hoſtium caſtra peruaſerint: quo terrore atque periculo & cæde Guelphorum mediis in caſtris dimicarint: & quanto deinque immoderatę fortitudinis conatu vt Aquilam defenderent, circunfuſa multitudine hoſtium, nõ inulti occubuerint. Illud verò Gibellinis omnibus ſupra lectiſſimæ alæ iacturam, miſerrimum fuiſſe, quòd Aquilæ vexillum à Guelphis fœdiſſimo ludibrio habitum, ſuſpenſumq; celebri in loco ad inuerſi trophæi imaginem Florentiæ ſpectetur. Quod procuidubiò ſi maiore Germanorum numero res geſta eſſet, ex pulcherrima victoria Florentino in foro eiectis Guelphis fuerit erigendum. Senſit acceptũ vulnus contumelia atque dedecore cumulatum Manfredus, accenſusque dolore & vindictæ cupidine, Iordanem propinquum ſuum bellica virtute illuſtrem, cum octingentis cataphractis equitibus in Etruriam miſit: quorum aduentu cognito, Guelphi Senenſi agro protinus exceſſerunt, eamq; vnam renouando bello occaſionem expectabãt, vt Senenſes ſtipendiorum graui ſumptu exhauſti Germanos dimitterent, quibuscum propter eximiam virtutis opinionem manus minime conſerendas putarent. Angebatur proinde animo Farinata, prouidebatq; Germanos exacto iam bimeſtri ſtipendio Neapolim breui rediruros; quum ad ſuas regreſſus artes, nouo aſtu viam inuenit, qua Florentini ad renouandum bellum elicerentur. Simulata enim perfidia ſuaſit cucullato Sacerdoti, vt rem longè gratiſſimam, ipſiſque magno futuram lucro Florentinis optimatibus ſuo nomine deferret: ſe diuturno exilij tædio, amoreque & deſiderio patriæ adductum, alieno eſſe animo à Senenſibus, quòd imperiti turbulentique homines Rempublicam peruerſiſſimè aegerent: propterea paratum eſſe cum exulum manu eam portam, quæ Aretium duceret, occupare, Florentiniſque prodere, ſi coacto exercitu, inſtaurato bello in conſpectum vrbis deuenirent. Nec mora, Octouiri re ingenti ſilentio ſuppreſſa, vt cucullatus Farinatæ nomine depoſcebat, conſcribendas copias, euocandaque ſociorum auxilia, & Carroccium educendum decernunt. Tanta autem animorum ferocia cupiditateque arma parata ſunt, vt nonnulli viri graues peritique militiæ, & in his Tegiaius & Aldobrandus, tanquam nimio plus Germanorum impetum metuentes, ab audaculis vaniſſimiſque popularium è conſilio, ſtrepitu & vocibus exploderentur, quum differendum bellum in id tempus cenſerent, quo Germani ab hoſte inopia pecuniæ grauiter oppreſſo, excluſi ſtipendiis dimiſſi forent, quòd eorum vim Italicus equitatus non niſi magno cum diſcrimine laturus eſſe videretur. Arriſit fortuna Farinatæ dolis, vt Guelphorum inſolentiam eluderet. Nam quum Florentini ad montem apertum, quinto à Senis la-

pide ſupra flumen Arbiam caſtra poſuiſſent, proditionis euentum expectantes, in eos vel numero ſuperiores, eductis copiis Iordanes impetum fecit, conſertaque longè omnium eius ætatis cruentiſſima pugna, vſqueadeò crudeliter lateque fuſos hoſtes cecidit, vt Arbia innumerabilium cadauerum tinctas cruore vndas traheret. Steterant enim ea in acie à Florentinis triginta milia peditum, & quinque equitum milia. Sed eius pugnæ mala ſors vehementer incidit Lucenſium, Pratenſium, Orbitanorum, & Bononienſium auxiliis: quũ Germanis, qui cæſæ ad Petronellam alæ parentare cupiebant, vel in deditos & captos ſæuientibus, occurriſſent. Pugnatum eſt propè ad interoecionem Guelphi nominis, pridie Nonas Septembris, anno à partu Virginis ſexageſimo ſupra mille & ducentos. Nulla omnino Florentiæ domus cladis & luctus expers fuit: corruiſſeque ciuitas videbatur, quum miſerabili eiulatu planctuque omnis ſexus, ætatis, atque ordinis cuncta complerentur. Optimates itaque & plebei Guelphæ factionis, deſperatis rebus ante victoris aduentum vrbe profugerunt: Iordanes verò intra paucos dies Farinatam cæteróſque Gibellinos in patriam reduxit. Conſtituta autem Republica, Guidoneque Nouello Iordani ſuffecto, quòd is reuocatus à Rege Neapolim redibat, Florentini Lucenſibus bellum intulerunt, quòd apud eos Guelphorum reliquiæ Tegiaio Aldobrando autore & duce arma reſumerent. Cæterùm Nouellus expugnatis aliquot caſtellis, cum Lucenſium exulumque exercitu proſperè conflixit. Eo in prælio Bondelmontes, cognomento Cicer, Guelphorum Princeps, crudeli caſu interfectus eſt. Hunc ereptum è media cæde Farinata in equi clunes ſuſtulerat, vt humaniter conſeruaret, parcebantque ei vel efferi hoſtes dignitate Farinatæ permoti: ſed Petrus Farinatę germanus frater, cui Aſinus cognomen fuit, vir atrox & ſanguinarius captiuo nõ pepercit, vt qui eum clauæ ferreæ ictu in tergo fratris occiderit: deteſtante id fœdum ſcelus Farinata, plurimùm indignante, quòd ſibi clementiæ laus immanitate fratris eriperetur. Nec Guelphi vel duabus attriti cladibus, animis ſe dimiſerunt: Commonebant enim ſe in Æmilia, & miſſis legationibus ad Conradum puerum in Germaniam, & in Galliam ad Carolum Andegauenſem, vndique Gibellinis & Manfredo bellum concitabant. Quibus cognitis rebus, Gibellini ad Emporium oppidum Piſanæ viæ impoſitum, vt de ſumma ſuſtinendi inferendique belli conſultarent, conſilium indixerunt. Conuenêre Aretinorum, Senenſium, Piſanorum, & Piſtorienſium legationes, itemque Vbaldini & Alberti in Apennino præpotentes, & ſanctæ Floræ Reguli Senenſibus contributi. Præerat concilio Guido Nouellus Mutilianæ Comes, è Guidonum Comitum gente: diſputabatur variis ſententiis de ratione confirmandæ potentiæ, quòd magnæ rerum difficultates deliberantibus occurrerent: cùm propter rumores Gallici apparatus, & Germanos in Manfredum concitatos, tum propter Turrianos Principes in Ciſalpina Gallia aliquot iam partis victoriis Gibellinos acerrimè perſequentes, Romanumq; Pontificẽ ex profeſſo Guelphos mirificè ſublenantem. Verùm ſuprà hæc conſultantium mentes grauiore metu perturbabant minores populi Florentini claſſes, qui ab inſito ſtudio Guelphum colerent nomen, & Gibellinum vel ſubactæ armis, pertinaciſſimè odiſſent. Iamque in id conſilium dictu ignobile, conceptuque ſummè ſæuum ac turpe ſententiæ inclinabant, vt diruenda Florentiæ mœnia, vrbémque nudatam monimento in vicos diducendam cenſerent. Non tulit diræ ſententiæ nomen vnus Farinata, proſiliensq; in medium generoſa pietate peracrique facundia contradixit: execratus degeneres crudelesq; eorum animos, qui nobiliſſimæ vrbis fœdo interitu lætaturi viderentur. Habeant, inquit, eam potiùs incolumem Guelphi, atque in ea dominentur, ſi ita fuerit in fatis vt victores euadant, quàm vt ſceleſti conſilij hoc immane decretum ferri patiar. Si veræ virtutis præmium incolumis patria, vti decet, ex æquo omnium parens, cui nemo, niſi degener & impius, manus intulerit: quando ipſe vnus ante alios vel exul, dum ſpiritus hos reget artus, acerrimè ſim defenſurus. Erat Farinata corpore atque animo ingens, elato ſupercilio, eloquentia adeò graui vehementiq;, vt pudorem fœderatis iniiceret: Florentinis verò ciuibus, qui aderant, præ gaudio lachrymas excuteret. Atque ita ciuitas aduerſus inuidiam & rabiem execrabilis decreti, ab vno, vt decuit, optimo ciue ſeruata eſt. Sed Farinata ingruentibus demũ Gallis, & Manfredo ad Beneuentum acie victo cæſoque, & Guelphis ex ea victoria Florentiæ reſtitutis: ab ingrata patria, quam ſeruârat, id præmium tulit, vt extorris Africani Scipionis exemplo in exilio moreretur: ſua quidem virtute non modò non infelix, verùm æſtimata laude maximè glorioſus. Contrà Aſinus frater ad Beneuentum cum Iordane captus, iuſſuque victoris Caroli ad Nicæam Prouinciæ in carcerem ductus, diu miſer, necatusque demum meritas ſæuitiæ ſuæ pœnas luit. Farinatæ effigies in porticu Pandulphinæ Villæ ad primum lapidem extra Fridianam portam, hoc cultu atque armatura, inter Florentinos antiquos proceres Florentiæ eleganter depicta ſpectatur,

HONORATI FASITELII.

Seruata per te patria quod tum maxime,
Sic quam miſera caſura fueras maximè:
Nunc optimo tu iure præter cæteros
O belli, & idem pacis artibus inclyte
Vberte, patria viuis tu ſuperſtite,
Viuesq́, dum viuent ſacri annales Ioui.

ANTONII

Tu præſtans liberte animo, tibi Dædala fandi
Vis fuit, heroiſq; Ithaci ſub pectore ſenſus.
Nā ſeu dextra haſtē quateres, ſeu fulmine linguæ,
Siue, aſtus Marte miſceres, fulmina fando
Priſcorumq; artes & robora Romanorum
Aequiparas, vario dum nutat Etruria motu,
Et patriæ inſanus dum fluctibus icta labaſcit.
At pietas tua lumq; cupido, & viuida virtus
Reddidit æternum, celſoq; euexit Olympo:
Cum ſeruas lacerandam vrbem, quā nil ab Eois
Pulchrius Heſperias oriens Sol cernit ad vndas.
Iure igitur. Latiæ Ionius noua gloria linguæ
Dat laudes, poterit quas nulla abolere vetuſtas;
Debet & ingentis Florentia Farinata,
Qui miſeram valida patriam tutatus aperto eſt.

Actiolinus Tyrannus.



ACTIOLINVS Patauinorum Tyrannus, portentum humani generis, hac obducta feralique fronte, hoc atroci pallore, hisque vipereis oculis, ſuam indomitæ naturæ toruitatem ſpirans, in Prætorio Patauij pictus ſpectatur: vnde nobis exempli tabula hæc in Muſæum relata eſt. Fuit is Saxonici ſanguinis à proauo Alberico auoque & patre Actiolinis, Italicæ ſtirpi ad horribilem ſæculi peſtem inſertus, ea tempeſtate, qua Otho tertius Cæſar in Italiam venit: eo ſuſceptæ coronæ exitu, vt ſuburbanas Romanorum delitias barbaro more ferro & flammis excinderet. Nauabat operam incendiario Cæſari ſuperior Actiolinus,

magiſterio Equitum inſignis: tuleratque ab eo militiæ donum in Euganeis oppidum nomine Romanum, vt inde nouus incola, hoc horrendum immaneque monſtrum progigneret: quod maximè funeſtam regioni cladem eſſet allaturum. Nihil enim hic diri nominis pronepos à progenie virulento ſanguine infecta degenerauit, vtpotè quem nulla humanioris vitæ conſuetudo, nullus auiti materniqúe lactis affectus, nullaque benignioris eius cœli clementia ab ingenita rabie furentem mitigare potuerint. Quanquam ab adoleſcentia honeſtè ac liberaliter educatus, bonæ maturæque frugis ſpem præberet, virque deinde factus ſecunda virtutis fama militiæ verſaretur. Adhæſerat Friderico ſecundo Romani Pontificis opes oppugnanti, & Guelphorum nomen in Italia proterenti. Sed Imperator à Parmenſibus graui dignitatis incommodo fœdè fugatus, & caſtris exutus, ægrè Cremonam è manibus hoſtium ſe receperat: quum ſortè in ſegni & longa obſidione munitis exiens caſtris intempeſtiuam ex Falconum aucupio ad Buxetum oppidum voluptatem quæſiuiſſet. Fuit Actiolinus ingenio peracuto, conſtanti, verſutoq; apprimè validus, corpori autem quanquam mediocri, ſingulisq; membris habilis inerat vigor, adeò firma explicataque neruorum compage, vt eques pariter & pedes armorum exercitatione, cunctos æquales anteiret, nec vnquam inedia, vigiliis, algore, aut æſtu frangeretur. Id verò in eo homine peculiare maximeque mirum fuit, momento temporis diuerſos commutari animi habitus quum vſus poſceret, geſtu, voce, oculis ementiri, alieni porrò animi latebras ſagaciſſimè perſcrutari, incredibilique ſimulationis artificio, vel penitiſſimos aſtutorum hominum ſenſus explorare. Vir enim ſuſpicioſus, vafer, inuidus, ſæuus & ſemper ad imperium anhelans, modò hanc, modò illam perſonam induere hiſtrionum more didicerat. Hos tradiderant mores auus & pater, vtpotè qui antea graues inimicitias cum finitimis & potentibus Patauinorum optimatium familiis ſuſceptas, per cædes, caſtellorumque incendia, aliquot annis exercuiſſent, ſimultate orta ex nuptiis adulterioque Cæciliæ Baoniæ, quam auus Actiolinus cognomento Balbus impudenti aſtu præreptam ſecundo Actiolino filio, cui Monacho cognomen fuit, in matrimonium dederat, quum Gerardo Campoſampetrio Patauinæ iuuentutis Principi deſponderetur. Trahebat enim ſecum dotali iure opulentam hæreditatem, qua Balbi animus auaritia repentè captus, turpiter adduci potuit, vt Gerardum contra ius arctæ propinquitatis inexpiabili iniuria offendere minimè vereretur. Erat enim Gerardus ex ſorore Balbi genitus, & de Cæciliæ ſponſalibus (vti decebat) auunculum conſuluerat. Itaque iuuenis inhumaniter perfidioſeque deceptus, ab iuſto dolore ad vindictam præceps, ita contumelias vindicauit, vt fœdo facinore concepto patratoque, Cæciliam poſt celebratas cum Monacho nuptias, fortè ad Aponenſes aquas euntem interceperit, mediaque in via intentato ad iugulum pugione ſi reluctaretur, vi illata conſtuprarit, non ad libidinem, ſed ſuperbo vltoreque animo, ad perennem Actiolinorum ignominiam. Eius abominabilis facti indignitas Actiolinos repentè armauit in Patauinos, quòd tanti flagitij iniuriam impunito Gerardo neglexiſſent, deditque initium diuturnis inuſitatisque cladibus: quibus præter nobiliſſimas totius Venetiæ vrbes, ſupra centum oppida caſtellaque diu vexata, & latè vaſtata à ſtirpe propè interierunt. Cæterùm Cæcilia quanquam incorrupta animo, vti tamen polluta corpore repudij pœnam tulit, eaque propinquis remiſſa. Monachus nouas nuptias fecit cum Adeleida Etruſcæ nobilitatis ex Mangania domo in Alpibus illuſtri. Hoc ventre infauſto, hocque diro ſemine editus eſt tertius, eiuſdem nominis Actiolinus, de quo loquimur: ab aliquo (vt credi par eſt) prodigioſo malignorum ſyderum concurſu, animi ſæuitia tyrannus Phalari, Dionyſiis, atque Neronibus anteferendus. Balbo auo morte erepto, & patre Monacho ad quietiorem vitam ſecedente: Actiolinus ex ea cruenta ſimultate armis vehementer exercitus, integrum bellum priore acrius atq; crudelius renouauit, tantaque vi quum in omnibus oppidis atque vrbibus factiones excitaret atque aleret, vt Patauio, Vicentia, Verona, Taruiſio, ex ciuili diſcordia potiretur. Erant ei copiæ equitum & peditum perpetuis inueteratæ bellis, & quod magno vſui fuit, fide, ſtudioque partium ſibi addictæ: quibus acceſſerant Saracenorum alæ formidabiles, Germanorumque cohortes, & turmæ eximiæ virtutis, quas Fridericus Imperator ei attribuerat, tanquam Gibellinæ factionis Principi, atque impigrè tuenti Cæſaris nomen. Has vt aleret vniuerſas ciuitatum fortunas in fiſcum redigere: opulentos ciues damnare atque proſcribere: fana donariis ſpoliare: ſacros templorum reditus intercipere: & neminem denique qui pecunia, authoritate, clientelisque valeret incolumem pati erat ſolitus. Ingenio ſiquidem audaci, auaro, impenteque impio, & nunquam cædibus ſaturato, dum odium letale omnibus latè extenderet, ita euaſtarat florentiſſimas vrbes, vt quum aduerſarum partium ſibi ſuſpectos ſuſtuliſſet, in Gibellinos demum amicorumque præcipuos, ac intimos familiares immaniſſimè graſſaretur. Aedificarat ſingulis in vrbibus atque oppidis carceres tenebris horribiles, in quos inulſorum agmina contruderet, vt inedia miſerabilique illuuie, tetro odore & lurido ſqualore enecti, in compedibus & robore crudeliter interirent: putreſcentiumque cadauerum immenſo fetore cæteris pallentibus exoptata mors contagione & metu acceſſeretur. Nam ea truculentia erant cuſtodes, vt niſi ex menſium interuallo carceres ſtercore præalto, & multa putidorũ cadauerum

ſanie

ſanie redundantes repurgarent, & cumulata inter ſemianimes enectorum corpora, vncis extraherentur. Nuſquã vel ſpatioſiſſimi carceres accumulatos etiam in ſtrues captiuos caplebant, non tortorum atq; carnificum numeroſæ manus edendis cruciatibus, expediendisq; laqueis atq; ſecuribus ſufficiebant. Viui homines in fruſta laniorum cultris ſecabantur. Cateruatim alij longa ſerie deligari ad palos, circumuentiq; flamma torrebãtur. Quod verò inauditæ crudelitatis fuit, capitale erat tortori atq; carnifici maturaſſe ſupplicia, vt vita per articulos, momentaq; temporis ad longos cruciatus extenderetur. In eos autem vel inſontes, quos neci deſtinaſſet, tanquam minoris criminis delatos, ita ex ſumma ſæuitia fictæ clementię laudem quærebat, vt monoculos, vnipedes, & vnimanos dimitteret: poſtremò lugentibus ſuorum funera, vt lugere deſinerent, oculos eruebat: ex pauore circumſpectantibus fugam, vt viæ labore liberaret, amputabat pedes: alienæ porrò calamitati libera voce indolentibus, ne diu vociferarentur, linguam præcidebat. Delatores quoq; ipſos negligentię incuriæq; damnatos, quũ damnandorum nomina deficerẽt, ductos in prealtam turrim vt certius ſpecularentur, atroci ludibrio, ſed merita pœna, in foſſam præcipites dabat. Immenſę autem humanitatis arbitrabatur, damnatorum atq; exulum vxoribus & liberis ea conditione vitam condonaſſe, vt fœminis deciderentur mammę, mares verò ad non dubium inimicę ſubolis interitum caſtrarentur. Per hunc modum nuſquã remiſſa atrocis animi ſæuitia, ſed indies rediuiua feritate debacchantem, ſupra triginta millia omnis generis ſexus, ætatisq; hominum, teterrimo ſupplicio ſuſtuliſſe, eorum temporũ ſcriptores tradunt. Iamq; immanis bellua inſatiabili ingluuie vorax, immaniq; ſanguinis ſitibunda, Mantuę, Brixię, Mediolano, & cunctis Italię vrbibus inhiabat, deuoraſſetq; proculdubiò, niſi Romani Pontificis Legatus, Actiusq; Areſtinus indomitam feri monſtri rabiem victricibus armis infregiſſent. Innocentius enim Pontifex Actiolinum antea Friderico Cæſari impiè operam nauantem ob idque ſacris interdictum, tanquam Dei diuorumque numina contemnentem, furiis infernalibus deuouerat. Itaque numeroſo coacto exercitu, & poſitis ad Patauium caſtris, vrbem munitiſſimam Anſediſio Præfecto fruſtra propugnante fortiter atq; feliciter expugnant, captiuosq; innumerabiles effractis tot carceribus propinquæ neci ereptos, libertati patriæq; reſtituunt, incomparabili Patauinorum lætitia, acerbiſſimoq; dolore tyranni, qui tum aberat, capiundæ Brixiæ intentus: adeò pertinaciter hærens, vt Patauio tantis obſeſſo copiis, vehementiſſimeque oppugnato, nihil omnino timendum, nec ferendam opem decerneret: ne irrito incœpto abſceſſiſſe videretur. Verùm eo nuncio perculſus percitusq; ira, motis caſtris incredibili celeritate Patauium aduolat, exultantem victoriã, imparatumque hoſtem oppreſſurus. Sed Actius peritus belli, & naturę hoſtium gnarus, irruenti prouocantiq; ad prælium tyranno, obſtructas portas, munitaque defenſoribus mœnia obiiciens, ſalubri patientia, furentis impetum fregit, & eluſit. Deiectus itaq; ſpe eliciendi ad pugnam hoſtis, gemens & fremens retrò vertit iter ad Vicentiam atq; Veronam, quibus in locis Patauinos omnes cuſtodia eductos, reliquum ſæuitiæ ſuę venenum effundens, variis tormentis excruciat & interficit. Nec multò pòſt initis fœderibus cum Vberto Pallauicino, Cremonenſium & Placentinorum dominatu potiente, iterum Brixię caſtra admouet: nec in eo terrore implorantibus opem, Brixianis Legatus deeſt. Verùm Fortuna optimę cauſę ita inuidit, vt Legatus ad Marcariam vicum circumuentus inſidiis, & tumultuaria pugna profligatus à tyranno caperetur, & Brixiani ab ea clade metu conſternati portas aperirent, Guelphiq; Pontificio nomini fauentes, aut ſupplicio, aut exilio mulctarentur. Actiolinus tanto ſucceſſu elatus Vbertum victoriæ ſocium (vti in fatis erat) dominatu conſortem nõ diu tulit, eumq; ſuperbus & inſolens cõtra ius initæ pactionis Brixia excedere coëgit. Is contumelia incenſus cum Boſio à Donatia vetere inimico, quòd opibus potẽs in vrbe Cremona principatus eſſet æmulus, ad Actiolini perniciem vires ſenſusq; coniungit. Diſceſſerat enim ab amicitia tyrãni Boſius paribus iniuriis iniquiſſimè laceſſitus. Nec mora, ſyncera fide coniuncti, Actium Ateſtinum è Ferraria euocant Brixellum, & cum eo in Actiolinum coniurant: Martinumq; Turrianum Mediolani regnantem admonent, vt diligentèr ab Actiolino caueat, atque arma paret: ſe enim nulli occaſioni defuturos, vt communem hoſtem cunctis inſidias molientem, coniunctis copiis circumſiſtant, & opprimant. Actiolinus per eos dies conſpirantibus ſecum Inſubrũ Patritiis, quos Turrianus inducto popularium dominatu, in exilium egerat, in id conſiliũ totus incumbebat, vt Mediolanum improuiſò adortus inuaderet: reductisq; patritiis, & pulſo Turriano Pontificij nominis ſtudioſo, debilitatas iam pridem iacentesq; Cæſarianas partes erigeret. Oppugnabat tum Vrceos oppidum, & coniurati hoſtes de Vrceanorum ſalute ſoliciti, coniunctis copiis à Soncino ad eum ferebantur. Turrianus quoq; Carrocio cum legionibus vrbe educto, Abduam ponte conſtrauerat, vt mutua tranſeundi amnis facultate propoſita, ad ſocios tranſire, aut eos (ſicuti vſus ferret) ad ſe recipere commodè poſſet. Quo hoſtium conſilio cognito, tyrannus inuitatus ab exulibus, & vadum in amne monſtrantibus, nouum fataleq; ſibi conſilium arripit traiiciendi amnis, vt improuiſò Turriani pontem inuadat, & occupet. Adiuuat vim repentini impetus Fortuna, Turrianiq; præſidium prima irruptione deiicitur, quòd Inſubres nihil hoſtile in ſua ripa timendum putaſſent: vtpotè qui vlterioris ripæ propugnaculum ponti impoſitum, maiore cura & vigilantia tuerentur. Repentino

itaque terrore perturbati, à fronte primò & mox à tergo tumultuoſiſſimè profligantur, victoriq; pontem relinquũt. Is ſubitario aggere nouoq; præſidio vtrunque pontis caput firmat, effuſoſq; per agrum, ferro ac flammia cuncta peruaſtat: fruſtraq; tentata Modoëtia, se in cenſis ſuburbanis tectis, ad Sextum vſque vicum excurrit: præmiſſis Saracenis, qui ab inuſitato cultu genereq; armorum & barbaro clamore terribiles, Mediolani portis terrorem admouerent: eo quidem aſtu, vt Martinum longius ab vrbe abſtraheret, ipſe autem diuerſo itineris flexu Mediolanum aduolans, Cæſarianis introiſus prodendæ portæ ex ſuo aduentu occaſionem aperiret. Sed Martinus nequaquam temerè progreſſus, ſuſpectanſq; inſidias, & vim pugnaciſſimi furentiſq; hoſtis deuitans, militũ ſuorum audaciam atq; auiditatem conferendæ pugnæ grauiſſima obteſtatione cohibebat: munitiſq; caſtris intentus hoſti pariter atq; vrbi cuncta circum explorando, cunctabatur. Nec oblatæ occaſioni ad rem bene gerendam deſunt Actius, Vbertus & Boſius Mantuanorum auxiliis confirmati: extemplò enim conuolantes ad ponte, eum magna vi, & pari celeritatis ſucceſſu, quo amiſſus fuerat, trucidato Actiolini præſidio recuperant. De ea re fortiter atq; feliciter patrata per nuncios, Martinum docent, hortanturq; vt prælio tantiſper abſtineat, ne explorata de intercluſo hoſte victoria militum temeritate corrumpatur, quando tyrannus ſine vulnere debellandus, offerri certo exitio videatur. At Actiolinus ad primum amiſſi pontis nuncium, vertentis ſe Fortunæ vultum agnoſcens, nequaquam animum deſpondet, aduolatq; ingenti curſu ad ponte, vt eadem vi celeritateq; bis captum recuperet. Sed peritiſſimi rei bellicæ hoſtium duces lunatam munitionem, vſi ſingulari ſtudio laboreq; militum ad pontis caput erexerant. Eam vehementi cruentoq; certamine edito, quum tyrannus acerrimè dimicans perrumpere conaretur, ei verutum ſcorpione adactum in imo crure pedem transfigit. Saraceni Germaniq; in primis & reliquæ copiæ, multis acceptis vulneribus repelluntur. Nec tamen ſeſe deſerit tyrannus, nec dolore vulneris, nec ſupremi diſcriminis metu ſuperatur: indeq; conuerſis ſignis, ad vadum, quo tranſierat, inſtante iam tergis Turriano ſe proripit. Multi ſuorum profluentis vorticibus abrepti perierunt; ipſe alto generoſoq; vectus equo, ita in ripam euaſit, madefacto vulnere ſeptuagenarius ſenex exorto intolerabili rigore quateretur, & quod indomiti ſpiritus virum peruincere poterat, hoſtium antecurſores ad ſe opprimendum prouolantes conſpiceret. Per hunc modum à tergo premente Turriano, & à fronte noui hoſtis occurſu pulſus & latè profligatus, cum paucis ſe fugæ mandat Brixiana via. Sed euadentem Vbertus & Actius cum expedita equitum manu conſequuntur & capiunt. Is Vberto non multum antea amico, atque eiuſdem factionis, quàm Actio veteri & implacabili hoſti ſe dedere maluit. Eo modo exutus armis, ignobiliq; equo impoſitus ad Boſij tabernaculum perducitur, à quo humaniter reputatione tantę calamitatis ſuſceptus eſt. Sed quum ferox animus obligandi vulneris faſcias, & cuncta vitæ alimenta obſtinata feritate repudiaret, nec vllas vt bene ſperare vellet preces admitteret, dentibus infrendens, contumacique ore defixis ſolo oculis ſpectabatur. Tantus autem erat militum concurſus, vt magno ludibrio ſingulis pene inceſſentibus, latro impius, & tortor, & carnifex crebrò appellatus, incondito circumfuſæ ad tabernaculum turbę, clamore & fremitu ad ſupplicium depoſceretur. Itaque Duces vrgentis iam coronæ violentiam veriti, eum ſpectaculo repentè ſubtrahunt, intempeſtaq; nocte lecticæ incluſum ſub cuſtodia Soncinum deuehi iubent. Nec multò pòſt in eodem pertinaci obdurantis animi decreto execrabilem animam exhalans, meritos cruciatus, quos feruida ira exulum ſtruebat, indignabundus effugit. Verùm Albericus Taruiſinorum tyrannus nequaquam virtute bellica, ſed naturæ immanitate Actiolino fratri comparandus, pro ſe fratreque cumulatas ſcelerum pœnas perſoluiſſe viſus eſt, quum Taruiſio pulſus, & in Zenonis arce obſeſſus, & captus, vxores filiasq; in oculis viuas comburi, filios membratim diſſecari, ſeſe demũ diu tortum, attractumque pedibus equorum iugis, per ſalebras & vepreta, ad necem raptati, lauiataque membra feris atque volucribus deſtinari, omnium miſerrimus ſpectârit.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Sylla, Nero, Caius, Marius, Mezentius: his tu | Azoline, ipſo & ſenior es Phalari.

Martinus Turrianus.

TVRRIANAE familiæ nomen Belgicæ ſtirpis fuiſſe annales tradunt, quòd Tacius Regulus opibus potens in Saxina valle, quæ eſt ſupra Larium lacum, argentifodinis clara, geminos externos fratres ſibi generos aſciuerit: datis in matrimonium geminis filiabus, quibus totius patrimonij hæreditas nomine dotis obueniret. Erant Belgæ iuuenes bellica indole honeſtiſque moribus & gentis proſapia clari. Cæſarum enim ſequentes caſtra, pro inſigni gentilitio, Turrem in ſcutis depictam geſtabant, ex cuius feneſtris haſtæ geminæ ſingulis aureis liliis ferreæ cuſpidis modo præfixæ, ad vexilli ſpeciem protenduntur. Ab eo ſcutorum argumento Turriani ſunt appellati. Hoc ſanguine progenitum ferunt Martinum

num ſuperiorem, quem ab inuſitata corporis atq; animi magnitudine, Gigantem appellabant. Huius eximia virtus Sacro bello ſæpius ſpectata, eum habuit vitæ exitum, vt ad Antiochiam à Barbaris captus, omnibusque exercitatus tormentis beatorum martyrum exemplo, cæleſtis vitæ felicitatem ſit conſecutus, relicto Iacobo filio, qui numeroſa prole præſtantiſſimorum iuuenum felix, Paganum & hunc de quo ſcribimus M A R T I N V M glorioſi aui referentem nomen genuit. Paganum paulò antea virum excellenti virtute prudentiaque Mediolanenſes ciuitate donauerant, honoreq; præturæ auctum, publicis conſiliis præfecerant: quòd multa cum laude liberalitatis & pietatis ipſorum copias à Friderico ſecundo Cæſare cruenta acie profligatas ad ſe recepiſſet, ſingulariq; benignitate, omni humana ope adiutas fouiſſet. Is autem ita geſſit Magiſtratum, vt nemo temperantiâ, æquitate, atq; induſtriâ potior videretur. Hoc tenore conſilij moriens Paganus, Martino fratri ad ſummam potentiam iter muniuit. Erat Martinus ingenio perſpicaci erectoq; ad laudem, & imperij maximè cupido, & (quæ erant ad id opportunæ artes) multa ciuili prudentia & aſtuta lenitate temperato. Volebat enim exiſtimari popularis, dum ſuſcepto mediæ ciuium claſſis & infimę plebis patrocinio, nobilitatis ſuperbiam, ſpecie liberalitatis atq; ſuperbiæ contunderet. Paulum ſiquidem Sorecinam Optimarium principem, eiusq; ſectæ aliquot ciues opulentos, quòd immodici prægraueſq; eſſent populo, vrbe eiecerat, bonisq; multârat: & quod maximè potentium fregerat ſpiritus, Leoni Perego Mediolani Archiepiſcopo, quòd is è Patritijs ad eum honorem eſſet euectus, alterum è Septaria familia commendatione plebis oppoſuerat: perſequebaturq; iam apertè nobiliſſimos quoſq;, & præſertim Gibellinos: verùm id diſſimulanter: nam eorum magnus erat concurſus ad Othonem Vicecomitem, qui Pontificia authoritate creatus Archiepiſcopus, aduerſus duos pſeudo-Archipræſules ſacri Imperij ſui ſedem & patriam armis repetebat, ea infracti animi perſeuerentis, vt ſæpe acie victus, tanquam optimæ confiſus cauſæ, bellum ſingulari alacritate renouaret. Cæterùm Martinus eum occupata ad Verbanum Arona, copias promouentem, commiſſa pugna profligauit: magno quidem detrimento Patritijs exulibus illato. Hic eſt ille Otho, qui ex ſacerdotij contentione quinquies à Turrianis repulſus, poſt viginti annos victis acie, captisq; eius familiæ Principibus ad Decimum vicum, in Vicecomitum domo Mediolanenſis imperij fundamenta iecit. Exinde Martinus proſtrata, aut redacta in ordinem Inſubrum nobilitate, ita Principis munia vſurpabat, vt prætoria poteſtas ad non obſcurum tyranni nomen tranſiret. Idcircò vitandam ſibi inuidiam ratus, egregiè ſimulando partitiorum ordines æquioris & tranquillioris ſtatus ſpe ſuſtentabat. Ne verò infenſus optimatibus videri poſſet, vetuſtiſſimæ ſtirpis familias per connubia Turriano ſanguini inſeruit: Ex Caſtellionea ſcilicet gente, Biragaq;, & Puſterlea delectis vxoribus. Callebat enim artes confirmandi Principatus, & captandæ popularis auræ: Nam ad has oportunè quæſitas affinitatès acceſſerant faciles aditus, miraq; patientia in audiendis diſſoluendisque improbæ & ſemper ineptæ plebis querelis: & Turriana domus cuiq; expoſitia penuarijs copijs liberaliter adaperta. Quod verò tuendæ popularitatis intererat, publicè etiam epulum dare, & ſpectacula decurrentium equitum, honeſtaq; exercendæ iuuentuti certamina propoſitis præmiis, & magnifico apparatu edere erat ſolitus. Quibus etiam ludis per ſolemnes feſtos dies, vt populi mentes ad religionem reuocaret, Chriſtianæ hiſtoriæ actiones intermiſcebat, diuorumq; Martyrum exempla perſonis Comico & Tragico more decentiſſimè repræſentatis. Quo ſimulationis artificio collecta ſenſim gratia, confirmataq; authoritate, non obſcurè ad principatum euectus eſt: tanto omnium ordinum ſtudio, vt Populi defenſor, Pater patriæ, Prætoriæq; poteſtatis Dictator perpetuus vocaretur. Sub id tempus nobilitas ferè omnis, ſo primisq; proceres Gibellinæ factionis extorres & profugi ad Actiolinum confugerant, Cæſarianarum partium Principem, impotentemq; execrabilis ſæuitiæ tyrannum, vt eius opere reducti in patriam aduerſarios Mediolano pellerent. Itaq; Martinus exploratis hoſtium conſiliis, ſociis ad capienda arma excitatis, & populo multis concionibus ad tuendam libertatem concitato, Carrocium & legiones, equitatumq; omnem ſub ſignis eduxit. Actiolinus autem qui ſuperato Abdua igne ferroq; obuia vaſtabundus, inceſo Tririo, Vicomercatoq; direpto, ad Sextum oppidum excurſiones fecerat, vbi Carrocium educi, ſecus ac putarât, nec longè abeſſe Martinum didicit: retro vertit iter ad Caſſianum. Nam in tergo aduentare nouos hoſtes audiebat. In vnum enim coierant Actius Ateſtinus à Ferraris, Vbertus Pallauicinus à Placentia, Boſiusq; Douarienſis à Cremona, qui præmiſſo equitatu, pontem quo tyrannus tranſierat ad Ripaltam occupârant. Itaq; premente Martino, duplici terrore ancipitiq; periculo circumuētus, ſupremum temeritatis ſuæ conſilium ſumpſit tranandi amnis, vt in aduerſam ripam, quòd vadum ibi reperiretur, cū equitatu ſe proriperet. Sed dum tranſit, verutum ſcorpione adactum pedi incidit, grauatusq; eo vulnere ſeptuagenarius ſenex, vltrò citroq; Abduam trucidatis eius copiis, viuus in hoſtium poteſtatem venit. Nec multò pòſt truculenta obſtinatione repudiatis remediis atq; alimentis ferino cū gemitu accerſita morte, meritos ad pœnam ſuæ immanitatis cruciatus effugit. Ab hac victoria Martinus clarus magnusq; habitus, cuncta ad arbitriū Mediolani moderari, & Principem agere cœpit: Ita vt magnificentię operum ad alendam plebem plurimùm ſtuderet,

ædificatis ampliſſimis ædibus in regione Nouæ portæ, & ad publicam commoditatem excepta Ticini amnis parte, quæ iuxta Abiatum oppidum nauigia ad Ticinenſem portam perducit. Id emiſſarium ſumptu cum antiquis operibus comparandum, ingentium lintrium eſt capax: incredibilemq́ue importandorum ex agris fructuum facultatem, cum voluptate hibernæ ac æſtiuæ nauigationis, ad perennem Martini gloriam hodie præbet. Sed Turrianas ædes laxitate, viridariis, & præcellenti ſtructura pulcherrimas, Otho victor, iuſto (vt ille putabat) dolore compulſus, ſolo æquauit: tanta exacerbati animi rabie, vt in ruinis diuo Ioanni decollato Templum conderet, dicaretque ad ignominiam damnati ſoli, ſepulturæ ac inferiis noxiorum hominum, qui tetro affecti ſupplicio, è furcis ad id infame ſepulchratum perpetuò deferrentur. Inexpiabile ſiquidem odium ſibi concitârant, dum ſuperbè rerum potirentur Napus atq; Franciſcus fratres, quòd acie ad Angleriam victores, captis viginti duobus Patritiis, & in his Theobaldo Magni Matthæi patre, Othonis fratre genito, capita attracta crinibus, ad plauſtri temonem ruſtica ſecure crudeliſſimè detruncaſſent. Regnauit Mediolani Martinus annos quatuor poſt partam de Actiolino victoriam, ſua virtute, ac immenſo populi fauore glorioſus. Obiit non planè ſenex, elatuſq́ue ciuium humeris ad Claræuallis Cœnobium, ſepulchro maiorum illatus eſt. In quo eius effigies ſub abſide marmorei fornicis depicta, hodie etiam incolumis ſpectatur, in purpura & pileo armelinis pellibus ſuffulto, vt tum erant ſummi Magiſtratus inſignia. Sed Martinum illuſtri prudentia inſignem, non multò pòſt longè clariſſimum fecêre Philippus & Napus ſucceſſores, quum ille fraternæ potentiæ hæres, immodico Principi tyrannoq́ue, quàm Prætori propior eſſe maluerit: hic verò bello acer, paceq́ue intolerandus & atrox, ſeſe & familię fortunas omnes Decumana acie victus euerterit.

ADAMI FVMANI.

Ruebat Eccelinus acer Italus
Fretus tremenda militum ferocia
Tremendus ipſe diritate barbara
Vrbem ſuperbam, maximam, perlucidum
Sydus, togata vt perdomaret Galliæ
Tyrannus Eccelinus ille peſſimus,
Illud Deo atq; hominibus infeſtum caput,
Quotquot fuêre, quotq́; ſunt, quotq́; vnquã erunt
Longè tyrannus omnium teterrimus:
Ab corde cuius exularat funditus
Fas, ius, pium, rectum, pudorq́;, æquũ & bonum,
Qui tenera membra paruulorum ab vbere
Matrum reuulſa, diſſecare per ſcelus
Mucrone duro, fuerat ipſe durior.
Quin (proh nefas) & mulierum prægnantium
Exenterare amabat (ô dirum nefas)
Exenterare amabat aluos impius
Horrente ſcalpro: te nihil mater verent
Lucina, inſtu quæ vocata partubus
Nitentium audis pia lacrymoſas preces.
Quæ ſæpe ſæpiuſq; repetita, illius
Nunquam feroces ſpiritus, nunquam feri
Duriſſimum mollire pectus quiuerunt.
Et hoc Patauii nouit alma ciuitas
Vicinaq́; illi fertilis Vicentia
Tuq́; vrbs frequens, vetuſta, magna, nobilis,
Verona mater vrbium pulcherrima
Nouiſti, & ante tu beata Brixia,
Tum facta ab illo vrbs omnium miſerrima.
Ruebat Eccelinus acer Italus
Qualis ſonantis vis coruſca fulminis,
Cum Turrianus ecce vir fortiſſimus
Martinus, indignatus vt ſpumans aper
Lucanus, aut Sabellus, aut Libys Leo
Getula pubes quem veruta perpulit
Exire notis ſaltuum receſſibus
Clamoſa pubes, & Numidicorum canum
Animoſa vis latratibus ſæuis feris,
Cum colla & armos veſtientibus iubis,
Cauda flagello identidem graues ſibi
Villoſa terga verberans iras ciet,
Secumq́; cæco murmure dubitat ferus,
Quæ prima mordens obterat venabula:
Sic ille, acerba vt ſeruitutis imminens
A ciuibus propelleret iugum ſuis,
Formidoloſo & ipſe cinctus agmine,
Virtute fretus exilit mirabili
Semi incitatus obuiam acerrimo,
Primaq́; pugna vulnerat, viuum capit,
Aſportat, inque clauſtra cæci carceris
Contrudit, vbi poſt dirus is, diris modis
Squalloreq́; ac pedore tetro, peſſimis
Suis ſceleribus debitas pœnas luit.
Quo peruagante tam beato nuncio
Latè per agros Italum, perq; oppida,
Paſſim puellæ virgines ductu choris
Læta canebant voce tinnula ſimul,
Martine Turriane, Martine inclyte,
Tu liberator vrbium, tu Patriæ
Seruator extitiſti, & omnes omnium
Laudes tuliſti: nempe noſtra tu omnibus
Nobis dediſti habenda, cum nefarios
Latronis auſus contudiſti, & omnibus
Mentem addidiſti ciuibus trepidis tuis:
Tibi & mariti coniuges, & coniuges
Debent maritos, atq; vtriq; liberos,
Debent parentes liberi tibi quoq;,
Tibi nos pudicitiam, tibi decus, tibi
Noſtram incolumitatem, tibi iam denique,
Nos noſtraq́; en debemus hæc tibi omnia.

Sarra Columna.



HOC toruo ſubagreſtiq; vultu SARRA Columna præclarũ maximè generoſi infractiq; animi ſpecimen prætuliſſe videri poſſet, quũ Bonifacium Pontificẽ probè vltus, peractis iniuriæ contumeliã, vel nefario auſu vindicauit: utſi meritò ſecundoq; euentu patrati tanti facinoris integra laus, ſpretæ ac immaniter violatæ religionis infamia premeretur. Quid enim æquo iure vel atrocius admitti, vel ſceleſtius cogitari potuit, q̃ ſacrorum principẽ diuinitatis opinione vniuerſis gentibus religioſiſſimè venerandum inſidioſis oppugnare armis, ſacrilega manu capere, & dira crudelitate ad mortem redigere? Nulla ſiquidẽ dicta factáve in Pontifice, quantumlibet factioſo, impotẽte, auaroque, diuini iuris authoritatẽ, & vim ſacroſanctæ poteſtatis elidunt, & eleuãt. Nam vbi ſemel conſecratus, & nouo deſumpto nomine luſtratus eſt, Paſtoralemq; lituum præfert, ac in eius deraſo atq; ſacro capite gemmatus apex refulget, tanquam exuta humanitate, auguſtus & planè diuinus efficitur. Inuaſerat Pontificatum Bonifacius, peruerſa ambitione præceps, Cæleſtino miris vſqueadeò artibus infatuato, deceptoque, vt vir ille ingenij captu ſimpliciſſimus, humanarumq; imperitus rerum, & religioni impenſè deditus, Pontificatu ſe abdicaret, priuatæ (vt aiebat) tanquam ſanctioris vitæ deſiderio, poſtquam tanti principatus ferendo oneri ſe imparem fateretur: & reſumpta cuculla ad ſyluas & ſpecus Gargani montis, ad contemplationem diuinorum operum contenderet. Itaque voto ſuo potitus Bonifacius intra pauciſſimos dies, prenſando largiendoque in vacuam ſedem irrepſit, renunciatusque Neapoli Pontifex, Romam ſe contulit. Quum verò diadema triplicis thiaræ ſuſcepiſſet, ante omnia atroci concilio operam dedit, vt Cæleſtinus ſacro ſeceſſu eductus, in carcere Fumoniæ arcis necaretur. Integer enim vitæ, ac omnis ſceleris

impollutus, quòd è tanto faſtigio religionis amore, in eremum ſe demiſiſſet, admirantibus cunctis pij animi decretum, tantam conceptæ diuinitatis opinionem fuerat conſecutus, vt à vicinis primò, & à remotioribus demum populis inuiſeretur, & plerique ab eo vel occurſus & colloquia deuitante, delictorum expiationes, & rerum futurarum oracula depoſcerent, & iam pro ſancto gliſcente diuinitatis fama coleretur, Veſtiniique nonnulli primores reducendum in ſuam ſedem cenſerent, quàm impudenti ambitu verſutus impoſtor, pro optimo atque innocentiſſimo damnatis artibus inuaſiſſet. Emanârat enim in vulgus qua malignitate aſtutæ ſimulationis, quo nefario ambitu, cum Carolo Rege & Senatoribus eſſet tranſactum, vt Cæleſtinus deceptus & proditus Pontificatu deiiceretur. Per hunc modum Bonifacius acri cura & vehementi metu liberatus, vſqueadeò ſuperbè ſuſtulit animum, vt quum genere illuſtris, & erecto præſtantique ingenio pollens, & diuini iuris intelligentia clarus haberetur, in adminiſtranda Republica imperioſo & factioſo Principi, quàm æquo, & temperato Pontifici propior euaderet. Metui ſiquidem quàm amari, ac adorari potius quàm coli & ſuſpici malebat. His moribus Pontificatum gerens, grauem primò ſimultatem, & mox aſperrimum bellum cum Columnenſibus Romanæ nobilitatis Principibus contraxit, quòd eius familiæ duo Cardinales Petrus atque Iacobus, Ioanne ſummo ciue geniti, ſæpe in ſenatu libero Romanoque ore loquentes, ab eo grauiſſimis in rebus ſententia diſſentirent, vt priuati nominis ſui decus, & totius familiæ clientelas tuerentur, aduerſus eum Pontificem, qui Chriſtianæ æquitatis oblitus, & Guelphi generis memor, quòd ita firmando imperio expedire videretur, Gibellinorum acerbiſſimus hoſtis extitiſſet. Itaque Bonifacius dicto non audientes, ſecedenteſque in paterna oppida ad Præneſte, hoſtes iudicat: in eos anathematis tela contorquet: purpurei galeri honore ſpoliat: cæteroſque eius familiæ proceres aqua & igni interdicit, & quod ea religionis arma tanquam ab iniurioſo factioſoque Pontifice profecta, contemnerentur, conflato valido exercitu eos iuſto bello perſequitur. Cardinales maturè fuga ſe eripiunt, è duobus verò patruis Stephanus Petrarchæ carminibus celebratus, in Galliam ad Philippum Regem confugit: alter hic de quo loquimur SARRA in Ardeatinis ſyluis erepta ſpe fugæ ſe occultat. Oppida autem ſeptem, Præneſteque in primis, & ſub Algido Columna expugnantur, inexorabilique Pontificis rabie flammis abſumuntur. Nec eadem iracundia Vrbanis Columnenſium domibus pepercit, quæ ſunt ſub Quirinali & in via Lata: ſic vt eorum etiam turres in foro Romano perfoſſæ deformatæque ſint. Errabat in nemore Sarra veſtigia hominum deuitans, agreſtibuſque pomis veſcebatur, quum magno caſu à prædonibus Maſſilienſium qui biremes aquandi cauſa, ad Antiate litus appulerant, interceptus eſt: catenatuſq; in tranſtro ad remum adigitur, & poſt duriſſimos maritimi curſus errores Maſſiliam eſt deuectus. Is inopinato oppreſſus infortunio, tanta infracti animi patientia, indignam ærumnoſamq; ſeruitutem aliquandiu pertulit, vt nomen ſuum non proderet, & ſe paſcentium bubalorum gregi à Priuernate ciue præpoſitum mentiretur: Archipiratæ ſcilicet auaritiam veritus, à quo ingenti precio Pontifici diuendi & ad ſupplicium tradi facilè poſſet. Sub id quoque tempus Bonifacius Philippum Galliæ Regem profano iure inducto, pontificiam exiſtimationem in adiudicandis ſacerdotiis inſolenter offendentem, & impium & Regno indignum iudicârat: concitabatq; in eum Albertum Cæſarem & Germanos & Belgas: ad id rerum diſcrimen magnoperè tumultuantibus Galliæ populis. Vtebatur tum Philippus Stephani Columnæ conſilio, viri prudentia authoritateq; præſtantiſſimi: iamq; eò ſimultas proceſſerat, vt Pontifex grauiſſimorum criminum infamia notatus, ad dicendam cauſam vocandus in concilium, exauthorandusq; Chriſtiana ſeueritate cenſeretur. Sed retundendæ ſuperbiæ expeditiorem viam monſtrantibus fatis, Sarra vel exul adinuenit. Is enim quum è portu Maſſilienſi Stephanum fratrem de ſua calamitate docuiſſet, extemplò redemptus ad Regiam contenderat, initiſq; cum fratre conſiliis, & cum Rege communicatis, accuratè perſuaſerat, vt ad paranda arma in Italiam mitteretur. Muſactus verò Franceſius nobilis Eques Florentinus, multis fidelis induſtriæ & bellicæ virtutis experimentis Regi carus in Etruriam præcederat, molientiq; arma Sarræ pecuniam, qua abundè inſtructus aduenerat, opportunè ſuppeditaret. Conuenêre igitur noctu in oppido Stagia, quod erat ditionis Muſacti in Senenſium finibus Romanæ viæ impoſitum, depromtaq; pecunia conductus eſt Nogaretus Gallus vir impiger cum ala Gallorum equitum; ex his qui ſtipendia ſub Carolo Valeſio Philippi Regis fratre in Italia meruerant. Hac expedita manu veteranis ſuis & clientibus adiuncta, nocturnis auiiſq; vſus itineribus: Sarra ad opprimendum Bonifacium Anagniam contendit. Aeſtiuabat libenter patrio in ſolo quotannis Bonifacius, & quod ei ad voluptatem iocundiſſimum erat, in ipſa etiam paterna domo, metu vacuus, tenuiq; ſeptus cuſtodia, & tum rumores fatali faſtu contemnens, qui nequaquam ex vano de exulibus afferebantur. Nec defuêre neminem timenti, domeſtici hoſtes, qui ex compoſito perfidioſè portam aperirent. Diluculo itaq; Sarra vrbem irrumpit: Galli equites ſui Regis nomen ingeminant: Columnij atrocem clamorem tollunt: Cardinales cum imbelli totius aulæ comitatu repentino terrore perculſi, vndiq; in fugam ſe proripiunt: terribilis tumultus tota vrbe excitatur: Pontificem hoſtilis turba domi obſidet, & pro Benedicto Maledictum, pro

Bonifa-

Bonifacio Maleſacium appellat: & quod Cæleſtinum occiderit, truculentis vocibus ad ſupplicium depoſcit. At ille, quanquam ſupremo metu doloreque perculſus, ſeipſum tamen præſenti animo non deſerit, conſtantique vultu Pontificatus inſignia depoſcit, auratâque in ſella irrumpentes expectat, adeoque ſe cùm ſacro cultu, tum maieſtate oris venerabilem præbet, vt mirabundus Sarra, vel iuſta ira turgidus, internecinoque incenſus odio, à contactu manus abſtineret. Sed Nogaretus Gallicam effundens bilem, inſultandi ſimilis, ita acerbè in eum eſt inuectus, vt ſe eum in catenis ad Lugdunenſe Concilium perducturum minaretur, vt ibi arrogantiæ pœnas daret, qui Chriſtianiſſimum Regem ſumma iniuria laceſſiſſet. Cæterùm direpta domo eum non multò pòſt arctè cuſtoditum Sarra Romam perduxit, vbi intra paucos dies ex dolore animi actus in furorem, inuſitataque inflammatus rabie exceſſit è vita. Illatus autem eſt ſepulchro marmoreo ab ſe condito, iuxta portam argenteam Baſilicæ Petri. Ingens enim ei viuo omnis honoris & gloriæ cupido, & ſumptuoſa quidem fuerat ornatiſſimi ſepulchri cura: in quo mitrata eius effigies ſupra aram ſculpta marmore & teſſellato opere picta ſpectatur. Benedictus autem eius nominis vndecimus in defuncti locum ſuffectus eſt, qui Sarram & Nogaretum tanquam deteſtandi facinoris nota conſperſos exilio mulctauit. Sed Sarra vel iterum exul nominis fama clarus, & pulcherrimi facti conſcientia felix fuit, quum multùm, antequàm planè ſenex apud Præneſte fato concederet, Petrum & Iacobum Cardinales Senatorio ordini reſtitutos, & Cæleſtinum grauiſſimo atque æterno Bonifacij probro inter diuos relatum viderit. Formam Sarræ in vetere tabula pictam exceptamque per manus à maioribus, & religioſe cuſtoditam Martius Columna nobis oſtendit, vt ex ea æmulante Pictore, exemplum exactæ ſimilitudinis duceretur.

PARTHENII PARAVICINI.

Hos ne animos pulſi Reges ſæuaq; ſecuris
Gloria & imbuti natorum ſanguine faſces,
Aeternúmque decus, Brutique vltoris honores
Hunc acuere tuo tam cæcum in corde furorem?
Vt dirum vſqueadeo in facinus crudeliáque orſa
Irrues præceps? proh te non perculit horror
Attonitum? non maieſtas veneranda vel ipſis
Cælicolis, illa & triplici redimita corona
Infula, tam fœdus tremefactum abſterruit auſis?
Si qua tamē ſcelere immani atq; è crimine tanto
Surgere fama poteſt, illud te forte leuabit
Inuidia, quod non Regni veſana cupido,
Sed patriæ pietas, ad factum hoc impulit atrox,
Pro re Romana, pro libertate tuorum.

Vguccio Fagiolanus.

FORTVNA per ſe inconſtans & ſæpe ludibunda, in attollendo premendóque, VGVCCIONE Fagiolano mirabiles ludos fecit. Is Maſſa Trebaria Togatæ Galliæ oriundus, in eo Apennini tractu, qui ad Aretinas Alpes extenditur, quum nobiles agreſteſque familiæ ob factiones inter ſe contenderent, apud Gibellinos per totam ferè ætatem arma tractauit, inſigni quidem cum laude, quòd per cædes, incendia, vaſtationeſque pagorum, vbique violentus, & maximè pugnax enituiſſet. Nam robuſto ingentique corpore firmiſſimus, validiſque ideò & prægrandibus vtens armis, ſicuti ingenio vigilanti acutoque maximè præſtabat, ita ante alios aſpera audacter aggredi, & pugnam impigrè ciere erat ſolitus: vſque adeò enim in omni diſcrimine & ferox, & pertinax, vt quadam in pugna ad Cætonium pagum à ſuis deſertus, & ab hoſtibus propè circumuentus, quum ſeſe fortiter reciperet, vulnerato altero crure, & colliſa vehementer galea, in oblongo pedeſtri ſcuto quatuor tragulas, & tredecim veruta ex minoribus baliſtis infixa ad ſuos retulerit. Exinde multis facinoribus clarum, Guelphiſque terribilem Tarlati Aretij Principes oppugnati, à Florentinis liberali ſtipendio conduxerunt, cuius ductu ſecundis aliquot præliis hoſtes ita repreſſi ſunt, vt agro excedere cogerentur. Sub id verò tempus, quò Henricus Cæſar fruſtra obſeſſa Florentia ad Bonconuentum fato ceſſit, Piſani Cæſare ciuitatis Patrono defenſoreque orbati, quòd Lucenſes infeſta arma intuliſſent, neminem Vguccione gerendo bello potiorem rati, eum qui copiis præeſſet, ab Aretinis impetrarunt. Eius aduentu Piſani, quòd veteranum militem, & Germanorum alas adduxerat, ita ſunt confirmati, vt latè ſummotis hoſtibus, non modò amiſſa paulò antè oppida reciperent, ſed expugnatis etiam aliquot caſtellis, ad portas vſque Lucenſium delitias popularentur. Itaque exultans victoria Piſanus, nec ſtudio ſuo modum imponens, ne parum gratus in referenda gratia videatur, Vguccionem ex Duce Dominum creat, honeſto quidem merito, niſi vir immodicus ex moderato dominatu ſæuam tyrannidem inuexiſſet. Cuncta enim ſibi licere, fortuniſque omnium pro libidine ſibi vtendum ratus, ante omnia Boncontem



ſummæ nobilitatis Patritium, nec immemorem priſtinæ libertatis, ideoq; nefariis decretis aduerſati auſum interficit, alios ſpiritu opibusq; valentes detrudit in carcerem, multoq; plures exutos bonis proſcribit. Hoc terrore ciuitati illato, auctisq; viribus Lucenſes inteſtino laborantes morbo repentinus aggreditur. Gerardum Lupidium Picentem militiæ peritum, qui Lucenſibus copiis præerat, tumultuario prælio profligat, factioſorumq; proditione adiutus in vrbem irrumpit, cæde, luctu, terrore, cuncta complentur, nec ſacroſanctis templorum theſauris Germanus miles parcit, pulſisq; Guelphis, Gibellini qui diu exulârant, patria potiuntur. In his eminebat Caſtruccius animi magnitudine armorumq; peritia, antiquis Ducibus æquatus. Tanta re patrata Vguccio Lucæ Princeps effectus, Guelphis omnibus Florentinisq; præſertim terrori eſſe cœpit, quòd eo duce Gibellini ab Henrici morte deiecti ſpe, debilitatiq; viribus animos rurſus attollere viderentur. Itaq; Florentini ſociorum Robertiq; Regis auxilia in vnum cogunt. Vguccionem occupandi Piſtorii auidum & Montecatiuum oppidum magno apparatu oppugnantê, collatis caſtris adoriuntur. Ille belli peritus loci & temporis occaſionem excipit, editoq; memorabili prælio, victor hoſtium caſtris potitur. [illegible]ius diei cædem vſq; adeò latam ſcriptores tradunt, vt Nebulam fluuium cadaueribus ſtratu[illegible]gè cruento alueo decurriſſe affirment. Ea inſigni victoria Vguccio non multum lætatus eſt: nam in ea Franciſcum ex filiis natu maiorem, ſummæ ſpei iuuenem amiſit, & Luchinus Vicecomes, qui Magni Matthæi patris auxiliis præerat, Caſtrucciusq;, grauiter ſauciati ſunt. Dux verò hoſtium Petrus, cognomento Tempeſta, Roberti Regis frater in flumine periit, & Carolus cui Robertus erat patruus, inter cadauera repertus eſt. Hæc eſt illa infauſta Guelphis pugna, propter quam Florentiæ, Boponiæ, Senis, Perusiæ, atque Neapoli ex luctu amiſſorum ciuium populus veſtem mutauit. Hac victoria ſubnixus Vguccio, vt Nerio filio Lucæ principatum confirmaret, ſuſpicacis tyranni more, Ca-

re, Caſtruccium gratia authoritateque pollentem, tanquam Nerij æmulum tollere conſtituit. Ita compoſitis inſidiis eum Nerius ad cœnam vocat, & nil tale veritum comprehendit, reúmque mox homicidij factum capitis pœna condemnat. Nec tamen ad tanti viri ſupplicium deſcendere audet, indignantis & frementis populi tumultum timens. Ob id accitus Vguccio, maturandæ necis auidus, cum militari præſidio Lucam aduolat. Tum verò Piſani tyranno diſcedente arma corripiunt, Vguccionis familiam trucidant, domomque diripiunt, ac eo impetu vrbis portas occupant. Iam Lucam peruenerat tyrannus, & à filio maturè inſtructis menſis pranſurus diſcubuerat, quum Piſis excitari ad arma populum nunciatur. At ille nihilo ſecius tanquam primo nuncio parum credens, nihil ſe commouet, & vti erat cibi capaciſſimus, & maximè vorax, per ſingulas tempeſtiui eius conuiuij dapes vſque ad bellaria conueſci pergit, eo quidem atrocis animi decreto, vt remotis demum menſis Caſtruccium ſecuri percuti iuberet, atque inde Piſas ad ſeditioſos opprimendos properanti agmine reuerteretur. Sed quum à ſecundis mox tertiiſque nunciis increbeſcente fama, Piſis res perditas eſſe, ciuitatemque miro conſenſu rebellaſſe nunciaretur: Lucenſes ad tanti exempli nomen, pari ſtudio recuperandæ libertatis, liberandique Caſtruccij ad arma concitantur. Carcerem refringunt: vinctum adhuc compedibus Caſtruccium educunt, & quod eius fato debebatur, Principem ciuitatis ſalutant. Tum verò Vguccio, quanquam aliâs egregiè fortis duplici malo circumuentus animum deſpondet, & cum Prætorianorum Satellitum manu, incertus an Piſas contenderet, deſperatis rebus vrbe profugit, nec vſquam ex ea fugæ deformitate priùs conſtitit, quàm à Spineta Maleſpina Gibellino ad Foſſas nouas, quæ Papirianæ olim fuerunt, ſupra Macram amnem receptus eſt. Ibi labore feſſus, & dolore propè exanimatus paululum ſe recreauit, atq; inde quum atrociora à perſequentibus ſibi timeret, ad Canem Scaligerum Veronam eſt profectus. Ea enim tempeſtate Scaligeri domus exulum omnium inſigniumque virorum liberalis erat receptrix. Fuit apud Canem ſummo in honore Vguccio, ſpectabaturque procerus & ventricoſus ſenex tyrannico vultu ferociam retinens, tanquam admirabile inſolentis Fortunæ documentum, quum paulò antè rerum bello geſtarum fama illuſtris, ſemihoræ momento geminati principatus faſtigio præceps datus, & miſerabilis, & ridendus euaſiſſet. Ad eam enim calamitatem Fortuna immitis id quoque adiecerat, vt contemptus, mordacibus dicteriis inceſſeretur. Vt tum accidit, quum in conuiuio Canis de edacibus hilaro ſermone loqueretur, & Vguccio ſe iuuenem quaternos altiles capos, & totidem perdices, aſſos item hœdi clunes, & elixum vitulæ infarctum pectus, præter ſalſamenta, recta in cœna exedere ſolitum narraret, Petrus Nauus è conuiuio vir ſalſus: Non eſt, inquit, Vguccio cur hæc à te iuuene comeſta multum admiremur, poſtquam ſenex, nec planè dentibus inſtructus, duas vrbes integras vno prandio abſumpſeris. Erat enim fama, Vguccionem, ſi ab inchoato prandio temperaſſet, ſatis in tempore ad ſedanda naſcentis tumultus initia Piſas regredi, & vtramque vrbem ſibi incolumem ſeruare potuiſſe. Sub id verò tempus, quo Canis comparato exercitu Patauium obſidebat, quum Vguccio dux vetus eo bello mirificam operam nauaret, ad paludes Medoaci amnis correptus morbo, Veronamq; delatus, exceſſit è vita, non omnino miſer, quod vel Vicario nomine militari imperio honeſtatus, ſplendidiſſimam funeris & ſepulchri pompam retulerit. Effigies eius equeſtris adſtante ei Caſtruccio & falconem ad aucupium læua geſtante, Piſis in ſepulchro, cui Campoſancto nomen eſt, pretioſis ex vero picta coloribus conſpicitur.

ANGELI PEROTII Camertis.

Quem latis humeris, quem lato pectore ſpectas,
Quem Martem dicas ore referre truci:
Ille olim emergens obſcuro ac paupere tecto
Militia primùm munera dura tulit:
Fortibus inde auſis Fortunaq; auſpice, ſummum
Littoris Etruſci eſt vectus ad imperium.
Illum eadem geminas vrbes ditione tenentem
Præcipitem ſubitò Sors inopina dedit.
Scilicet haud quenquam dubiæ fas fidere Sorti,
Quando ea, Regna vno datq; adimitq; die.

Caſtruccius Caſtracanis.

POST conuulſas, ſecordia Græcorum Cæſarum, Romani Imperij opes, quum Gothorum importantes impetus nemo tuliſſet: egregiæq; bonæ artes & literæ cum Vrbe rerum domina concidiſſent, diſciplinam militarem interiiſſe conſtat, qua vna coaluerat imperium, & ſeſe ad omnes gentes perpetuis victoriis extenderat. Nam per mille fermè annos, quibus Italia externis gentibus ſeruiuit, multitudine potiùs, inconditiſque viribus, quàm ingenio & ratione certabatur, quando omnis diuerſis Barbarorum irruptionibus terribili motu quaterentur. Sed ita Populi Romani fortuna demum tulit, vt bellicæ artis decus non diu modò neglectum, ſed planè ſepultum, à nouo homine tanquam ab Inferis excitaretur. Is fuit Caſtruc-



cius Caſtracanis ex Antelminella nobili familia Lucenſis ciuis, qui ex mercatoris inſtitore miles, ex milite dux inſignis factus, pertinaci virtute ad principatum contendit, nuſquam eius veſtigia vadentis ad præclarum decus fallente Fortuna. Adoleſcens cum Gerio patre & matre Puccia, ob Gibellinæ factionis nomen patria pulſus, & breui apud Anconam parentibus orbatus, in Galliam vlteriorem eo animi decreto tranſiuit, vt alieno ſub cælo Fortunæ vim experiretur. Quum aliquandiu Lugduni apud negotiatorem Lucenſem ſubſediſſet, equo, veſte, viatico, honeſtè adiutus in Britanniam ad Aldericum gentilem propinquum ſuum, Londini ex mercatura diuitijs affluentē, traiecit. Is iuuenem decore formę, morum elegantia, & corporis dignitate præſtantem, non modò benignè complexus eſt, ſed eum nō multò pòſt Odoardo Regi, paruæ pilæ luſu oblectari ſolito inſinuauit. Erat enim Caſtruccius in eo ludo vſqueadeò habilis & mirus, vt nemo iam ei ex regia aula conferretur, ac ideo Regi iocundiſſimus euaderet. Sed id totum quod à beneuolentiſſimo Rege promereri poſſe ſperabat, inopinatæ ſortis caſus eripuit. Quum enim in ludo ex altercatione, à ſuperbo quodam Regulo alapam ſuſtuliſſet, continerì non potuit, quin vel ſpectante Rege contumeliam diſtricto pugione, percuſſoreque traiecto vindicaret: Eo felici euentu, vt ſtatim ſeminudus ſcapham inſiliret, & per Tameſim amnem imminentium manus effugiens, in Belgicam oram aduheretur. Ardebat tum crudele bellum inter Gallos & Flandros, quibus Britanni ſe conſociarant: apud Philippum autem Galliæ Regem ſecunda fama militabat Albertus Scotus nobilis Placentinus, qui ab Italia quingentorum Equitum ornatiſſimam alam, & peditum veteranorum legionem adduxerat. Sub hoc Scoto Caſtruccius ordines duxit, tantaque vigilantia, conſilio, & vi corporis nomen optimi ducis promeruit, vt eo bello conſentientis famæ nomine eſſet clariſſimus & à Gallis ſcriptoribus poſtea celebraretur. Verùm confectis bellis, à Philippo opimis excultus muneribus redijt in Italiam,

taliam, armis & equis optimè instructus, deſtinatam ſibi fato repatendę patriæ occaſionem quæ-
rens. Euaſerat cum Piſis Princeps Vguccio Fagiolanus, & cum Lucenſibus bello contendebat.
Huic igitur parante aditum Fortuna adhæſit, ab eoq; poſt deballatos Lucenſes, & fractas ciui-
tatis opes, patriæ reſtituitur: aa tamen ſorte, vt qui virtute inter ciues Princeps erat, ad ſum-
mum dignitatis gradum tacitè atq; ægrè prorſus aſpiraret. Nam Vguccio Nerium filium præto-
riæ poteſtatis ſimulatione dictatorem Lucæ præfecerat: vtpotè qui poſt cladem ad Montecati-
num Guelphis illatam, & ferox & validus Piſtorium & Volaterras, Piſis, Lucæq; finitimas vr-
bes, occupandas animo agitaret: vt principatus in Etruria viribus potens contra Florentinos
conderetur. Hoc innixus conſilio Caſtruccium confirmata authoritate & populari gratia Lucæ
præpotentem, ideoq; formidatum, tollere conſtituit. Verùm Fortuna (vt in Vguccione dixi-
mus) alternis ſuo more luſibus iocabunda, ita Caſtruccium è ſummo turpiſſimæ necis periculo
eripuit, vt miſerum ax damnato & ſæua ſecuri propè percuſſo, ad vrbis dominatum admirabili
ſorte proueheret, & diri obiter infortunij grauis ictua ad Vguccionem verteretur. Suſcepto in
patria dominatu atque inde vrbe Piſtorio in poteſtatem redacta, ſtatim ſe Gibellinæ factionis
Principem profeſſus, ideoque in omnem rerum occaſionem aduerſus Guelphos expedita arma
conuertens, ita Fortunam initiatæ creſcentique virtuti ſuæ bonis & malis artibus conciliauit,
vt nemo eo domi conſultior Principe, nemo Dux in caſtris exactæ diſciplinæ præceptis in-
ſtructior In Italia cenſeretur. Inierat fœdus cum Guido Tarlato, Galeatio Vicecomite, Scali-
gero Veronenſe, Paſſarinoque Mantuano, qui Cæſarum partes in Italia tuebantur. Contrà au-
tem Florentini cum Romano Pontifice Robertoque Rege conſociatis viribus, grauiſſima bel-
la in Inſubribus, in Liguria, in Bononienſi, & Togata Gallia gerebant. Sed cruentæ diutur-
næque contentionis is exitus fuit, vt Guelphi ad Altopaſſum memorabili pugna vincerentur,
victoresque inde Caſtruccius atque Actius Vicecomes, ad Florentiæ ſtatim portas vſque, in-
feſta populatione percurrerent. Fuit ea cladas ſi cæſorum numerum ſpectes, Montecatinanſi a-
liquanto minor, ſed fortiſſimarum gentium externorumq; ducum captiuitate nobilior. Inuſi-
tati enim ſpectaculi celeberrimum, ab ea victoria triumphum Caſtruccius duxit, tanto re-
rum omnium ordine apparatuque, vt priſcorum temporum, & Romanæ ſuperbiæ felicitatem
æmulatus, è tota Italia ſplendidiſſimi quique ad tantæ famæ ſpectaculum liberaliter inuitati
Lucam confluerent. Inuectus eſt vrbem quadriiugo curru in Trabea laureatus, antecedebant
agreſtes gregarijque milites nudo capite nudisque pedibus incertam libertatis ſpem præferen-
tes: ſequebatur Carrocium hoſtilis prætorij inſigne, buballs prætextatis tractum, in quo an-
tenna præalto in malo ſuſpenſa vexillum populi Florentini inuerſum expandens, ſuperſtante
campani æris tintinabulo maximè ſonoro: ſed cui ad ignominiam victores, vt mutum eſſet, fer-
ream linguam detraxerant. Exinde verò Guelpharum partium vexilla Draco ſcilicet aquilæ vn-
guibus conſtrictus, liliumque ingens puniceum, aureaque item lilia cianeo in campo & ruben-
tia Roberti Regis raſtrella inuerſa hoſtis ſolum verrentia trahebantur. Succedebant ductores
ordinum hoſtilium, præfectique Equitum, ſed hi ſine calcaribus, illi ſine gladijs diſcincti. His
coniunctum erat nobile militarium equorum agmen, armigeris pueris criſtatas caſſides, verſi-
coloresque lacinias captorum aut occiſorum hoſtium geſtantibus. Sed ante alios tres grauiſ-
ſimi viri Florentinorum Legati & ſecundùm eos traducti duces ſupraque cæteros maximè con-
ſpicui Gulielmus Norſeius Gallorum, Vrlimbaca Sueuus Germanorum, atque ipſe demũ cum
adoleſcente filio Raimondus Cardonius imperator captiuam Hiſpanorum procerum turmam
calamitatis conſortem trahens, ita pompam triſti aſpectu, & ſuis inſignibus nobilitabant, vt
multis ex eo præcipitis Fortunæ ludo lachrymæ manarent. Dum eo modo Caſtruccius virtutis
& gloriæ ſuæ meritum fructum ferret, Florentini ſocijque eorum Pontifex & Robertus, nihil
vel à tanta clade demiſſis animis vel attritis opibus, bellum priore vehementius repararunt, vſ-
que adeò ardenti vel inſano Florentinorum ſtudio, vt pro tuenda libertate externum ſibi domi-
num Roberti Regis filium recipere minimè recuſarint. Huius aduentus quòd ampliſſimum e-
quitatum in Etruriam adduxerat, ita afflictas ſpes Florentinorum erexit, Gibellinosque conterruit,
vt Caſtruccio & Galeacio Inſubrium Principe præcipuis authoribus, Ludouicus Bauarus Cæſar
deſignatus in Italiam acceſſeretur: qui inſigni authoritate potentiaque partium opes confirma-
ret. Sed vir impaci ferocque ingenio nullo pudore inita conſilia præuertens, vbi peramplis excul-
tus muneribus Mediolani ferreo diademate coronatus eſt, ex defenſore patronoque crudelis
oppugnator, & truculentus hoſtis euaſit, quum Galeatium fratresque eius tantæ dignitatis
Principes, & nihil tale meritos, in carcerem detruderet. Inde verò expilata ciuitate, quam li-
beram reliquiſſe videri volebat, Lucam profectus Piſanos obſedit, quòd portas ingreſſuro clau-
ſiſſent, & ab vrbe auari ſæuique hominis peſtem auerterent. Sed Piſanæ conſternationis is exi-
tus fuit, vt Caſtruccio copias, pecuniam, commeatus ad id bellum conferente, & diuerſis
caſtris citra Auſerim amnem poſitis, Piſani multis exuti oppidis Cæſari portas aperirent, &
prægrandi pecunia mulctarentur. Ab hoc inſigni ſtudio apprimeque forti & fideli opera Ca-
ſtruccius à Cæſare Lucenſium & Lunenſium Dux eſt appellatus; prætulitque damnum decora

inſignia & ornamenta nouæ dignitatis, atque inde Piſanos recenti factionum æſtu iactatos, nec idem in Republica ſentientes variis occultæ largitionis artificiis aggreſſus, ita eorum decuriones circumegit, vt fauente Cæſare, nec abnuente populo ciuitatis, Princeps ſalutaretur. Ludouico autem Romam contendenti, ad id ſolenne officium ſuſcipiendi diadematis inuitatus, cum delecto equitatu & Sagittariorum cohortibus comes fuit. Eo autem in vrbem nonis Ianuariis recepto, inſigniq; demum ſtudio Sarræ Columnæ, Iacobiq; Sabelli ad Vaticani Templum coronato, creatus eſt Pſeudopontifex Petrus Corbarius, vt Diadema Romani Imperij ſaluis auſpiciis traditum atque ſuſceptum videri poſſet. Id enim vnum Cæſar contendebat, vt Iohannis legitimi Pontificis authoritas, tanquam omni iure exiſtimationeque ſpoliati, in vrbe aboleretur, imperatoq; & exacto vndique auro aduerſus Robertum Regem Guelphorum tuentem partes, graue bellum pararet. His comparandis rebus intentum, Gibellini proceres Sabellus & Sarra, ipſeque ante alios Caſtruccius, vehementer orabant, vt Vicecomites Regulos importunè principatu fortunisque deiectos custodia educere vellet, neque diutius Guelphos eorum calamitate lætari pateretur. Verùm Cæſar dum in explicando conſilio, vti rerum imperitis plerunque accidit, & durus, & pertinax, neque id concedit, neque omnino negat; vt inanis conſtantiæ nomen paret, amicorum omnium animos grauiter offendit. Interea Caſtruccium tot accumulatis honoribus, clarum & cuncta propè apud Cæſarem præſtanti ingenio adminiſtrantem, atrox ab Etruria nuncius magnoperè perturbauit. Is mari delatus, afferebat Piſtorium Guelphorum proditione in Florentinorum poteſtatẽ deueniſſe; deletum fuiſſe præſidium, ſed adoleſcentes filios magno auſu euaſiſſe incolumes, quum à præſidio acerrimè repugnanti, vſque ad lucem nocturno prælio certaretur. Itaque ſubiratus Cæſari, qui maiore Guelphorum, quàm Gibellinorum emolumento in Italiam veniſſet, commeatu vix impetrato, Piſas per Aureliam viam magnis itineribus contendit; tanta celeritate, vt Vmbrone fluuio, fortè à pluuia prætumido, tranſitum morante, dum male fidum alueum properè tentaret, penè mergeretur, & cum pauciſſimis equitibus inexpectatus portas intraret. Ea celeritate Piſanos, quòd eſſent ambigua voluntate repentè oppreſſos, & præſentis Principis vim & ſubſequentis præſidij robora timentes in fide continuit, confirmatoque dominatu, ac imperata pecunia, quantas potuit copias, accitis vndique auxiliis, coëgit, & ad obſidendum Piſtorium eſt profectus. Florentini Simonem Toſam militaris induſtriæ ciuem, præſidio vrbique præfecerant, nouas munitiones veteribus adiecerant, ſingularique diligentia ædificatis ligneis propugnaculis, murum omni telorum genere compleuerant. At Caſtruccius priuſquam ſuccidi frumenta poſſent, incluſos obſidere conſtituit, quòd non magnam commeatus copiam vix per duos menſes ſuffecturam intus paratam eſſe didicerat. Itaque inuſitata eo ſeculo belli ratione, duplici vallo duplicique foſſa vrbem circumuallare pergit, vt omnem vel erumpendi, vel importandi commeatus hoſti ſpem præcideret. Erexerat in vtraque munitione ligneas turres maioribus baliſtis & catapultis inſtructas; ſuburbani agri arbores ſucciderat, vt aduentantibus Florentinis ad opem ferendam, inacceſſa pediti atque equiti munimenta obiicerentur. Venerat Mediolano Galeacius Vicecomes, à Cæſare poſt Caſtruccij diſceſſum certa conditione carcere emiſſus. Is ingentium præliorum victor, peritiſſimi Ducis nomen aſſecutus amiciſſimo Principi, & præclaro ſuæ libertatis authori eo bello operam præſtabat, quum interiores munitiones defendendas ſuſcepiſſet, Caſtruccius in exterioribus verſabatur. Nam fama erat Florentinos ad ſoluendam obſidionem aduentare, ingenti coacto exercitu ex Pontificiis copiis, quæ è Bononia ſubmittente Legato in Etruriam deſcenderant, cæteriſque fœderatis ciuitatibus, quæ publicæ Guelphorum cauſæ nunquam antea defuiſſent. Præerat omnibus Philippus Sanguinettus Gallus, cuius opera Piſtorium noctu captum fuerat. Cenſebantur autem ſub eius ſignis ad tria millia galeatorum equitum, & ad triginta millia peditum. Sed Philippo in conſpectum ſe dante, nec tamen ſubire aggeres auſo, Caſtruccius nihil ſe commouit, & per Galeacium erumpentes hoſtes multis illatis vulneribus, retrò in vrbem compulit. Itaque Philippus tantos aggeres, tantique artificij, & nouæ diſciplinæ munitiones admiratus, fruſtra ad pugnam Caſtruccium magnis tubarum clangoribus compellans, alio quàm ſtatuerat ſuſcepto conſilio, caſtra inde mouit in Piſanum & Lucenſem agrum populabundus ire pergẽs, vt hoſtis rerum ſuarum calamitate & villarũ incendiis permotus, incepto abſcedere, ſua tueri, & viribus inferior prælio decertare cogeretur. Sed ille tot detrimenta, quanquam ſuis luctuoſa contemnens, in obſidione conſtantiſſimè permanſit. Nec multò pòſt Simon Toſa deſperatis auxiliis, vbi erat ad extremam commeatus inopiam redactus, ea conditione poſt tres menſes deditionẽ fecit; vt cũ præſidio incolumis emitteretur: magna quidem cũ ignominia tanti exercitus, & ſingulari Caſtruccij gloria, qui eo bello priſcorũ Romanorum magnitudinẽ, & bellicæ rationis ingenia diligenter æmulatus, tantarum virium impetũ eluſiſſet. Sed quũ ſupremo inuſitatæ virtutis opere edito, ac ob id incredibili affectus lætitia, ad triumphũ Lucã reuerteretur, peſtilens eũ inuaſit morbus, & pauciſſimis diebus eripuit, pari fato præeunte Galeacio, qui eadem autumnalis cœli inclementia correptus, ad Piſciam oppidum è vita migrârat. Italorum enim omnium duo maximi Duces, ætate, forma, &

magnitudine

magnitudine animi pares, ita corpora atque animos in iiſdem caſtris longo & pertinaci laborê
defatigâtant, vt in magnis Auguſti menſis feruoribus, cunctis ad accerſendam valetudinem in-
commoda perpeſſi, victoriæ decus ante ſalutem poſuiſſe cenſerêtur. Moriens Henricum filium
teſtamento imperij reliquit hæredem, quod nequaquam paternis artibus poſtea tutatus eſt. Pa-
ter enim admirabili naturæ munere ferreum corpus, inuictum animum, expeditamque præ-
ſentis ingenij vim, & certum infinitæ prudentiæ robur, ad condendum principatum attulerat.
Quarum virtutum imbecillus adoleſcens vertente ſe Fortuna æmulus eſſe non potuit. Pater
quoque (quod difficillimum fuit) vitia inſolentis auaritiæ & efferæ crudelitatis, aut congenita
tyrannis, aut neceſſitate inducta, vſqueadeò liberalitate, magnificentia operum, eloquentia, &
multa religionis ſimulatione temperabat, vt optimo Principi quàm impotenti domino pro-
pior atque ſimilior haberetur. Caſtruccij effigies (vt in Vguccione diximus) Piſis elegantiſſimè
picta conſpicitur. cui ſimilem ex candido marmore nobis oſtendit Nicolaus Tegrimius Lucen-
ſis Patritius, à quo Caſtruccij vita Latinè atq; integerrimè ſcripta, ac impreſſa extat; vt hinc quo-
que liuorem & petulantiam Nicolai Machiauelli magnoperè deteſtemur; qui dum commenti-
tiam Caſtruccij tanquam patriæ ſuæ hoſtis, extra rerum fidem impudenti libidine vitam de-
ſcriberet; reliquæ quoque hiſtoriæ dignitatem improbè defœdauit.

GABRIELIS FAERNI CREMONENSIS.

Qui tam obſoletam bellicæ artis gloriam
Caſtruccius Lucenſium Dux, Italis
Reſtituit, & pro factione Cæſarum
Etruriam quatefecit armorum ſono:
Nunc hic quieſcit paruus è tanto Duce
Puluis, cinisq́; , & nudula vmbra mortui.

Canis Scaliger.

INTER Scaligeros Veronæ dominos, qui fuêre oriundi è Vindelicia, CANIS
ſuperior bellica virtute clariſſimus a conſtanti meritò Grandis cognomen tu-
lit; non à proceri quidem corporis ſtatura, quæ vix in eo erat mediocris, ſed
à magnitudine inuicti liberaliſque animi, & perpetuò illuſtris vitæ ſplendo-
re, quo vel opulentiſſimos eius ætatis Principes anteceſſit. Canis autem no-
mine non latrans inſigne animal, ſed Tartarorũ lingua Imperator exprimitur.
Ea ſiquidem tempeſtate Sacro bello ſpectatæ virtutis proceres Barbarorum
captorum, aut ab ſe occiſorum nomina ad teſtimonium honeſtiſſimæ laudis deſumebãt; quip-
pe qui Gothifredum Bollonium, aut maximos poſtea Europæ Reges æmulatione gloriæ in Sy-
riam transfretantes ſecuti ſunt, nullum omnino opimius & ſpecioſius trophæum referri do-
mum poſſe arbitrabantur, quàm vt impiorum hoſtium nomina, ad perenne decus familijs ſuis
insererent; ſicuti in Vicecomitum & Turrianorum domo vſurpatum videmus, quum ſæpius Sul-
thani, Muſtæ, Caſſoni, Amurathis, & in fœminis quoque Antiochiæ nomina repetantur. Ca-
nis acceptum ab Alberto patre dominatum, tanta animi moderatione, Iuſtitia, humanitate,
tantoque exactæ diſciplinæ ordine, cùm domi, tum militiæ exercuit; vt gratia, authoritate, cliẽ-
telis & apparatu armorum pollens, ſuo prorſus nomine & maiore Imperio dignus haberetur; vt-
potè qui admirabili iudicio clementiam & ſeueritatem procul ab inuidia atque odio commi-
ſcere, ſine fuco pietatem colere, comitatem ſine dedecore, ſine faſtu dignitatem tueri conſueſ-
ſet. Eum enim recti conſtantiſque animi habitum ad expeditam commutationem vti opor-
teret, ita paratam & habilem præferebat, vt domi remiſſo ad lenitatem ingenio ſemper placa-
tus, in caſtris autem elato, feroci, acerbo in puniendis præſertim militum delictis, inexorabilis
& ferè ſæuus euaderet. Quibus inſtitutis & moribus, neque domi coniurationes inteſtinaque
mala, neque in caſtris ſeditiones militum, aut aduerſos nomini ſuo rumores ſenſit. Sæpiſſimè
prælio victor, ſemel tantùm aduerſæ pugnæ euentum expertus eſt; quum graui & diuturna ob-
ſidione Patauinos premeret, & in ſegnem eius ſtationem Illyrij & Norici equites, qui Patauinis
auxilio venerant, ſubita eruptione facta, oppreſſis & fugatis cuſtodibus in caſtra penetraſſent.
In ea rerum perturbatione Canis acerrimè reſiſtens atque dimicans, vulneratus & equo detur-
batus, maximum vitæ adijt diſcrimen; ſic vt eum prætorianæ turmæ magna vi depulſis hoſti-
bus vix ſeruarent. Tanto accepto incommodo cuſtodiæ cohortem, quæ irruente hoſte trepidè
locum deſeruerat, exutam armis ignominiaque notatam præfecto capitali pœna damnato, in-
tegram dimiſit. Nec multò pòſt renouato bello Patauini magnis affecti detrimentis, pertinaciſ-
ſimeq́ue machinis oppugnati, ad clementiæ famam victori ſe dediderunt. Tanta vrbe in pote-
ſtatem redacta, & Vicentinis ditioni ſuæ adiectis, ad opulentius & maius imperium aſpirans, in
ſpem venit occupandæ Brixiæ, quòd ea vrbs cruentis factionibus laboraret; potiundique inde
Mediolanenſis imperij, quum Ludouicus Bauarus Cæſar, tum fortè Galeacium Vicecomitem
nihil tale veritum cuſtodiæ tradidiſſet. Erat enim Cæſar auri cupidiſſimus, ideoque paratus ad



omne venalis ingenij facinus obeundum. Hunc Canis, officij atque honoris cauſa Mediolani ferrei diadematis inſignia ſuſcipientem, cum nobiliſſima ala equitum fuerat comitatus, conſiliariosque eius opulentis muneribus & præſenti pecunia ſibi conciliarat. Sed vtrobique conatus ſucceſſu caruit, Cæſare ſcilicet in Etruriam profecto, & Brixianis proſpero ad Benacum nauali & terreſtri prælio, libertatem ſuam egregiè tuentibus. Mutato itaque conſilio Canis ad expugnandum Taruiſium ſe conuertit, cupiditate proferendi imperij Actiolinum æmulatus; niſi diuerſiſſima progreſſus via pro immanitate atque perfidia, pietatem & fidem; pro ſæuitia lenitatem, ac in omni re cùm publica, tum priuata, honeſtiſſimi decoris nomen pro turpiſſima & execrabili fama tot ſcelerum oſtendiſſet. At Taruiſini aſperrimo fatigati bello quum auxilia deſperarent, affectæ eneruatæque libertati, quam difficillimè tueri poterant, potentem armis & conſilio clementiæque laude illuſtrem dominum prætulerunt. Sed Canis victor acceſſione opportunæ vrbis diu lætari non potuit; concepto enim ſupremo morbo, quòd armatus & æſtuans ex frigidiſſimo fonte auidius bibiſſet, Iulio menſe non planè ſenex exceſſit è vita, celebrantéq; funus toto exercitu è Taruiſio Veronam delatus eſt, quem poſtmodum Maſtinus fratris filius ac imperij hæres, marmoreo ſepulchro quod viſitur honeſtauit. Regiam Canis cunctis hoſpitibus qui ingenio valerent, hiſque præſertim qui domo pulſi ab infeſta Fortuna iactarentur, liberale atque illuſtre domicilium fuiſſe ſcriptores tradunt: & ante alios Gazadius è Regiolepidi, qui vti erat eius familiaris, adeò diſtinctè totius hoſpitalis diſciplinę rationes, diuerſorumque cœnaculorum & cubilium ſumptus inſtitutaque ornamenta deſcripſit, vt peculiarem diſpenſatorum cultum, & variorum miniſtrorum officia, titulosque ſingulis ianuis præſcriptos, & argumenta vtriuſque Fortunæ, aulæis & picturis expreſſa perſequeretur. Diuerſæ ſiquidem ædium partes conditione diſpari oblatos hoſpites ſic accipiebát, vt magnanimos & victores triumphis; exules bo-

les bonæ ſpei; profugos ſecuræ confidentiæ; Poëtas muſarum vmbracula; præſtellentes artifices Mercurio; ſacratos verò Concionatores terreſtri Paradiſo aſſignaret. Hæc autem tanta diligentia, iocunditate, nitoreque adminiſtrabantur, vt cuncta aptiſſimè ad genium hoſpitum reſponderent. Nam præter Muſicos concentus, feſtiui etiam ſanniones, & plani, & non inſulſi moriones, alterna varietate cœnacula circuibant. Ipſe quoque interdum quos committere volebat, graui iocundoque delectu menſæ ſuæ adhibere erat ſolitus, in queis ſæpius erat Danthes exul, eruditi quidem, ſed nimis aculeati ſermonis libertate admirabilis potius, quàm iocundus, & Vguccio Fagiolanus ex tanta principatus fortuna deiectus, quem ſummo in honore habebat; quanquam ingentis onerariæ nauis fluctibus in litus eiectæ admirandum cadauer præ ſe ferret. Nihil enim Canis in hac vita nobilius atque beatius eſſe prædicabat, quàm inuicto animo, ſiue ſuæ pariter atque alienæ fortunæ obuiam ire, perpetuiſque beneficentiæ & liberalitatis operibus, inſitæ virtutis famam extendiſſe. Eius imaginem in tabula egregiè pictam, Achillinus Bononienſis, rerum antiquarum ſtudioſus, viris elegantibus oſtendit.

ADAMI FVMANI.

Scaliger, ánne tua iſthæc Canis inclyte imago eſt?
O cari capitis, cara mihi effigies.
Illéne tu profugis quondam qui vatibus vnus
Portus eras, arx, ſpes, præſidium, columen?
Gaude Heros rediuiue, heros belliq́; domiq́;
Illuſtris, iuncto viribus ingenio.
Ecce tibi vt veteres Iouius renouauit honores,
En tecum honoratis iunxit imaginibus,
Macte tuum terſa nitidum rubigine nomen
Factum, iam poterit nulla abolere dies.

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN SECVNDVM LIBRVM ELOGIORVM SVORVM

PRAEFATIO

Ad COSMVM MEDICEM Florent. Ducem.

SECVNDVS hic liber Elogiorum meorum nomini tuo dicatus, Magnanime COSME, vt inſtituti ordinis ſeries poſtulabat, rectè & appoſitè initium cœpit à Roberto Neapolitano Rege. Eius namq; optimi Regis memoria grata multis, tibi verò præcipuè iocundiſſima eſſe debet. Nam amore quodam mirifico, & partium ſtudio incredibili Florentino nomini coniunctiſſimus fuit; vtpotè qui ciuitatem aduerſus imminentes tyrannos inuictis armis defenderit, pulcherrimisq́; belli & pacis artibus exornârit; tanta gratiſſimi populi propenſione, vt abdicato libertatis nomine, ei & Carolo filio dominatum Etruriæ deferret; quoniam ea clementia, moderatione, atque iuſtitia ſummi imperij poteſtate vſurus exiſtimabatur, vt minimè diſpuderet eum in libera patria Dominum appellare, venerarique; ſub quo vera libertas, reiecto inani titulo, ad tranquillitatem atque opulentiam ciuium pararetur. Hæc eadem benigni & longè æquiſſimi principatus iura in te hodie ciues agnoſcunt; eoq́; præclarius atque felicius, quòd pro externæ ſtirpis Rege, te eundem & perhumanum ciuem, & ſanctiſſimum Principem intuentur. Sed hunc profectò Regem, quem diſſimulanter æmularis, ita omnibus numeris abſolutè refers & effingis, vt anguſtius etiam exuperes: quando id totum optimarum literarum atque artium decus, quod in eo Rege præclarum ſpectabatur, tot editis eruditæ liberalitatis monumentis, ad vberiorem laudem complectaris. Vale.

ELOGIORVM LIBER SECVNDVS.

Robertus Neapol. Rex.



In Roberto Neapolitano Rege bellici ſpiritus indefeſſa vis, quæ in Carolo auo ſumma fuiſſe traditur, plurimùm enituit. Sed Carolum inimicorum cædibus gaudentem, ſæpeque ſæuum & inexorabilem, moderatione, clementia, lenitateque animi, Robertus omnino ſuperauit, quum ille enormi rubenteque naſo terribilis, bello captis, vel ſupplicibus nunquam parcere didiciſſet, eſſetque adeò in exercenda crudelitate inhumanus & peruicax, vt non modò Manfredo Regi ad Beneuentum acie interfecto ſupremum funeris & ſepulchri honorem, tanquam Pontificis hoſti denegârit: ſed Conradinum, duorum Imperatorum ſanguine progenitum, dum in Regnum, quod ſuum iure putat, armis repetit, ex aduerſa pugna captum, cum Regulo Auſtriæ, in foro ſecuri percuſſerit. Patrem quoque Carolum Robertus pari virtutum temperamento cùm magnitudine animi, tum munificentia & ſplendore vitæ anteceſſit; quando & eum continentia, grauitate, & regij cultus ornatu, maieſtateq; oris ſupergrederetur. Pater enim per omnē ætatem intemperanter mulieroſus, corpore deformi diſtortoq;, cultu adeò breui ſubductoq; vti ſolebat, vt vix pudenda natesq; contegeret, indeq; ſpectantibus moueret riſum; quum alioqui magnis virtutibus

virtutibus eſſet admirabilis. Cæterùm Robertus auo patreque illuſtrior extitit, cùm nobilitate ingenij, ſtudio literarum, ſingularique memoria; tum incomparabili Chriſtianæ pietatis præconio: in hoc Ludouicum Galliæ Regem maiorem patruum æmulatus, qui in Africa in obſidione Tuneti, quum morbo abſumptus interiiſſet, inter diuos referri ſpectatæ ſanctitatis ergò promeruit. Hoc certè de Roberto dici potuit, neminem ex his, qui antea Neapoli regnârint, aut poſtea per ducentos annos regnauerunt, maiora præclarioráve exactæ religionis monumenta reliquiſſe. Non petebat enim ex Templis magnificè ab ſe conditis inanem famam, ſed Chriſtianæ virtutis exempla imitanda poſteris relinquebat: quanquam ex publicis operibus, quæ ciuitatis commoditatem decusq; reſpicerent, laudem non reſpueret. Vtpotè qui munimenta mœnium & turres educere; curare portum, molemq; eius proferre; inſtaurare aquæ ductus; annonę liberaliter ſtudere; tollere latrocinia; & iuſtiſſimi atq; ſanctiſſimi Regis munia obire eſſet ſolitus. Benigni namq; amantisq; patriæ, quàm pecunioſi, populoq; prægrauis, & imperioſi Regis nomen malebat. Nec enim laudem aut gratiam alicunde expectandam arbitrabatur, niſi in ea pietatis atq; iuſtitiæ ſtudium emineret. Geſſit perpetuò bellum aduerſus Gibellinos, quum authoritatem Romani Pontificis contra infeſtos Cæſares tueretur, Florentinorumq; libertatē enixè defenderet. Ab hoc ſuſcepto ſtudio dum in Etruria proſtratas Guelphorum opes erigere conaretur, cruento Montecatinenſi prælio Petrum fratrem, duosq; item fratrum filios ſummę ſpei iuuenes amiſit. In Gallia porrò Ciſalpina quum Vicecomites Mediolani Principes validis vrgeret armis, duplex inſigne vulnus accepit; alterum ad Alexandriam, vbi Vgo Baucius equitū magiſter fuſus atque interfectus eſt: alterum ad Abduam, non longè à Mediolano, vbi fractis aduerſa acie partium copiis, vexilla regia Ducesq; cū magno numero inſignium equitum in poteſtatem Galeacij victoris deuenerunt. In Liguria verò Genuam acerrimè defendit, quam Marcus Vicecomes obſidendo atq; oppugnando propè ad rerum deſperationem abduxerat. Eo enim bello quum hoſtis mœnia perfregiſſet, vnus ante alios Robertus egregiè dimicans, ita locum tutatus eſt, vt magno ſuo periculo, & multa cum cæde hoſtes repulerit. Ludouicum verò Bauarum Cæſarem, qui Nicolaum Pſeudopontificem in Iohānis contumeliam Romæ creauerat, terrore præmiſſi ab Aquila exercitus & vrbi per Larium admoti, Roma excedere coēgit. His rebus geſtis, Iohannem Pontificem apud Auinionem adiit, initisq; fœderibus, tantam conſecutus eſt nominis authoritatē, vt Florentini ab eo Carolum filium in dominū poſtularent, & acciperent. Ea enim tempeſtate Florentini acerrimi hoſtis Caſtruccij armis vexabantur. Itaq; Carolus optima ſtipendia accepit, ſuſcepitq; liberę ciuitatis dominatū; tanto Guelphorum ſtudio, vt omnes Magiſtratus ærariiq; opes, cunctæq; copiæ ad eius authoritatē decreto publico conferrentur. Sed iuuenis eo inito principatu, nihil quidem memorabile in Etruria geſſit. Illud tantū cum magna nominis ſui inuidia admiſit, quòd Ciccum Aſculanum acutiſſimum Philoſophū, eundemq; Etruſco carmine Empedoclis æmulum, quum magicæ artis peritia famoſus, coniuratione cucullatorū hæreſeos accuſaretur, damnari, & in foro comburi iuſſerit. Exinde regreſſus Neapolim, morbo ſurreptus Robertum patrē orbitatis dolore perculſum perpetuis in lacrymis reliquit. Quanquā is mira animi firmitate vnici filij caſum ferret, conſolatus ſeipſum numeroſà nepotū ſobole, & optimarum literarū præſidiis, in quibus tantus euaſit, vt ſibi literas regni poſſeſſione cariores eſſe prædicaret. Fauebat ardentiſſimè optimorū ſtudiorum Profeſſoribus, oblectabaturq; amœnioribus Muſis, adeò liberaliter, vt Franciſcum Petrarcham multis ab ſe ornatū muneribus, q. Africam nobile (vt ætas illa ferebat) poëma, regio iudicio ſubieciſſet; laurea ornare cupiuerit, quam ille poſtea Romæ in Capitolio accipere maluit. Obiit Robertus planè ſenex, quum regnaſſet annos xxxiij. Viſitur eius ſepulcrū cum effigie marmorea in templo D. Claræ ab ſe dicato, cū hoc titulo:

Aſpice Robertum multa virtute refertum.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Adſitis teneræ Parthenopes decus
Syrenes, ſacer & Pieridum chorus,
Et Tuſcæ Charites, &
Flaui numina Tybridis.
Dum Regem tunica tectum adamantina.
Robertum canimus, Cæſaris impij
Pellentem agmina, vt alto
Nimbos exiliens Notus.
Ille, ille horriſono barbarus impetu
Terrarū dominam hāc & ſuperûm domū
Ferro perdere, & igni
Tentabat (facinus ferum)
Aſt illum impauido Rex pius agmine
Siſtens indomita frena licentia
Iniecit, trepidam vrbem, &
Seruans purpureos patres.
Quin & præcipitis plenum opus aleæ
Ciuilesq; acies, ſciſſaq; Hetruria
Sedans pectora, dictus
Dux eſt, & patriæ Pater.
Vnde hic pro meritis impatiens iugi
Quæq; altè innumeris iura dat vrbibus
Gens Etruſca, ſecures
Nato, atque imperium dedit.
Salue, ô bellipotens, progenies Deûm
Templa immania, q marmoribus ſacris
Condis thuricrema, alti
Aequent quæ iuga Caucaſi.

Tu Pindi auricomum è vertice Apollinem
Sebethi irrigua ad murmura vitrei
Ducis Parthenope alma vt
Diſcat Pieriam meloſi
Cùm vatem cythara nobilem eburnea
Petrarcham, thalamo ſuſcipis aureo,
Quem mox Delphica laurus
Cinxit Romuleo in foro.
Hæc illi, auſpice te, munera contulit
Roma altrix ſtudiorũ, & Latium ferox
Vnde Arnus vaga claro
Lambit ſydera vertice.

CVM hoc Roberto Rege, Vicecomites Mediolani Principes continenter bella geſſerunt, quum ij pro Gibellinæ factionis dignitate, ille de Guelphorum ſalutè atque potentia dimicarent. Horum itaque Principum veras imagines ſuo ordine libuit collocare, vt tot formarum varietas ſub vnum aſpectum expoſita, iucundiorem ſpectantibus afferat voluptatem. Nullis aliis ex ipſa temporum ſerie permiſtis, ſcilicet vt æſtimatione ingeniorum, rerumque à ſingulis geſtarum quid Phyſiognomus ex lineamentis indicet, atque promittat, viri elegantes ex tanta vultuum diuerſitate coniectando deprehendant. Ob id verò imagines breuiſſimis elogiis demonſtrabuntur: quoniam ſingulorum vitæ peculiari volumine iam pridem à nobis perſcriptæ editæque ſunt. Ab Othone ſiquidem, qui huius imperij fundamenta iecit, vſque ad Philippum, in quo familiæ legitima progenies defecit, enarratis rebus geſtis expreſſiſque moribus, nihil interciſo temporum tractu, accuratè deſcendimus.

Otho Archiepiſcopus.



HIC vir præalto ingenio & incredibili conſtantia ad nullas aduerſæ infeſtæque fortunæ contumelias infracti animi vigorem vnquam dimiſit; quum inimicorum atque hoſtium inſolentiam longa patientia ſuperaret; ſæpeq; bello victus, & diu exul & inops, vna indomiti animi magnitudine ſpes ſuas vel maximè proſtratas erigeret. Poſt ſummas autem ærumnas, victoriæ compos factus, felix videri potuit, quum aduerſarum partium Duces bello captos in poteſtatem redegerit; & condito atque egregiè confirmato in nobiliſſima ciuitate principatu, Matthæum ob inſigni virtute Magni cognomen meritum, numeroſa militarium iuuenum prole florentem, ſucceſſorem reliquerit. Viſitur eius imago ſumptuoſè depicta in magno conclaui Anglerianæ arcis, vbi Decumana victoria de Turrianis parta, picturis adhuc incorruptis expreſſa hodie ſpectatur.

IANI VITALIS.

Magnanimi Heroes Latij armipotentis Othonem
Illuſtre ſydus Inſubrum
Accipite inter vos, criſtiq; comantibus vmbret
Anguſta caſſis tempora,
Et dextram diuus operatam armate ſuperbi
Enſis coruſco fulmine.
Fortibus vt Fabijs mixtus, magnisq; Camillis
Stet inter alta ſydera.
Ille quidem ſummis decorauit honoribus orbem
Dux fortium fortiſſimus.

Matthæus Magnus.



MATTHÆVS cognomento Magnus, ſummam ingenij grauitatem, indomitum præſtantis animi vigorem, & prudentiam in explicandis cùm ciuilium tum bellicarum rerum difficultatibus, incomparabilē prætulit, per omnem ætatem Othonis maioris patrui virtutes æmulatus. Hic multo plura conſilio quàm vi aut armis feliciter geſſit. Sed qui inuictus erat aduerſus omnes auaritiæ & voluptatis morbos, vni inuidiæ vir fortiſſimus ita ſuccubuit, vt occultorum inimicorum dolos & propinquorum inſidias non effugerit. Eiectus enim patria & principatu ad Benacum lacum egeſtate quidem miſer, ſed rediuiuus ſpe & rectè factorum conſcientia beatus, expectauit Henrici Cæſaris aduentum, à quo reductus in patriam, eiectis Turrianis, dolo an caſu incertum, priſtinam principatus atq; potentiæ fortunam recuperauit. Cæterùm prolatis imperij finibus, partoq; ſpectata virtute Magni cognomento, in extremo vitæ actu ſenex, oppreſſus ingenti cura atq; periculo, eiurauit imperium, idq; liberorum virtuti regendum reliquit. Ingruebant enim tum arma Roberti Regis, Iohannisque Pontificis maximè metuenda. Inde receſſit in ſuburbanū dolore contumeliæ, quòd eum pontifex ſacris interdixiſſet, quum alioqui Chriſtianæ pietatis obſeruantiſſimus haberetur. Deceſſit ibi integris ſenſibus, claudentibus illi oculis quinque liberis, quod migranti è vita incomparabili ſolatio fuit. Caruit tamen honore funeris & ſepulchri; quia nefas eſſet damnatum à Pontifice palàm ſacrato in loco tumulare. Eius effigies Modoetiæ in templo maximo ſpectatur, habitu porrigentis templi imaginem, quod Diuo Ioanni Baptiſtæ vouerat.

IANI VITALIS.

Tu iure optaris fortiſſime viuere felix
Noſtris venenis pharmacum,
Cur Matthae negant te fata ingrata renaſci
Coruſcus enſis Inſubrum?
Conſilijs fudiſti hoſtes, victorq; ſedendo
Finiſti dura prælia.
Te Mediolani turres, te mœnia macte
Virtute, te Reſpublica
Cum deſiderio memorant, qui ferrea fuluo
Mutaris auro ſecula,
Fortuna cedens mox tempeſtatibus atris
Grauis ſenecta pondere.
Imperium natis liquiſti, atque otia nactus
Et Tempe amœna fontibus;
Scipiada longos ſuperaſti inuictus honores,
Syllanam & abſtinentiam.
Ergo te meritò Magni cognomen adeptum
Magnus celebras Ionium.

Galeacius Primus.

GALEACIVS Magni Matthæi filius hoc roſeo & coruſco ore ſpectabilis, ſtaturæ dignitate, illuſtri facundia, liberalique vitæ ſplendore, ſuæ ætatis Principum famam obſcurauit; militarique laude haud vſqueadeò floruit, vt poſt egregias victorias, profligatis ſæpe hoſtibus, dux bello ſtrenuus & fortunatus haberetur. Ab hoc Placentiam, Cremonam atque Vercellas paterno regno adiectas conſtat. Quum verò Roberti Regis, atque Pontificis & Florentinorum copias, captis eorum ducibus & ſignis ad Abduam, deleuiſſet; magno conſilio ita victoriæ modum impoſuit, vt pacem æquiſſimam, ſingulari artificio à potentiſſimis hoſtibus expreſſerit. Verùm partæ pacis fructu diu non eſt lætatus: nam Marci fratris & Leodriſii propinqui ſui malignitate atque perfidia Ludouico Bauaro delatus, grauiſſimisque oneratus calumnijs, extremum propè ſubijt infortunium. Ab ingrato ſiquidem auaroque Cæſare inter hoſpitales menſas inopinata fraude captus, & cum filio reliquisq; fratribus, qui Marci ſcelus deteſtabantur, in Modoetianum carcerem coniectus eſt. Verùm tantam eius iniuriam deprecante Caſtruccio, è cuſtodia poſt nonum menſem ea conditione eductus eſt, vt Actius filius fidei obſes ad authoritatem Cæſaris, Piſas ſe conferret. Cæterùm eo beneficio diu vti non potuit, nam paulò póſt quum operam Caſtruccio libertatis & ſalutis authori enixiſſimè nauaret, in circumuallando expugnandoque Piſtorio, peſtilenti correptus febre apud Piſciam exul, tantoque exutus principatu fato ceſſit; non planè miſer, quum vir ad arma natus in ipſa lætitia inſignis partæ victoriæ è vita migrauerit. Eius effigies in ſepolchro Actij filij egregiè ſculpta; depicta autē in templo ad Viboldonum Romana via dextrorſum ad ſeptimum lapidē conſpicitur.

IANI VITALIS.

Ductorem ecce Itali noſtrorum bellipotentem,
Lectiſſimorum Principem.
Cui fortuna minor poſt facta ingentia tandem
Inuidit inuictiſſimo,
At tu cui ſtruis inſidias, Bauare improbe tectas?
Cui tecta tendis retia?
Ab ſcelus arreptum ex epulis nil tale timentem
Ligas tenaci compede.

Armatus



Armatus poteras medio concurrere campo,
. erens aperta prælia ;
Sed timor & pietas non hærent, fraude ligatum
Pedore vincu carceris.
Vincere quem Reges, quem non potuére tyranni,
Magnis coactu viribus.
Nunc te pro tali ſcelere atque immanibus auſis
Euiſcerande Barbare,

Infamem eiiciunt Furiæ ſub manibus imis
Inter Sinones perſidos.
Hic aliquis Galeacij vltor Polyphemus & Antheus,
Vel alter ex Gigantibus
Appetit aſſiduis tormentis, & tua crebris
Contundit ora calcibus.
Interea Elyſiis gaudet in ſaltibus ille
Inter piorum maximos.

Actius.

ACTIVS Galeacio genitus, à prima iuuentute gemina victoria nobilitatus, quum egregij Ducis atque optimi Principis indolem præferret, paternæ calamitatis conſors fuit. Sed eam demum iniuriam Cæſar magna vi pecuniæ expugnatus, ingenti beneficio ita rependit, vt Actius Gibellinorum Principum amicitia atque auxiliis confirmatus, conuulſæ domus, ac euerſi principatus fortunam reſtituerit. Is primus ſuæ gentis à magnificentia nobilium operum laudem quæſiuit. Mediolano turriculis & lateritiis mœnibus circundato, extructaque ampliſſima Curia cum Templo, & ſacra Turri ad faſtigium coronata marme-



reo periſtylio ſummæ pulchritudinis, iuxta arenam antiquorum ſpectaculis dicatam. Verùm Actius omnibus inſignium virtutum numeris felix videri potuit, niſi Marcum patruum, qui immani vecordia Galeacium cum vniuerſa familia in extremas calamitates præcipitem dederat, vi illata necauiſſet. Receptum enim in gratiam, & mox pari inſania atque perfidia res nouas molientem, Luchinus & Iohannes patrui, tanquam ipſis totique familiæ peſtilentem omnino opprimendum cenſuerant. Leodriſius quoque eodem liuore atque odio, quo patrem auumque Matthæum fuerat perſecutus, Actium, conductis Barbarorum auxiliis, in magnum diſcrimen amittendi principatus adduxit. Verùm ille cruento prælio fuſus, ad Neruianum diuturno carcere cum liberis malignitatis ſuæ pœnas dedit. Sed Actium, quem nulla aduerſæ fortunæ vis vnquam fregit, articularis morbi dolores iuuenem ætate florentem, miſerabili cruciatu ita fregerunt, vt ſingulis captus membris, ante quadrageſimum annum vita excedere cogeretur. Viſitur eius effigies elegantiſſimè depicta ad læuam diui Gothardi Templum intrantibus.

PTOLEMAEI GALLII
Comenſis.

Vna hic podagra victus in pace occidit,
Qui victor omnium Actius bello fuit.

Luchinus.



ACTIO ſucceſſêre duo patrui, Luchinus atque Iohannes, ea conditione, vt hic quòd eſſet Mediolanenſis Archiepiſcopus, ſacra procuraret: ille verò integris belli & pacis muneribus vteretur. Cæterùm qui antea omnibus bellis pugnaciſſimus imperator extiterat, principatum adeptus per Legatos bella ſemper geſſit inſigni prudentia fortunæ aleam deuitans, quum ſeptem maximè cruentis præliis, vel parta victoria grauiſſimè vulneratus diſceſſiſſet. Sed qui iuſtiſſimi indulgentia, & nuſquam factioſi Principis laudem ferens, à populo Pater patriæ, & Pacis conditor appellabatur (vti maioribus acciderat) propinquorum ac inimicorum coniuratione ſummum vitæ diſcrimen adiit. Detectis autem inſidiis, coniuratos meritis affecit pœnis, fratrisque filios Galeacium & Barnabam, eius concepti ſceleris conſcios, in vrbes Belgici Oceani relegauit; tanta indignantia animi acerbitate, vt eorum nomen per epiſtolas euulgata conſpiratione, apud Principes Chriſtianos perfidiæ notâ ſugillârit. Parmam auro coemptam imperio adiecit. Regnauit annos octo, corpore æger, atque animo maximè ſeuerus & triſtis: quandoquidem amicis necatis, relegatisq; propinquis, & vxore adulteriis atque inceſtu ſuſpecta, inter podagræ cruciatus vitam ſibi tædio atq; oneri eſſe fateretur. Sed impudica vxor pœnam flagitij verita, nòn matura adhuc fata, miſto poculis veneno, facilè præcipitauit. Effigies eius in Actij ſepulchro marmore ſculpta proſpicitur.

IVLII FEROLDI Cremonenſis.

Te ciues flenêre tui, Luchine peremptum,
Quòd tecum extincta eſt iuſtitia & pietas.
Talibus exequijs, partiſq́; tot ante trophæis
Viſus eras felix, quum morerere, mori;
Si non crudelis miſcente aconita Megæra
Mœſtam exhalaſſes (heu miſerande) animam.

Iohannes Archiepiſcopus.



LVCHINO erepto Iohannes ſacri & profani iuris poteſtatem complexus, incomparabili magnitudine animi Principem egit, pietate, iuſtitia, ſplendore vitæ & clementia, antiquis Heroibus comparandum. Ore probo ſemperque hilari, cum maieſtate grauitatis, ſinceri animi candorem, iuſtæ liberalitatis ſpem, & facilitatem cunctis adeuntibus pollicebatur. Inimicorum voluntates beneficiis ac humanitate flexit: hoſtium verò ſpiritos ſomma virtute contriuit. Fratrum filiis, quos Luchinus relegârat humaniter pepercit, totiusque imperij deſignauit hæredes. Genuenſes cum vniuerſa Liguria huius imperio paruerunt, is quoque Florentinos, quum ipſorum vrbi immiſſis per Apenninum ingentibus copiis, magnum terrorem admouiſſet, pacem ea lege petere coëgit, vt Lucenſibus, Piſanis & Senenſibus bellum inferre deſinerent. Actianæ verò magnificentiæ ſtudium æmulatus, luculentiſſimam domum contra Templum maximum iuxta Accij curiam condidit, & Abduam amnem, qua deſinente

Lario

Lario ad Leucum coarctato exitu emittitur, ſumptuoſiſſimi operis lapideo ponte iunxit. Singularem demùm animi moderationem tum maximè oſtendit, quum apud Piſas à Iacobo Corbario Pſeudopontifice Senatorio galero honeſtatus totum id purpuræ decus, vel cohortante Cæſare, vt beneficio vti vellet, conſtantiſſimè renuit; ne his ſuſceptis inſignibus, legitimi Pontificis maieſtas lædi videretur. Obiit ſcalari anno, natus annos LXIII. Effigies eius nullo viciata ſitu, in ſuperiore conclaui Pontificiæ domus, in cyanea chlamyde egregiè picta conſpicitur; ante Deiparæ Virginis imaginem habitu ſupplicantis.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Cærulea chlamyde inſignem niueiſq; nitentem
Pellibus, & Scythico maculis ſub tegmine fuſis,
Stellanti Regum ornatu, Heroumq; Deumq;
Inſubrum venerare Ducẽ, Ligurumq; potentem.
Hic vir hic eſt, viden' vt generoſo effulgeat ore
Maieſtas? viden' æthereas elapſa per auras
Pulſa Aſtrea olim fronti vt conſederit altæ,
Diuinoſq; oculis Venus alma afflarit honores?
Olli qua tenero nimboſa per auia lapſu
Serpit humi Eridanus, quàque altior exit, & auctus
Centum fluminibus, gemino ſternit ſata cornu.
Quaq; aſſueta malo, veterumq; exercita bellis
Romulidûm, gens dura, animuq; elata ſuperbis
Auro intexans Tyrrhena agilis verrit vada puppe,
Olli alacres ceſſere omnes; quaq; arduus almam
Principio Auſoniam ſecat Apenninus, vtrunque
Cùm mare proſpectat, ſubiectiſq; intonat vndis:
Ille, ille imperij fortunarumq; ſuarum
Conſortes mira amplexus pietate nepotes
Conſtituit pulſos, ſolijſq; locauit auitis,
Marmoreaſq; ædes, Phrygijſq; innixa columnis
Atria, regalemq; aulam laquearibus aureis
Condidit, & patriæ æternum decus addidit vrbi.
Iunctus & ante tuos operoſo eſt Abdua ponte
Maxime Lari oculos, violenta vt flumina diſcãt
Ferre iugũ, fremitu neu quiſquã aſſurgat iniquo.
Purpureum ille etiam decus, atque inſignia dona
Coralio è fragili, trabeam, faſceſque ſuperbos
Reſpuit, & quæ quiſque ambit, pede reppulit alto.
Ergo iterũ venerare, ducemq; patremq; ſacrorũ
Et gladio, & lituo, ſceptriſq;, animiſq; potentem.

Galeacius Secundus.

HIC eſt ille Galeacius, Stephano Matthæi magni liberorum vltimò genitus, qui decore formæ cunctos ſuæ ætatis mortales anteceſſit. Is defuncto Iohanne patruo, ſicuti in teſtamenti tabulis erat præſcriptum, Mediolanum, & vniuerſas principatus vrbes, cum Barnaba Matthæoque fratribus trifariam diuiſit. Sublato autem Matthæo mira concordia cum Barnaba duos & viginti regnauit annos; ſic vt per omnem ætatem communibus copiis atque conſiliis imperij fines tuerentur. Magnificentia autem operum cum fratre certabat; quo nobiliſſimo ædificandi ſtudio, quum maximos Europæ Reges conſtitutis admirandis ædificiis æquaſſet; authore Petrarcha, ſeipſum condita Ticinenſi arce facilè ſuperauit, quod Ticino vrbis mœnia præterfluenti lapideum pontem impoſuiſſet; perpetua protectum contignatione, munitumque propugnaculis ad vtrumque caput excitatis. Quo opere ornantibus periſtyliis nullum præſtantius aut iocundius in Italia videmus. Ad nobilitandam quoque vrbem cœli clementia, vbertate agri, duorumque amnium omnis generis fructus admirabilem copiam inuehentium, opportunitate clariſſimam, quæ Longobardorum Regum ſedes olim fuerat, Gymnaſium condidit, ex authoritate Caroli IV. Imperatoris, accitis vberrimo ſtipendio diſciplinarum omnium Profeſſoribus, cui permagno eruditoque munere acceſſit Bibliotheca, adhortante Petrarcha, quam nos nobiliſſimis codicibus refertam, & demum ingruente bello, immaniter ſpoliatam in arce vidimus; pari militum externorum licentia euaſtatis viridarijs, quæ ſepta ferarum à parcendo Parcos vulgus appellat. Ea lateritiis mœnibus cincta viginti milliarium ſpacium complectuntur; paratis ſemper ad Principum voluptates omnis generis venationibus & ancupiis. Ab hac opulentia, ambitioſa ſumptuoſaq; libidine, cùm magnis Regibus affinitates quæſiuit, Regis Galliæ filia Ioanni Galeacio filio nuptui data, & Leonarto Britanniæ Regis filio in generum adſcito. Summis autem podagræ cruciatibus affectus, quinquageſimo nono ætatis anno exceſſit è vita. Effigies eius pluribus in locis in arce elegantiſſimè depicta: hoc verò habitu conſpicitur in inferiore porticu, quæ ad leuam intrantibus occurrit.

IVLII FEROLDI.

Muſis hic Galeacius beatũ
Auguſta atria, nobilémque ſedem
Ticini ad liquidum dicauit amnem,
Illic vt coaleſceret iuuentus,



Boniſq́ imbueretur artibus, quas
Mox diffunderet vſquequaque in orbem.
Muſis & Iouius ſenex beatis
Ticini ad liquidum inſtitutus amnem,
Auguſta atria, nobilemq́ ſedem
Vdo in margine Larij dicauit.

Hic armis Galeacium nitentem,
Virtutis memor inclyta locauit,
Vt fortiſſimus, optimusq́ Princeps
Formoſiſſimus omnium virorum
In Heroibus emicet, viroſq́
Inter fulgeat ille bellicoſos.

Barnabas.

MARTII ſpiritus vis ingens, & ea ſemper indomita, crudelis, maximeque ſuperba, in hoc Principe vſque adeò viguit, vt innata immodico eius animo, proferendi imperij libido, neque ſecundis, neque aduerſis prælliis frangeretur. Is enim naturà pugnax & intrepidus, dū fortunæ alea plurimū gauderet, nec vectigalia bellicis ſumptibus ſufficerent, populos imperio ſubditos in cogenda pecunia acerbiſſimè vexare expilareq́; erat ſolitus. Quanquā per idem tempus inſano propè ſtudio ædificādi teneretur, imperatisq́; operis apprimè iniurioſus, & ſupra quàm dici poteſt, aduerſus agricolas immitis euaderet. Venationi ſiquidem perditiſſimè deditus, totum eius voluptatis inſtrumentū, quod duobus inſignium canum millibus conſtabat, cuſtodiendum alendumq́; per familias vicatim diſtribuerat; graui miſerorū agreſtium



ſtium detrimento metuſq; ſolicitudine, quũ pœnas atrociter exigeret vel minimæ negligentiæ; integramq; aliquando familiam quę aprum occiſum ſale conditum comediſſet, ſuſpendio punire nõ vereretur. Ab hoc faſtu fœdè prodigus & rapax, eo maximè auaritiam oſtendit, quòd decem filiabus per omnem Europam nobiliſſimis regulis nuptui datis, innumerabiles pecunias in earum dotes contuliſſet. Ab vltima enim Britannia & è Cypro regiæ ſtirpis generos ambitioſè ſibi aſciuerat. Sed in dies magis ac magis ærarium exhauriebant ſeptem liberorum ætate florentium inconditus luxus, & paterno exemplo nihil intermiſſæ voluptates. Hinc Barnabas prolem ſuam modico imperio, ſi per partes diuideretur minimè contentam fore exiſtimans, circumſpicere fortunæ ſuæ modum qui erat exiguus ſi in ſingulos diuidundus foret, & fratris filio tantæ opulentiæ dominatum inuidere cœpit. Ioannes enim Galeacius ſopito atque inerti ingenio putabatur, quòd literis potius quàm armis vacaret, deditusque religioni, nulla prope contrà ac illa ætas ferret, voluptatum intemperie caperetur. Idcircò patruelibus luxu diffluentibus facile erat contemptui atque odio; ſic vt de eo intemperanter obloquerentur, atque ei vitam inuiderent, nefarij conſilij cogitationes cum patre miſcentes; vſqueadeò atrociter, vt eum quoquomodo tollendũ decernerent. At Ioannes Galeacius explorata per ſpeculatores propinquorũ malignitate, anteuertere vitæ diſcrimen ſtatuit, magnaque ſimulatione contecto conſilio, quũ profiteretur ſe iturum religionis cauſâ ad Deiparæ Virginis templum quod in montanis eſt; exeuntem ſibi obuiam extra Ticinenſem portam Barnabam patruum nihil tale timentem comprehendit, ſtatimque cum globo armatorũ vrbem irrumpens, patrui domum atq; arcem populo diripiendam præbuit; ſic vt puncto temporis, & principatus, & tantæ opes conciderent, nec quiſquam capto opem ferre auderet. Paucos verò poſt dies eũ in carcerem Tritianę arcis cõiecit, vbi vir omniũ miſerrimus, qui armis totã propè Italiam concuſſerat, acerbitateq; morũ magnum

ſibi vndique odium conciuerat, ſexageſimo ſexto ætatis anno Fato ceſſit, paremq́ue propè exitus ſortem tulerunt eius liberi, magnis exilij & egeſtatis iactati fluctibus. Effigies Barnabæ in Concano templo picta ſpectatur, quum adhuc extet marmorea ſtatua equeſtris, qua ſepulchro eius ſuperpoſita Ioannes Galeacius, vt tanti admiſſi facinoris atrocitatem leniret, eundem & patruum & ſocerum honeſtauit.

Francisci Manfredi Cremonenſis.

Quanam te in medio grauis ſeneĉta
Vexauit mala Barnabas libido?
Quis dirus furor, aut cruenta Erynnis
Egit præcipitem, feróque corde
Tantas protinus excitauit vndas?
At non hæc eadem Deis, deûmque
Rectori placuêre; concidisq́;
Tuis conſiliis miſelle, quódque
Inſonti ſcelus extruis nepoti,
Fatales tibi deſtinant ſorores.
Felix heu nimis ac nimis beatus,
Si tam turpia, tam nefanda nunquam
Aegro pectore facta cogitaſſes,
Ac diram ingluuiem rapacis auri
Expellens, niueum integrumq́; ſemper
Vſque ad funeris vltimas fauillas
Seruaſſes animi tui nitorem.

Ioannes Galeacius.



PARENS vt ſpectare licet, tanto imperio grauiſſimi oris maieſtatem tulit Ioannes Galeacius, idem in Italia tot iu vnum dominatum coactis vibibus lougè maximus; & vi prudentis ingenij, & belli fortuna omnium qui iu Italia regnârint poſt Theodoricum Gothorum Regem præſtantiſſimus. Nemo eo neque ærarij facultatibus firmior, ueque validior copiis, neque fide atque virtute Ducum ſuorum felicior fuit. Alebat enim lectiſſimas copias, & quoſque nominis fama inclyros Duces, magnis præmiis ſibi adſciuerat, per quos bella gerebat. Opulentiſſimæ vrbes ſtipendia ſuppeditabant, rario & diſciplina expeditaque liberalitas cuncta regebaut. Domi ſiquidem intentus conſiliis aſſiduè vigilare, quàm foris arma exercere malebat; quòd patre viuo non ſemel belli fortunam expertus, mulia ei aduerſa obueniſſeut; adeò vt ab Aucutho Britanno Florentinorum Duce tumultuaria pugua in Brixiano agro profligarus, vix circumfuſorum hoſtium manus effugerit. Serendo bello contentionis cauſas quærebar, ſerpendoque & vrgendo, Scaligeros Verona, Carrarios Pataulo expulerat, Gonzagis penè Mantua pulſis. Quo rerum ſucceſſu Bononiam Pontificiis copiis ad Caſalecium magno prælio ſuperatis receperat. Luceuſibus demum, Piſanis, atque Senenſibus In ditionem acceptis, Perufia, & Aſſiſio in Vmbria potitus, graue bellum Florentinis iutulerat, eo quidem acerbius quòd iuſignes iniurias vltum ire properabat. Nam Florentinl præpotentis ac immodici hoſtis Etruriæ iugum ſuperbè comminantis, nequaquam inſulſè reformidantes, iu eum bellicoſiſſimam Gallorum gentem, & Germanorum Cæſarem, grandi pecunia concitârant. Sed virtute Ducum & Galeacij fortuna, Galli cum Armeniaco Duce ad Alexandriam cæſi deletique ſunt, & Brixiano in agro Germanorum alæ aliquot equeſtribus præliis ſuperatæ, in Germaniam ſunt repulſæ. Patabat itaque victor ſupremam cladem Etruriæ, proculdubiò totius Italiæ regnum iuuaſurus, uiſi Fata id ſupremum ei decus inuidiſſent; æſtiuanti enim ad Lambrum amnem, peſtilenti morbo an veneno incertum, properantia Fata tanti conſilij ſpem eliſerunt; anno ætatis quinquageſimoquiuto quum paulò antè è Ladislao Cæſare Mediolanenſis imperij ſuſceptis iuſignibus, primus ſuæ gentis Dux & Priuceps fuiſſet appellatus. Nemo Regum ornatiore, aut ſumptuoſiore exequiarum pompa elatus eſt, quum ſingulorum oppidorum Legati, & tota ferè vrbana uobilitas, atra veſte ex ærario donati ſint, & in producendis ſacerdotum ordinibus, illuſtrandaque pyra, ſupra viginti millia cærea funalia eo die arſerint. Effigies eius Carthuſiano in templo prope vrbem Ticinum marmore ſculpta, multis in locis, præcelleuti autem habitu depicta ad Cœnobium Caſtellatij iuxta Mediolanum ſpectatur.

IVLII FEROLDI.

Huic primò nomen Ducis atq; inſignia Cæſar
Detulit Inſubrum, eximio dignatus honore.
Hic ille eſt bello fortunatiſſimus heros,
Barbaricis populis & formidatus Etruſcis.
Cui Verona potens, diueſq; Bononia ceſſit,
Atq; Antenorida, atq; Alphææ ab origine Piſa,
Innumeræq; vrbes aliæ, populiq; feroces.
Ille etiam Gallos, Germanorumq; phalanges
Reppulit, haud paſſus noſtris conſidere in oris;
Et Florentinos obſedit milite colles.
Armipotens illum donec mors abſtulit atra,
Et regnum Italiæ inuidit Fortuna potenti.

Ioannes Maria.

APERTO defuncti patris teſtamento duo filij impuberes Ioannes & Philippus, quibus Mariæ cognomentum fuit, ea conditione hæreditatem adiuerunt, vt Ioannes Mediolani Ducis nomen obtiueret, Philippus Ticini Comes appellaretur; quibus bifariam diuiſæ imperij vrbes accederent, Gabrieli verò ex nobili concubina ſuſcepto, qui his natu maior erat, Crema & Piſæ in dominatum obuenirent. Cæterùm euulgata Galeacij morte, copiarum Duces, nullo pudore perfidiæ, opportunas ipſis vrbes inuaſerunt; ſic vt immenſa moles opulentiſſimi principatus, quum ab imbecillo adoleſcente tegi nou poſſet, inuſitata ducum proditioue vndique concuſſa & dilacerata corrueret, & cuncta paſſim ſingulis in vrbibus atroci factionum malo & cruentis diſſenſionibus quatereutur. Nam Pandulphus Malateſta à fide impudenter diſcedens, Brixia & Bergomo potitus fuerat: Cabrinus Fondulius Cremonæ: Ioannes Vineatus Laudi Pompeiæ: Otho Bonrertius Parmæ, Placentiæ, Ateelli: Tornielli, Nouariæ: Franchinus Ruſca, Comi: & Faciuus Cauis Papiæ atque Alexandriæ, armis & factioſi populi ſtudio, dominatum ſtripuerant; eoque ærumnarum imbellis adoleſcens deuenerat, vt diuerſos gubernatores, qui armis authoritateque Mediolani ſeditioues pacarent, acerſere cogeretur, ſæpeque eos, fremente populo, tanquam factioſos exauthoraret. & poſtremò



Buccicaldus vir Gallus, qui nomine regio Genuæ præfecturam gerebat, vt cuncta ad arbitrium regeret, Mediolanum euocaretur. Is corpore atque animo vaſtus, quum ambitioſè atque ſuperbè ad Principatum Ciſalpinæ Galliæ palàm aſpiraret, graui Gibellinorum impetu Mediolano exturbatus eſt. Sæuus autem Princeps in ciues, poſt multos ex amicis paternis ſecuri percuſſos, inauditæ crudelitatis carnificinam exercuit: prægrandes enim & voraciſſimos moloſſos, noxiorum primò, & mox innocentum carne nutritos, magiſter eorum Giramus fera immanitate ita alebat, vt eis quos odiſſet Princeps diſcerpendos obijceret, incredibili horrore gemituque pauentis populi. Hæc effecère vt nobilium ciuium vtriuſque factionis generoſa cohors, Duce Paulo Baucio, hanc immanem belluam in ipſa curia adoriendam, mactandamque inita coniuratione ſuſciperet. Atque ita abominandus Princeps dum in templum Gothardi ſacrorum cauſà deſcendit, trucidatus eſt; media fronte ad oculos vſque diſciſſa, & altero crure detruncato. Nec quiſquam cadenti opem tulit. Deſerto autem ab omnibus, & maximè cruento cadaueri, vna omnium humanitatis nō oblita ignobilis meretrix, ſupremum officium piè exoluit, quum iacentem ad tegendam vulnerum fœditatem, recentium roſarum aceruo cooperuit. Effigies Iohannis vno in loco quòd viderim, viperijs oculis venenum ſpirans, parte viuo picta, in altaris tabula, quæ eſt contra aram Templi maximi, ad extremum teſtudinis poſita, Mediolani ſpectatur.

IOAN. PAVLI AMANII Cremenſis.

Quæ nam torua leæna, quæ vel vrſa,
Duro in vertice Caucaſi creauit
Tam duro ingenio virum, impioq;
Humanum in genus, ac deos in ipſos?

Ille

Ille vt ſcilicet Inſubres cohercens,
Infando imperio (nefas) iuberet
Immaniſſimus omnium tyrannus
Impaſtis canibus feris vorandos
Inſonteſq́; dari ſimulq́; ſontes?

Illum at quàm miſerè reor viciſſim
Aequis vt crucietur vſque pœnis;
Nunc diſcerpere Cerberum furentem,
Vltorem ſceleris maliq́; tanti?

Philippus Vicecomes.



EO ipſo die, quo Iohannes Maria Mediolani trucidatus eſt, nuntio cædis accepto Facinius Canis Ticini podagra oppreſſus exceſſit è vita; eo ſpiritu, vt Duces ſuos ſuprema obteſtatione cohortaretur ad vindicandam coniuratorum perfidiam, attollendumque Philippum, vt paterno imperio potiretur. Erat tum Philippus in arce Papiæ, morientique aſtiterat captiuo ſimilis, imperij viriumque expers, & auri valde inops. Nam Facinius prodente Caſtellino Becaria, vrbem ſuis copiis occupârat. Adiuuat Philippi Fortuna Beatrix Tenda Facinij vxor, quæ in ipſo mariti funere cum Philippo adoleſcente nuptias appetebat. Ea muliebri ambitione atque libidine incenſa, quanquam dignitate impar, annis autem ſuperior, opportuna tamen dotalibus theſauris Philippo videbatur. Itaque raptim inauſpicatæ fiunt nuptiæ, conciliantibus Ducibus, qui Faciniano auro oculos adiecerant. Nec mora, instructis

copijs numerataque pecunia Philippus Mediolani reducitur, pulſisque Sacramoro & Carolo Barnabæ filijs, qui regnum arripuerant, vehementi populi ſtudio Dux acclamatur. Plerique ex coniuratis per tumultum capiti ſupplicio afficiuntur. Venit & in poteſtatem noui Principis Modoetiana arx Sacramoro tormenti ictu interfecto. Fuit illi in recuperando regno perſequendisq; hoſtibus mira felicitas; vtpote qui ſingularum prope vrbium tyrannos ceperit & occiderit, reliquos exturbarit. Sed videri potuit & ſæuos & ingratus erga vxorem, quæ theſauris ſuis deſertum ab omnibus & egentem ad imperium euexerat. Circumuentam enim dubijs indicibus, damnatamque adulterij, vel nihil tale in tormentis confitentem refellentemque iudices, pudica fronte ſecuri percuſſit, vt Allobrogum Principis filiam duceret. Geſſit varia fortuna, variaque morum fama bellum cum Venetis & Florentinis, eo exitu, vt Bergomum, Brixiam, & Veronam amitteret, moriensque Franciſcum Sfortiam cui Blancam filiam ex nobili ſuſceptam concubina in matrimonium collocarat, ex teſtamento totius imperij reliquit hæredem. Fuit Philippus adeò hebetibus oculis, vt factus ſenex, obuerſantium ante ſe vultus non planè diſcerneret, aſſiduo ſecretoque monitore vteretur in reſponſis dandis, ne pupillæ vitium detegeret. Sed magnitudine generoſi animi, maximos ſuæ ætatis Reges facilè ſuperaſſe cenſetur, vel reparando bello inexhauſtis opibus, vel in paranda laude præſtantiſſimæ virtutis. Solus enim incomparabile veræ clementiæ decus tulit, cùm Alfonſum Regem cum fratribus, & Nauarræ item Regem bello nauali ad Pontiam captos, & ad ſe Mediolanum perductos, non cunctis modò humanitatis officijs, ſed ampliſſimis muneribus & copiis inſtructos liberaliter dimiſerit, ad recuperandum Neapolitanum regnum, de quo cum Iohanna & Andegauenſibus armis contendebat; vt non receptæ modò libertatis, ſed parti regni beneficio commutata repentè fortuna lætarentur. Quanquam hæc tantæ clementiæ, magna quidem, ſed intempeſtiuè quæſita laus, ſingulari ei ceſſerit detrimento. Non tulêre enim contumeliam Ligures, qui Regem ceperant, quòd inimicæ gentis Rex aliena gratia liberatus, implacabile erga ſe odium ſeruaturus crederetur, ipſique propterea interfecto Opicino Genuæ Philippi Præfecto continuò rebellârint. Philippi effigies Mediolani multis in locis picta, ſed longè elegantiſſimè in domo Franciſci Tabernii Epiſtolarum magiſtri, in frontiſpicio inferioris magni conclauis ex arte plaſtices efficta ſpectatur.

IANI VITALIS.

Clementiſſimus atq; liberalis
Inſubrûm dominus Philippus hic eſt,
Victis Regibus vnico duobus,
Qui bello manicasq; compedesq;,
Leuari iubet, in ſuasq; abire
Donatos opibus Luculliania
Sedes, & ſua regna, liberatos
Tetro carcere. Diſcite hinc tyranni
Sunt hæc munera Principum, ſuperbos
Debellare, pios & eſſe victis.

Iohannes Vitellius Cornetanus
Patriarcha & Cardinalis.

MAGNVM & memorabile inſolentis fortunæ exemplum inuſitato ſacratis viris exitu præbuit IOHANNES Vitellius, Corneti in ora Tuſcorum nobili genere natus. Is ab adoleſcentia mediocribus inſtructus literis: ſed eis ab excellenti memoria expeditaque facundia in omnem caſum ſerij ſermonis adeò promptis, vt magnæ doctrinæ ſpeciem præberet: vir factus, cum hac ingenij indole contulit ſe ad finitimum Tuſcanellenſium tyrannum, cui ob hæſitantiam linguæ, Tartaliæ cognomentum fuit. Hic ea tempeſtate inter claros Duces, validas equitum copias ductabat, vtebaturque Vitellio in perſcribendis epiſtolis, obeundisque apud diuerſos Principes & Duces legationibus. Quibus in rebus ſuam adeò efficacis induſtriæ exactiq; iudicij operam probauit, vt ſecretioribus negotijs tanquam conſilio optimus adhiberetur. In eo quippe vis ingenij mirifica eminebat, & naturâ erat aduerſus laborem & ſomnum indomitus, periculorum deſpector, imperij & militaris laudis auidus. Itaque arma ſæpe induere, & bellicis diſcriminibus audacter miſceri, ſæpeque inter milites, fretus quibuſdam iuris ciuilis floſculis, controuerſias minuere, magnoque vſui in aſperis rebus Tartaliæ eſſe. Sed poſtquam Martini iuſſu, iudicioque Sfortiæ, Tartalia commutati ſtudij accuſatus, tanquam ad Braccium aduerſarum partium Ducem tranſiturus, Auerſano in foro detruncata ceruice conceptæ perfidiæ pœnas dedit: Vitellius Romam ſe contulit; breuiq; vir ſolers, & aulæ moribus idoneus, Martino innotuit, à quo Protonotarius eſt factus. Creato autem Eugenio Vitellij ſtudium, vti erat vehemens, expeditum, & comprobante fortuna rerum euentibus felix, in ſenatu adeò miris laudibus extollebatur, vt in eo vno Reipublicæ ſalus & dignitas niti videretur. Itaque quum fortem fidelemq; operam difficillimis Reipublicæ temporibus nauaret, tanto

Pontificis



Pontificis ſtudio ſingulos honorum gradus adeptus eſt, vt legati quoque poteſtate copiis Pontificiis ſit præfectus. Ab hac enim ſecunda rerum geſtarum fama, eum Pontifex maturata liberalitate, è Protonotario Recanatenſem Epiſcopum, nec multo pòſt Patriarcham Alexandrinum, & mox Florentinum Archiepiſcopum, demumque ad nuntium exoptatæ victoriæ Cardinalem creauit. Tanta itaq; Vitellius Pontificis gratia inſignis & potens, inimicos & inuidos gloriæ ſuæ obtrectantes facilè contemnebat. Erant enim magna quæ ad inſigne Reipublicæ commodum geſſerat, quum tyrannos pontificij imperij ditionem impudentiſſimè lacerantes, ad vnum propè omnes deleuiſſet. Nec ſi quid paulò acerbius & violentius gerendo bello patraſſet, quod ſacrato viro indignum foret, vllas earum rerum querelas, tanquam ab inuidia malignè delatas, ad aures Pontifex admittebat, quum reſponderet, hunc eſſe morem factioſorum impiorumq; hominum, vt ſeueritatis atq; iuſtitiæ nomen odio haberent, publicasq; iniurias extrema pœna minimè vindicandas arbitrarentur. Principem quidem Salernitanum Martini Pontificis fratris filium, cæterosq; Columniæ familiæ proceres, qui armati antea in Vrbem occupata Capena porta irruperant, perſecutus armis, omnibus auitis paternisq; oppidis cuncta populatus exuerat; Iacobumque item Vicanum vrbis præfectum, multis circa Vetrallam oppidis imperantem, redactum in poteſtatem, & cum eo Trincium Fulginatium tyrannum in arce Suriana ſecuri percuſſerat. Antoniumque deinde Piſanum ab Etruriæ oppido Pontaderam appellatum, virum militia clarum, & multis literarum ornamentis inſignem, quòd Priuernum in Volſcis occupauiſſet, in-multoatio prælio fuſum captumque, indigno miſerabilique ſupplicio ad oleam ſuſpenderat. Qua necis atrocitate, vel ob id magnam inuidiam ſubiit, quòd Antonio id mortis genus tanquam honeſtiſſimo viro, & diu cum laude militiæ verſato indignum, deprehenſisq; tantum latroni-

bus meritum, ſuppliciter deprecanti non modò non indulſerit, verùm crudeli vſus ironia in carnificem verſus dixerit, Lege ergo age, & æqua poſtulanti, viro forti præclaroque geminum innecte laqueum, altioremque ramum delige, vt honeſtius ac ſplendidius pendeat; atque ita miſerabiliter duplici capiſtro, vir alioqui tam fœdo ſupplicio indignus, in arbore ſtrangulatus pependit. Tandem etiam Etruſco bello ſupplicij ſortem tulerat Armalerius Aſculanus, egregij nominis Centurio, quum ad hoſtes ex leui coniectura tranſiturus putaretur. Romæ autem acerbè conquiſitis & raptis ad ſupplicium, qui excitato tumultu Pontificem in fugam per Tyberim coniecissent, Lateranenſisq; templi ſacraria direptis quibuſdam donariis impiè violaſſent, carnificinam in campo Flore exercuerat, horrentibus trementibusq; Romanis eius viri aſpectum, properataq; & nimis ſæua iudicia, quæ vel ſummæ dignitatis deprecatores omni miſericordia atq; humanitate ſemper vacua reperiſſent. Verùm non multò pòſt Vitellius optione gratiaque Pontificis decidit, quum aduerſus Alfonſum regem miſſus, pro Renato Andegauenſe ad Neapolim eo euentu bellum geſſiſſet, vt poſt profligatum captumq; Vrſinum principem Tarentinum, & mox dimiſſum, parta victoria vti noluiſſe parùm fideli, aut importuna cunctatione crederetur, ſicuti antea Picenum agrum occupanti Franciſco Sfortiæ, nec tum viribus aut incolarum ſtudiis præualido, repentè petita mari fuga, ſimulatoq; ſalutis ſuæ periculo, conceſſiſſet. Onerauit demum immani nefarioq; auſu cùm ſuam tum Pontificis famam, quum inita coniuratione Alfonſum regem ſub fide induciarum opprimere cogitaſſet. Ab eo ſiquidem rege ad Salernum obſeſſus, vt inſtantis periculi caſum effugeret, vir æquè fallax & vafer, cum rege inducias in tres menſes pepigerat, quo ſpatio turpiſſimè fidem abrumpens, coniunctis cum Iacobo Caudala cenſibus & copiis, ad regem tum fortè hyemantem ad Iolianum vicum Auerſani agri improuiſus aduolarit. Nec regem alia res ſeruauit, quàm religiosè excultum eo die numen; ſolenni enim tum fortè feſto die Chriſti natalis, paulò pòſt aurorâ triplici ſacro intenturus, ante aram procideſat, quum Vitelliani improuiſi inexpectatiq; hoſtes adeſſe nunciati ſunt. Tanta autem fuit irrumpentium celeritas, vt ferè capto regi breue ſpatium ad elabendum non planè peractis ſacris relinqueretur; & impius hoſtis omnem ſacrorum apparatum, & expoſitam ad celebre epulum regij Abaci ſupellectilem auidè diriperet. Id facinus ingratum Pontifici, odioſumque ſacrato ordini, & cunctis execrabile, vehementer Vitellij exiſtimationem labefecit, quum in eius induſtria, quanquam ſingulari atque mirifica, fluxa fides & atrox violentia damnarentur. Eius autem improbi atque audacis animi notam Patriarcha ſalſo dicterio diluebat, quum diceret, ſe, vti rex expetiſſet, quod pollicitus fuerat, bona fide præſtare voluiſſe. Paulò enim antè Alfonſus per præconem Patriarchæ cum iactantia nunciarat, ſe Marte iudice illum indecenter arma tractantem, eò redacturum, vt tanquam infimi ordinis ſacrificulus, miſſarum ſacra vno denario ſibi peragerer. Ad quod inſolens dictum Vitellius ſua vſus ironia reſponderat, non abnuere conditionem, vt magni regis capellanus efficeretur: verùm ſe non prius quàm inchoante anno ipſo Chriſti natali die munus hoc ſuſcepturum, vt auſpicatò & gratuitò quidem ei ſacra ſolennia celebraret. Sic vt poſtea rex periculo ereptus, in magna ſuorum frequentia acutiſſimi ſacerdotis ironiam agnoſcens, ſe eo ſcommate probè eluſum fateretur. Sed is non multò pòſt malo genio animum eius vaſtum & inſatiabilem impellente, maximum imperium & ſummum denique pontificatum affectare cœpit, aut viuo Eugenio, ſi ille ſub cenſura concilij exauthoratus concideret, aut certè mortuo, quando iam difficilem morbum animi languore concepiſſet, ab aduerſi Baſilienſis concilij decretis. In eam ſpem adipiſcendi pontificatus venerat, quòd validiſſimis copiis ſubnixus, ſingulas pontificiæ ditionis arces, per fidos ſibi atque obnoxios clientes in poteſtate haberet. Nec defutura ſibi Patrum ſtudia atque ſuffragia, vel primo comitiorum die arbitraretur, quoniam ſibi opulento pecunioſoque ad opportunas largitiones expedita facultas foret. Oderat Florentinos tanquam ingratos, quòd eorum Rempublicam ciuili ſeditione perturbatam, ſe ſua authoritate compoſitis rebus conſeruaſſe prædicabat. Illi tamen in ipſius contumeliam Rainaldum Albitium primarium ciuem ab ſe vehementer commendatum exilio mulctauiſſent. Veneris autem indignabatur, quòd per legatos apud Eugenium omnem ſuam gratiam & dignitatem conuellere contendiſſent. Noua itaque conſilia cum Nicolao Picinnino ſuſcepit. Is tum clariſſimus bello dux Philippi Mediolanenſis exercitibus præerat, defendebatque acerrimè eius ditionem aduerſus Venetos Florentinis fœdere conſociatos. Summa conſilij erat, vt Picinninus in Etruriam accerſeretur, ipſe è Latio promotis copiis cum eo ſe coniungaret. Id conſilium interceptis ad montem Politianum literis, planè detectum eſt. Scribebat enim Vitellius ad Picinninum notis arbitrariis, quæ fieri volebat, quæ tametſi ab interprete explicari non poterant, magnam tamen commutatæ fidei ſuſpicionem afferebant. Erat apud Eugenium omnium conſiliorum arbiter Ludouicus Patauinus, Patriarcha Aquileienſis, ex Medico Cardinalis factus, vir aſtuto perſcriptque ingenio Vitellij potentiæ vehementer infenſus. Is quum graui facundia in Vitellij mores atque conſilia criminosè inuectus diſſeruiſſet, Eugenium nunquam integra Pontificij imperij poteſtate Vitellio viuo potiturum, illius opprimendi conſilium obtulit atque perfecit. Præerat arci molis Hadriani Antonius Rido, vir militaris, & ad omne patrandum


dum facinus paratus, quòd commendatione Ludouici ad eam præfecturam perueniſſet. Huoc quæ Pontifex peragi imperet, atque ipſe cupiat, ſecretò edòcet, & quæ in negocio opus forent ſedulò conſtituit. Igitur ad Calendas Apriles moturus caſtra Vitellius Antonio ſignificat, vt ſibi Hadriani pontem tranſeunti adeſſe velit, vt de cuſtodia muoitioneque arcis & profectione ſua quædam cum eo communicet. Eam occaſionem excipit Antonius tendeodis inſidiis idoneam. Præmittitur prima luce à Vitellio Comes Auerſus Anguillarius cum quatuor millibus equitum duobuſq; millibus peditum; ipſe poſtremus cum familiaribus agmen claudit. Tum verò Antonius porta arcis egreſſus prætervectum totius pontis longitudinē, inermis & cōpoſito vultu ſalutat; accedenſque propius ſimulatione ſecretioris colloquij procedentem comitatur, pedes equitem, habenas molliter tractans, tam diu de annonæ ſupplemento, de ioſtaurando tormentorum & telorum apparatu verba producit, quoad contra arcis portam peruentum eſt. At Vitellius ſe maturè curaturum pollicetur, vt nihil earum rerum iodigeret, ſe Reipublicæ cauſa in Etruriam ducturum, tantiſperque Cornetum ex itioere diuerſurum, vt ædificaram ab ſe magoo ſumptu domom inſpiciat. Eodem verò puncto temporis Antonius equi frenum arripit, ſignum dat, cataracta demittitur, quæ extremum pontis caput excludit; erumpunt ſatellites, perturbatumque inopinato malo Vitellium circumſiſtunt. Ille nihil ſe deſerit, calcaribus equum, ſed fruſtra incitat, atque incuruum gladium, quo militari more cioctus erat, ferociter educit. Sed obluctantem ſatelles falcato haſtilis vnco, quod hodie Roncham vocant, per ceruicem corripit: alter dextrum brachium, quo diſtricto gladio in Antonij caput ictum minabatur, grauiter vulnerat, atque ita cruentus intra portam arcis pertrahitur. Hunc ſupremæ calamitatis malo perturbatum, & ſe ingratè proditum, profundo ſuſpirio conquerentem, ornatiſſimo in thoro collocant, obliganturque ei vulnera, & Antonius vt bene ſperet cohortatur, quòd in poſterum Eugenius nō militari, ſed ſenatoria eius opera vti vellet. Ad id Vitellius anxiè æſtuans, ſe non eſſe adeò rerum imperitum reſpondit, vt temerè crederet, ſummæ dignitatis viros vel iniquo iure captos dimitti ſolere. À ſumma autem arce pèr præconem Vitellianis pronunciatur, vt timere, tumultuarique deſinant, quando iuſſu Pontificis graui de cauſa Cardinalis eſſet interceptus; Atque ita Comes Auerſus ſub ſignis iter extendens, opulenta Vitellij impedimenta in arcem Roncilioni ſuæ ditionis tanquam ſuam prædam abduxit. Nec multò pòſt, vt nonnulli tradunt, ſiue acerbitate vulnerum, ſiue indito veneno, fato functus eſt, caruitque honore fuoeris & tumuli, quanquam ei poſtea propinqui Corneti marmoreum cenotaphium extruxerint, quod hodie cum rudi elogio viſitur. Sed munificentiſſimæ domus ſtructuram atque amplitudinem, Pontificum hoſpitio dicatæ admiramur. Antonius autem Rido tanti patrati facinoris præmium vel in morte tulit, marmoream equeſtrem ſtatuam, quæ in veſtibulo templi Diuæ Mariæ nouæ ad arcum Titi conſpicitur. Ludouicus verò in demortui Vitellij locum, vt copiis præeſſet, ſuffectus eſt. Vera Vitellij effigies depicta io magno conclaui eius domus Corneti ſpectatur.

FABRNI.

Quis tua facta potis, laudesq́ æquare canendo
Purpuream ſuccincte togam, generoſe Vitelli?
Maieſtas tibi Romani paſtoris, honorq́
Debet, & antiquum tibi diſciplina vigorem
Acceptum ſeruata refert. tu fontibus æqua
Supplicia & meritas tribuis iuſtiſſimè pœnas.
Diſperſos tu ſyluarum per luſtra latrones
Non ſecus ac venator apros, indagine cingis.
Tu diros Latii dominos, tu triſte repellis
Seruitium, ſæuosq́ ſua quenq; vrbe tyrannos
Exigis, & iuſta populos ditione coherces.
Infanda plebis tu ſeditione fugatum
Pontificem ſacrum, iuſtis vlciſceris armis;
Stringis & horrendas in noxia colla ſecures.
Salue purpurei decus & tutela ſenatus,
Priſcarum virtutū imitator, & æmule laudum,
Imperio quod ſeruaras digniſſime, ni te
Præpropera ambitio tentaſſet inanibus auris,
Iactaſſetq́ auidam tranſuerſo turbine mentem.

Iulianus Cæſarinus. Cardin.

CÆSARINA familia inter illuſtres Romanorum procerum ætate noſtra, honoratis viris atque opibus florens, ſummam, vt aliqui voluot, claritatem cepit à IVLIANO ſancti Angeli Cardinale, cuius hoc loco vera effigies ſpectatur. Vetuſtatem eius originis nequaquam altè reperiunt, vel qui Cæſarinorum nomioi fauent, quum fateantur ex gentilitiis inſignibus, eos Columniis & Vrſinis fuiſſe recentiores, quòd ex alienis argumentis ſua inſignia condiderint. Scutum enim geſtant, in quo vrſus ad columnam catena deligatus pingitur, ſuperſtante tamen aquila nigra, quæ à Cæſaribus præclara nobilitatis teſtificatione ſtu-



dioſis partium ſuarum & clientibus dono dari conſueuit. Narrant autem ſuperiore ſeculo cruentis factionibus infami, cùm Vrſini cum Columniis de dignitate armis contenderent, Cæſarinos tanquam Gibellini nominis adhæſiſſe Columniis, inſignique edito facinore viciſſe Vrſinos hoſtes; ideoq; Cæſarinos tanquam præclaræ eius victoriæ authores, vinctum & columnæ catenatum vrſum ad memoriam clariſſimi facti in ſcutis expreſſiſſe. Sed hæc ex fama potius tradita per manus, quàm ex annalium fide referuntur; quum per quadringentos annos res Romana ciuilibus diſcordiis & Germanorum Cæſarum ſæuitia à ſtirpe propè exciſa, certo hiſtoriarum lumine caruerit. Verùm Cæſarinæ familiæ dignitatem facilè demonſtrat prærogatiua inſignis, qua præclaro populi Romani munere à Paulo tertio ampliſſimis codicillis confirmato, eius familiæ princeps inueterata conſuetudine maximum vexillum geſtat, cùm bello (ſi incidat) tum pace in ſpectaculis Agonalium ludorum, quæ ad normam veteris diſciplinæ Lupercalibus edi ſolent, vt armata iuuentus in equis ſimulachra præliorum repræſentet, & legiones per ſingulas tribus compoſito ordine decurrant. Fuit Iulianus honeſta facie, ſtatura inſigni, ingenio excelſo, eloquentia ſingulari, & moribus candidiſſimis, in gymnaſiis accuratè verſatus, ciuilis & diuini iuris ſcientiſſimos euaſerat. Qua facultate ad parandam ſibi ſenatoriam dignitatem opportunè gradum fecit. Nam ea tempeſtate eius ſcientiæ profeſſores præcipuo erant in honore, propter grauiſſimas de Pontificia dignitate diſceptationes, quum dira diuiſione tres vno tempore ſummi pontifices fœdiſſimo exemplo Chriſtianis præeſſent ſacris. Fuerat adſcriptus in numerum eorum iudicum, qui in conſeſſu Pontificis de ſupplicibus libellis referunt, & ſententiam dicunt. Quo in obeundo munere, Iulianus longè omnium ſubtiliſſimè atque rectiſſimè referebat. His itaque inſtructus literis, à Martino lectus eſt in ſenatum, tanto omnium fauore,

nore, vt paulò pòſt in Bohemiam legatus ſit miſſus, ad ſanandos eius gentis animos Huſſitana ſuperſtitione laborantes, obſtinatiſſimeque etiam tum in infanda peruicaces, quanquam nuper Hieronymus à Praga, eius hæreſis crimine damnatus Conſtantiæ, & combuſtus, in ipſorum contumeliam concidiſſet. Ea enim erat de Iuliani virtute conſtans opinio, vt vni illi ea prouincia demandanda cenſeretur. In omni ſiquidem ſenatorio munere apud eum vigebant dignitas ſine faſtu, doctrina ſine oſtentatione, ſine fuco probitas, & ſtudium ſine factione. Qui mores non modò factioſa in vrbe, aulaque maximè ſuperba, ſed apud omnes, quibuſcunque ſeriò acturus congrederetur, gratiam conciliabant. In Germaniam autem profectus Bohemos opinione ſua reperit duriores, & mortem cum cruciatu potius pati paratos, quàm vt à ſententia ſuſceptæ ſemel, quanquam nondum inueteratæ ſuperſtitionis diſcedere vellent; ſic vt nequaquam adhortationibus ſacrarum concionum, ſed planè validis perdomandi armis eſſent; quod victis pariter atque victoribus maximè calamitoſum foret. Aditis itaque Germanorum proceribus, & pertentatis eorum animis, quum arduum atque difficile, maximeque ſumptuoſum eſſe proſpiceret conflare exercitum, qui ex diuerſis auxiliis par eſſet bellicoſæ munitæque ſyluis atque fluminibus genti ſubigendæ, Baſileam ſe recipit, ad obeundum ſecundi muneris officium, ſcilicet vt indicto inchoatoque Concilio legatus præeſſet. Sancita enim lex fuerat Conſtantiæ, vt poſt quinquennium renouata ſacroſancta Synodo, antiſtites, ſacratique viri totius Europæ conuenirent, vt controuerſiæ de Diuinis placitis morumque cenſura, ſuprema diſputatione finirentur. Eam autem promulgatam legem mortuo Martino, Eugenius ei ſuffectus ita probauerat, vt Iulianus continuato legationis honore, toti Baſilienſi negocio præficeretur. Cœptum itaque excitatumque Concilium concurſu ſacerdotum eum habuit euentum, vt Eugenius ad id celebrandum vocaretur inuidia principum & quorundam antiſtitum, qui ei ſpecie religionis parti Pontificatus felicitatem inuidebant. Erant in eo Concilio multæ grauiſſimæque res commodo Reipublicæ à piis hominibus peragendæ; quòd Bohemorum inſania magnis artificiis ſananda videretur; quòd Turcæ Myſorum & Hungarorum fines vaſtarent; quodque explicanda eſſent veræ fidei dogmata, in quæ Reipublicæ Chriſtianæ Epiſcopi ſublata diſcordia conſentirent. Quæ omnia vt ritè diſcuti, rectèque decerni poſſent, præſentis Pontificis perſonam efflagitare videbantur. In hac re depoſcenda adeò multus fuit Iulianus, vt appareret, nimio pietatis ſtudio aduerſa & planè aliena Pontifici poſtulare. Ponebat enim decus ſuum, quòd probitate Chriſtiana niteretur, ante commodum ſalutemque Pontificis, qui in ſeueriſſima Synodo dignitatis, & totius fortunæ ſuæ periculum eſſet aditurus. Extant duæ à Iuliano ſcriptæ epiſtolæ ad Pontificem, quibus eum graui cum obiurgatione reprehendit, quòd citatus laboranti Reipublicæ non ſubueniat, & contra iuſiurandum indicto concilio non interſit; vſque adeò intemperanter, vt ſeni & articulari morbo laboranti, lecticam ad iter non defuturam ſcribat. Nec excuſandus cenſeretur, ſi parum pia, parumque generoſa tergiuerſatione hominum probatiſſimorum opinionem falleret. In ea expoſtulatione Iulianus planè impudens & ambitioſus quibuſdam videri poterat, niſi in eo mirum communis concordiæ ſtudium, & cura religionis præclara extitiſſet. Cæterùm Eugenius vel alias profunda prudentia vetus ſenator, & Pontifex quanquam nouus, ſui muneris & perſonæ nuſquam oblitus, eam contumeliam leniſſimè diſſimulauit. Synodum enim tanquam immanem & multorum capitum belluam, ad exitium maximorum pontificum cæca rabie concitatam eſſe differebat; ratus, his adimi libertatem & vitam, qui in externis terris ei belluæ ſe committerent. Non reformidabat tamen Concilium, ſed eius locum deuitabat, Balthaſaris Coſſæ exitum perhorreſcens. Igitur Eugenius commonefacto Iuliano, vbi ſenſit inſidias ſibi parari, Concilij locum damnat, tanquam Hiſpanis, Gallis atque Italis antiſtitibus incommodum; earum actionum decretis fidem abrogat, ſolenneque Concilium in vrbe Ferraria futurum edicit, accerſiturque è Conſtantinopoli Iohannes Græcorum Imperator, vt ex eius authoritate Græcæ gentis controuerſiæ cum Latinis componantur. Nec multò pòſt, pecunia Pontificis conducta aliquot triremium claſſe, Imperator cum lectiſſimis ſuę gentis Epiſcopis atque proceribus emenſus Hadriaticum, Ferrariam aduehitur, comitante ipſo Iuliano Cardinale legato. Is enim Baſileæ malignitatem quorundam deteſtatus, qui non ſtudio inſtaurandæ religionis, ſed circumueniendi Pontificis inaudita libidine ducebantur, ad Eugenij voluntatem ſe contulerat. In Concilio namque, Eugenio, quòd citatus non veniſſet, confeſtim exauthorato, creatus fuerat Pſeudopontifex Amideus Allobrogum princeps, qui filiis natu iam grandibus ſenex, Eremitarum more in abdita & nemoroſa loca tædio publicarum rerum ſeceſſerat, Felixque appellatus, magna celebritate Baſileæ fuerat coronatus. Sed aduentu Græcorum, quum Synodus metu peſtilentiæ è Ferraria Florentiam tranſlata maximè floreret, actiones Baſilienſes magnoperè refrixerunt. Felix autem eam intempeſtiuæ dignitatis tulit ſortem, vt exutus pontificatu, Cardinalis à legitimo Pontifice crearetur, quòd ſeni venerando atque innocentiſſimo, honos purpuræ ad ſolatium relinquendus eſſe videbatur. In his grauiſſimi negocij diſceptationibus, Iulianus eximiam cùm præclari ſtudij & generoſæ induſtriæ, tum multiplicis doctrinæ laudem tulit, quum malè ſanam de proceſſione Spiritus ſancti

Græcorum opinionem Romano dogmati conciliaſſet. Interea compoſitis apud Florentiam Græcorum & Latinorum controuerſiis, peractoque conuentu, Ladislaus Polonorum & Hungarorum rex, proſperè cum Turcis ad Hæmum montem conflixit, Carambeio Amurathis primario duce capto. Verùm Ladislaus ſuarum & hoſtilium virium æquus æſtimator, ab ea victoria prudenti conſilio non iniquam pacem quæſiuit, concedente eam Amuratha, qui explicare ſe Hungarico bello, & aduerſus Ciliciæ regem ſibi ad iniuriam opportunum, maturè proficiſci cupiebat. Ea pax Pontifici & Chriſtianis principibus poſt inſignis victoriæ prouentum nunciata, tanquam intempeſtiua, inutilis, atque indecora diſplicuit. Iampridem enim Chriſtiani ferè omnes, collatis viribus, ingens bellum in Amurathem decreuerant, orante & vehementer expetente Græcorum Imperatore, vt ſibi à ferociſſima gente circumuento, opem ferre maturarent. Georgius quoque Caſtriotus, cui Scanderbego cognomen fuit, qui in Epiro Amurathem eiusque præfectos magnis detrimentis affecerat, ſe cum validis copiis Regi Hungaro, Thraciam inuadenti affuturum pollicebatur. Eo modo Rex iuuenis ſecundæ victoriæ ſpe incitatus, adhortatione principum pacem violat, bellumque ſuſcipit, maiore quàm antea apparatu conatuque. In ea rerum occaſione Eugenius Iulianum, quo nemo potior videbatur, legatum ad regem miſit, qui eum eiuſque gentes ad ſacrum bellum concionibus incitaret. Retardabat tamen regem pudor ingenuus aduerſus imminentem violandæ pacis infamiam. Sed vnus religionis reſpectus verecundiam diſcutiebat, pronunciante legato, fidem infidelibus Mahometanis nequaquam eſſe ſeruandam; quando ipſa eius conceptæ fallaciæ inania piaculum authoritate pontificia continuò eſſet deleturus. Iurarant pacem ſolenni cerimonia, hinc Ladislaus & illinc Sannoceus Amurathis legatus, ea ſtipulatione, vt vtriuſque legis inſtrumenta proferrentur; hinc ſcilicet Euangeliorum liber conſacratus; illinc Alcorani religioſum volumen, quo Mahometis dogmata continentur. Ladislaus per hunc modum à fide data (nequaquam regio more) diſcedens, inauſpicatò motis ſignis ad Varnam Pontici litoris vrbem infeſto exercitu penetrauit; vt in ora Chriſtianam claſſem expectarat. Quibus cognitis rebus Amurathes, Chriſtianorum leuitatem atque perfidiam grauiſſimis verbis deteſtatus, è Cilicia rediens, magnis itineribus ad Helleſpontum traductis copiis, ſeptimis caſtris peruenit ad Varnam. Eius aduentus noſtrorum opinione celerior, regem inprimis & Iohannem Hunniadem Turcico aſſuetum bello vehementer perterruit. His autem animis vtrinque in aciem eſt deſcenſum, vt primo congreſſu Amurathes de victoria deſperaſſe tradatur; niſi noua & recentiſſima Turcarum ala, noſtris imperitè laxantibus aciem, victoriæ occaſionem ademiſſet. Ladislaus enim acerrimè pugnans, ſtratis nobilioris alæ equitibus, ad Ianizaros prætorianos pedites penetrârat; ſed ſinu facto in medium receptus, ſuffraginibus equi ſucciſis, Rex corruit, atque ita trucidatus eſt, Hunniade fruſtra interfecti cadauer è manibus hoſtium eripere conante. Rege interfecto, caput eius Barbari lanceæ præfixum circumferentes, ſublato clamore, noſtrorum fugientium tergis inſtiterunt. Hunniades intactus effugit. Iulianus verò legatus, qui prælata cruce hortabundus regia ſigna ſequebatur, quum ad lacunam ſitienti equo habenas laxaſſet, ſuperuentu hoſtium, aut, vt pleriqu-e exiſtimarunt, Hungarorum ſæuitia trucidatus interiit, multa eum contumelia onerantibus Barbaris, quòd ſacerdos, contra ius Gentium fidem violandam abrupta pace fœdè cenſuiſſet. Vir certè tam triſti vitæ exitu indignus, niſi eo Fati genere aditum ſibi ad cœlum perenni cum gloria muniuiſſet. Præclarum autem viuidæ gloriæ lumen, quod æternùm luceret, hoc verè pio atque honeſtiſſimo vitæ exitu poſteris ſuis reliquit. Nam poſt multos annos ab hac optimi ſenatoris memoria, qui pro ſalute Chriſtianæ Reipublicæ ſe deuouiſſet, Alexander ſextus Iulianum Cæſarinum huius nomen referentem, generoſis ornatum moribus, & Leo decimus Alexandrum eruditi ingenij, virtute inſignem, ad inſtaurandam familiæ de Republica bene meritæ dignitatem, in Senatum legerunt. Eius effigiem eleganter (vt illa ferebat ætas) in tabula pictam Iulianus Cæſarinus abnepos, qui hodiè familiæ nomen cum dignitate ſuſtinet, exſcribendam tradidit. Vixit annos quadraginta ſex. Obiit anno à partu Virginis quadrageſimo quarto ſupra milleſimum & quadringenteſimum.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Te decorant magni cognomina Cæſaris, vnde
Ducis auos, atauosq́; & priſca exordia gentis;
Quiſq́; lacertoſus vexilla patrumq́; Quiritumq́;
Extollit ſinuoſa auro, atq; aſperrima ſignis
Veſtrorum decus heroum, columenq́; nepotum:

Te decorant oſtro inſignes duo lumina patres
Conati euerſo pariter ſuccurrere ſeclo,
Qui tecum æthereo potiuntur nectare menſis.
Te decorat tua te pietas immenſa labantem,
Quæ ruit (heu pietas miſeranda) vt fulciat orbẽ:

Tamerla-

Tamerlanes Scythar. Imp.



TAMERLANES Scytharum Imperator, qui propter inauditam animi feritatem atque ſæuitiam portentoſasque vires, orbis TERROR, & CLADES Orientis appellatus eſt; ex humili militiæ loco per omnes honorum gradus ad eximiam bellicæ virtutis opinionem, & denique ad ſummum imperium aſcendit; inſigni præſertim applaudentium militum ſtudio, quum adulatione quadam Temir Cuthlus vocaretur, quæ vox Tartaricè fortunatum ferrum ſignificat. Eum Samarcandæ vrbis, quæ eſt ad Iaxartem amnem Sogdianæ regioni finitimum, infimæ claſſis ciuem fuiſſe tradunt. Quam vrbem vſque ab Alexandri Magni temporibus Quinto Curtio notam videmus: teſtanturque Perſæ, homines hiſtoriæ non ignari, quibus cum nos collocuti ſumus, Samarcandam à Tamerlane tanquam patriam ſuam totius ſubacti à ſe Orientis opibus & ſpoliis mirè auctam atque exornatam fuiſſe. Erat Tamerlanes ore truculento recedentibusque oculis ſemper minaci; corpore autem ingenti, validiſque neruis adeò firmo lacertoſoque, vt Scythici ingentis arcus chordam, quod pauciſſimis præſtare licebat, vltra aurem extenderet, cupreumque mortarium pro ſcopo ſagittariis in ludo propoſitum, emiſſo haud dubiè ſpiculo perfoderet. Sed eum nonnulli authores altero crure debilitatum, ideoque deformiter incedentem ſcribunt. Cæterùm acclamatus imperator vna præſertim nominis authoritate, ex innumeris gentibus belli prædæque auidis, tot copias contraxit, vt proficiſcentibus alimenta viris, & herbida paſcua iumentis defutura crederentur. In eius

exercitum coiuêre Sogdiani, Aracoſij, Bactriani, Hircanique, qui hodie vno nomine à Barbaris Zagatai appellantur. Prætereà Scytharum etiam Hordæ, quæ à Iaxarte ad Volgam amnem, & vltra id flumen vſque ad Moſcam ſedes habent. Hordas enim agmina Tartarorum vocant, quæ incertis ſemper ſedibus per immenſas ſolitudines vſque ad Imaum montem euagantur, Amaxobij ab antiquis vocati, quòd in curribus centone protectis, aduerſus frigora vitam degant. Harum Hordarum maximè potentes & bellicoſæ Caſſania, Sciabania, Nogaiaque Moſcouitis commercio familiares Tamerlani paruerunt. Nam reliquæ remotiores à magno Cane Cathaino, qui in ora Oceani regioneque Sinarum potentiſſimus regnat, imperia accipiunt. Sublatis itaque ſignis, Tamerlanes eam multitudinem tranando Volgam traduxit, curſus rapiditate & multitudine aquarum poſt Nilum & Iſtrum fluuiorum ampliſſimum. Sed is didúctus in ſeptem cornua, quibus in mare Caſpium turbidus & lenior erumpit, commodiorem tranſitum præbet. Itaq; humilioribus repertis vadis, infra Cithracam celebre Emporium omnis multitudo tutiſſimè tranſuecta eſt. Fuêre in ea tot gentium colluuie, centum myriades pèditum & equitum, ingenſque maioris & minoris pecoris numerus, quod partim ceruicibus tranantium equorum, partim ſubitariis ratibus ſuſtinente atque excipiente in medio profluentis amnis equitatu traductum eſt. Singuli porrò equites peditem in equi clunes ſublatum tranſportarunt. A' Volga demum qui Rha antiquitus appellatus eſt, Tamerlanes per Hiberorum, Albanorumque nemoroſas conualles, ad Derbenchi oppidi anguſtias peruenit, quæ ferreis portis, & lapideis antiqui operis propugnaculis præcluduntur. Nec ſatis conſtat an metu tanti hoſtis præſidiarij Perſæ loci cuſtodiam deſeruerint; an vi depulſi fuga ſalutem quæſierint. Tum verò effuſa multitudo omnem Armeniam inundauit, eodem itinere quo Hyelon & Abſaga Chriſtianis de Hieroſolymitano regno cum Ægyptiis certantibus centum fermè annis ante aduentum Tamerlanis in Syriam penetrarunt, incertum ſocij an hoſtes forent, quum religiones Idolatrarum ſequuti, neque harum neque illarum partium viderentur. Verùm illi fruſtrà muneribus Balduini regis inuitati, repudiatis Chriſtianorum ſacris ad Mahometis ſuperſtitionem declinarunt. At Tamerlanes aliquot maioris Armeniæ vrbibus captis, & Sulthania Perſarum olim regia, direpta atque incenſa, dextrorſum iter flexit, Eufrateque ad Arſengam ſuperato, in Cappadociam ſeſe effudit; quo Baiazetem Turcarum regem ſoluta obſidione Bizantij magnis inſtructum copiis, vt fines tueretur, aduentare didicerat. Peruenêre itaque duo maximi orbis imperatores, duobus longè maximis ſubnixi exercitibus ad Stellam montem, memorabili Pompeij Magni victoria & Mythridatis calamitate celebratum. Huic ab Antitauri radicibus exporrecto vaſta planities ſubiacet, campis vndique ad conſerendas manus latè patentibus, qui hodie Turcarum lingua Caſſouas, id eſt, campi Anſerum appellantur, quòd id volucrum genus ſtatis anni temporibus eò conueniat, vt in Europam agminibus atque imperio ducum prouolet. Congreſſuris itaque ſummis ducibus & in vnius proſperæ vel aduerſæ pugnæ euentum, de vita atque Aſiæ imperio certaturis, ſuæ artes vtrique non defuerunt. Tamerlanes enim peculiaribus gentis ſuæ confiſus armis edixit, vt vnis ſagittis ineundum prælium, idque indefeſſè inſtaurandum, & denique conficiendum eſſe exiſtimarent. Se enim daturum operam, vt ab aurora ad occaſum Solis ſtrenuè rem gerentibus ſagittæ non deficerent. Inſtituerat ſiquidem plures camelos, qui per agmina circumducti ſagittarum faſces, pediti atque equiti ſuppeditarent. Ex aduerſo Baiazetes Scythicæ non imperitus pugnæ, quod vnum ratione prouideri poterat, cohortatus milites, pronunciari iuſſerat, vt equites elatis ſupra capita ſcutis, primum ſagittarum imbrem conſtanter exciperent, inclinatiſque repentè haſtis, in hoſtes procurrerent; quòd fœda inermiſque hoſtium multitudo, haſtarum cuſpidibus transfodi, & gladiis concidi facilè poſſe videretur. Imperata igitur fecêre fortiſſimæ Turcarum alæ, contemptiſque intrepidè ſagittis, ingenti procurſu grauique impetu in conferros irruere, tanta vi, vt magna loricis & galeis carentium ſtrage edita, vix hoſti ad expediendos abiectis arcubus acinaces ſpatium relinquerent. Sed tanta erat ſagittariorum circumfuſa vndique multitudo, vt poſteriora Turcarum agmina, denſiſſima atque perpetua cadentium ſagittarum grandine ſternerentur. Tartari enim more ſuo in cœlum ſagittas emittunt, vt grauiore caſu decidentes, ceruices equorum & terga perfodiant. Neque enim oblongæ & inflexæ Europeorum peltæ, neque rotundi Aſiaticorum clypei, infixas perforanteſque ſagittas ſuſtinebant. Nuſquam ab vlla annalium memoria, numeroſiores copiæ, tumultuoſius & acrius vel efferatis in mutuum cruorem animis, obſtinatius inter ſe manus contulerunt; reciprocante ſiquidem magno æſtu vrgentium propellentiumq; agminum victoria incerta per multas horas inſtar pelagi aduerſis agitatis ventis modo hac, modo illac iactata eſt. Sed ea demum inclinante Sole quanquam multo parta cruore penes Tartaros ſtetit. Baiazetes equo pluribus ſagittis confixo, cadenteq; quum ſtrata ſuorum vexilla conſpexiſſet, captus eſt, ſeruatusq; ad ludibrium ſatietatemq; alienæ ſuperbiæ, immani ſcilicet Tamerlanis animo nullis in miſerum, & tanti modò nominis regem accumulatis contumeliis vnquam exaturato. Victori namq; victus, vt gradum faceret aſcendenti equũ, dorſum pręberé cogebatur: Exemplo vti credi par eſt, Saporis Parthorum

regis,

regis, qui Valerianum Romanum imperatorem indignis huiuſmodi iniuriis inſolenter oneratum ad mortem adegit. Sed eadem fati vis nequaquam maturè Baiazetem ſuis ærumnis eripuit, quum prius in cauea ferrea per Aſiam circumductus diu fortunæ ſuæ miſerabile ſpectaculum præbuerit. Sed ab hoc inexorabili barbaroque Tamerlanis ingenio, ſingulare iuſtæ ſæuitatis exemplum prodiit. Quum enim homo Ligur gemmarum inſignis mango, ob idque Tamerlani qui magnopere gemmis oblectabatur, familiaris, inducto ſermone de Baiazetis miſeria, illum humanitatis atque clementiæ blandè admonuiſſet, & vt meminiſſe vellet Baiazetem inter Mahometanos reges victoriis & opibus fuiſſe clariſſimum. Tamerlanes obducta fronte, contortiſque in illum oculis, verbum redargutus reſpondit: ſe non regem nobilitate atque potentia ſuperbum; ſed hominem improbum, impieque nefarium digna pœna plectere, qui maiorem natu fratrem inhumaniter occidiſſet. Cæterùm Tamerlanes ea victor acie, qua ſupra centum & quadraginta millia hominum cæſa feruntur: ſpolia legit, exercituique æquiſſimè diſtribuit. Victores porrò largiter ac opiparè per triduum epulati ſunt: nam equi propè innumerabiles aut ceciderant, aut ita vulneribus debilitati fuerunt, vt quum vſui eſſe non poſſent, paſſim ad inſtruenda conuiuia mactarentur. Tartaris enim mos eſt equina carne populariter veſci, & quum cætera alimenta defecerint, inciſa ſub aure equorum vena, epotoque inde ſanguine inediam tolerare. Tranſgreſſus autem Taurum montem Tamerlanes, in Meſopotamiam irrupit, tanto armorum ſtrepitu terroreque hominum, vt paſſim omnibus vrbibus reciperetur: tendi enim prætorium ſibi iubebat primo die in quo conſpectum vrbium ſedabat, colore candido, vt intelligerent homines clementiam & ſalutem ſe ſtatim dedentibus ſincera fide promitti. Secundo die rubro tentorio vtebatur, quo denunciabat in cunctabundos gladium eſſe diſtricturum. Tertio porrò die atri coloris papilione extenſo, indicabat ſe cuncta ferro & flamma abſumpturum. Enimuerò truculenta voce profitebatur, ſe Dei maximi iram eſſe, quæ deprauati ſeculi mortales vlciſceretur. Nulla fuit nec in Meſopotamia, nec in Comagena, nec demum in Syria ciuitas, quæ portas non aperuerit. Nam ſuperato Eufrate vſque ad maris Syriaci oram ſigna promouerat. Hæſit tantummodò aliquandiu ad Damaſcum, in expugnanda arce, quum ea in noſtrum morem à Florentino architecto munitiſſimè ædificata, tanti victoris impetum retardaret. Sed cæſa in Libano monte materia, arcem erecta munitione circumuallauit; ea altitudine, vt Scythæ ſagittarij mœnium coronam ſuperantes ad vnum cuſtodes omnes interfecerint. Exinde quum Sulthani Memphitici copias per Duces non longè à Peluſio profligaſſet, Ægypti regnum & Memphis immenſæ vrbis opes inſatiabili animo meditantem, vna ſitis auertit, quæ per arenoſas ſolitudines aquæ indigas, timebatur. Itaque victoriis ſuis modum imponens, quum & exercitum eius atrox peſtilentia popularetur: ſpoliis onuſtus Samarcandam rediit, vbi fato functus eſt, anno à partu Virginis quadringenteſimo ſecundo ſuprà milleſimum. Anteceſſit autem eius mortem ingens & luridus Cometes, quo portendi mors tanti regis viſa eſt; quanquam & Ioannem Galeacium Vicecomitem Mediolani potentiſſimum principem, eodem defunctum anno, reſpexiſſe multi crediderunt. Fatali quoque ſorte eueniſſe conſtat, vt vtriuſque principis bini hæredes filij parem fortunam tulerint, quum vtriuſque proles, à paterna virtute ſic degenerarit, vt imperium tueri nequierit, breuique curriculo duo maxima imperia, ſi modò conferenda ſunt, collapſa defecerint.

FAERNI.

Ille nouus Xerxes, Orientis victor, & ingens
Quacunque permearet, horror gentium,
Complerat totos Scythico qui milite campos,
Hoc ſe ferebat ore trux Tamerlanes:
Cuius in aduentum tuta altis mœnibus vrbes
Ipſumque terræ contremiſcebat ſolum;
Ipſi adeò montes, ipſa per deuia valles
Vim Barbarorum non ferebant agminum.
Quare ab Caucaſeis Aſiam conuallibus omnem
Ad vſque Nili flumina armis ſubdidit;
Euphratē & Tigrim, & rapidū tranantis Orontē
Vi, vaſtitate, cæde, cuncta proterens;
Vtque olim fœda cum tempeſtate coorta
Erumpit atra nube fulmen igneum:
Obuia quæque cadens perrumpit, & alta ſonanti
Templa atque ſolidas ſtrage turres diſiicit.
Subſidit vaſto tellus labefacta fragore,
Humiliſque mentes ſternit humanas pauor:
Haud ſecus ille viam ferro molitus, & igni,
Euertit arces, oppida æquauit ſolo.
Regem Aſiæ horribili captum impete Baiazetem
Caueaque clauſum ferrea circumtulit.
Hæc agitantē illum, & ſpirantem immania iuſſa
Quæ cunctus vndique orbis expaueſceret,
Exiguo cæca domitum molimine febris,
Fatalis vno ſoluit hora triduo.
Deque tot inſanis opibus, de tot modò regnis
Reliqua vna paruo gleba texit puluere.

Baiazetes I. Turcarum rex.



BAIAZETES eius nominis primus, Othomannorũ principum ordine quartus, hoc auſteri oris Scythico rictu, hirtiſque cirris diſcriminata prolixè barba terribilia, à ſingulari celeritate repentinoque & vehementi bellicarum actionum impetu HILDRIM eſt appellatus, quæ vox apud Tartaros cum tonitru terrificum fulmen ſignificat. Ne quis autem miretur, vnde ad nos antiquorum præſertim Turcarum regum veræ imagines peruenerint, operæprecium erit enarrare, quo pacto curioſitati noſtræ fortuna arriſerit. Hariadenus Barbaruſſa Othomannicæ claſſis præfectus, quum ardente bello inter Carolum Cæſarem & Franciſcum regem in auxilium à Gallis euocatus Maſſiliam perueniſſet, amicitiam iniit cum Virginio Vrſino Anguillariæ Comite, Gallicarum aliquot triremium præfecto, certatumque eſt inter eos magnis muneribus, ea tamen conditione, vt aliquanto precioſiora Barbarus acciperet dona, quàm rependeret. Nam illum Virginius Romana liberalitate noſtrarum rerum copiam auidè experentem, cælato argento & multa ſerica veſte donauit, ille Virginium arcu Scythico cum pharetra nobiliſſimi operis, & Perſico acinace gemmata vagina inſigni, qui Hiſmaëlis Sophi fuiſſe dicebatur, atque item talari toga auro & purpura intertexta, addens arculam ex ebeno & ebore fabrefactam, in qua vndecim Othomannorum regum vera ſimulachra, pro captu barbarorum artificum precioſis coloribus in leuigatæ chartæ tabellis depicta viſebantur; quæ Virginius elegantiæ ſtudioſus omni alio munere pluris æſtimauit. Neque Barbaruſſa commentitiis imaginibus Virginium decepiſſe exiſtimandus eſt; nam quum inferiorum Othomannorum tabellæ

pictæ

pictæ & numiſmati ærea, quæ apud nos viſuntur, cum illis mirè conueniant, ſuperiorum etiam regum veras eſſe formas cenſendum eſt. Has omnes Virginius magnis exoratus precibus Alexandro Farneſio Cardinali & mihi, latioribus in tabulis ad delectationem elegantium virorum pingendas communicauit. Primus igitur qui regis nomen tulit, tantique imperij fundator extitit à tenui Galaciæ oppido, quod Othomanzicum hodie vocatur, Othomannus eſt appellatus, quod nomen poſtea in familiam tranſiſſe perſpicimus. Tanta autem virtute atque fortuna Othomannus fuit, vt inter nobiliores Scythici ſanguinis familias, vetuſtatis dignitate ſibi pares, maximè illuſtris emineret, ſummumque ei decus Eureneſij, Thuracambi, Michalugli, atque Malcoccij æquis animis concederent. Pugnaci ſiquidem ingenio atque imperij auido finitimos, vel etiam ſuæ gentis feliciter ad ortus, clariſſimas Aſiæ vrbes Sebaſtam, Synopen & Ancyram audaci conſilio & inuictis armis ditioni ſuæ adiecerat. Imaginem eius quæ maximè ardentes oculos repræſentat, habitu acinacem diſtringentis expreſſerunt, quod intelligi volebant Othomannorum imperium armis quæſitum, armis defendi proferrique debere. Proinde vetus atque perpetuum Turcarum inſtitutum eſt, vt intranti templum ſupplicandi cauſa imperatori Taliſmannus æditus ſacerdos occurrat, claraque voce pronunciet, vt meminiſſe velit imperium quod iuſtitia & virtute bellica partum ſit, non aliis quàm hiſdem artibus conſeruari propagarique oportere. Conſtat autem Othomannicæ domus imperium cepiſſe anno à partu Virginis trecenteſimo ſupra milleſimum, quanquam quingentis ante annis Turcas ex Scythia profectos in Aſia ſedes occupaſſe compartum eſt: qui tamen regem, aut ſummum imperatorem initiò non habuerunt, vtpote qui diuiſi per Tetrarchas & regulos cum imbellibus Aſiæ populis Conſtantinopolitaniſque Cæſaribus ſuo arbitrio bella gerere conſueuiſſent, quamuis eos aliquando in vnum conſentire coëgerit communis metus à Gothifredo Bolionio vniuerſæ Aſiæ illatus. Tum enim coactis viribus, & Solymano tumultuario duce creato, ad Nicæam cum eo collatis ſignis haud proſperè conflixerunt. Cæterum Othomannus quum viginti octo annis regnaſſet, fato functus eſt, Orcane filio imperij hærede relicto. Hic magnitudine animi, vi corporis, & cupiditate proferendæ ditionis patrem æquauit: bellicis autem æquè bonis & malis artibus, vir doloſus & ſolers, profuſaque in primis & perenni erga milites liberalitate ſuperauit. Per hunc modum veterano inſtructus exercitu, quum amicitiam & fœdus cum Ciliciæ rege ducta in matrimonium eius filia iniuiſſet, Michaëli Paleologo Conſtantinopolitano imperatori graue bellum intulit; adortuſque demum Pruſſiam Bythiniæ caput, eam vrbem obſidione & admirandis machinis expugnauit. Sed non diu ea victoria lætatus eſt; nam in ea oppugnatione ſagitta ictus, quum ſpiculum humeri oſſibus infixum ſine vitæ diſcrimine reuelli nequiuiſſet, obducta plaga, febrem & ſaniem mortiferam aliquot poſt menſes accerſiuit, anno eius imperij vigeſimo ſecundo. Orcani ſucceſſit Amurathes filius, vir nequaquam maiorum exemplo manu promptus, ſed bello & pace ſimulator egregius, quippe qui aſtu & vigilantia ſingulari, occaſiones proferendi imperij opportuniſſime captaret, nuſquam firma fide aut incolumi iureiurando: pacem tamen cum Paleologo religioſè tuebatur. Magno autem Amurathis commodo, bellum inteſtinum inter Græcos ſub id tempus exarſit. Nam Græci proceres ab imperatore rebellarant, ſubnixi ſocietate Marci Craiouicij Bulgarorum principis. Itaque enata eſt occaſio Græciæ & penè toti Europæ exitialis, qua Paleologus viribus impar, ſubigendis rebellibus auxilia ab Amurathe iure fœderis poſtulare coactus eſt. Dedit hoc amicitiæ liberaliter & aſtutè vicinus Amurathes, traiecereque in Græciam duodecim millia delectorum Turcarum, quibus maturè Græcorum & Bulgarorum audaciam Paleologus repreſſit. Eo euentu vt confecto bello, remiſſis ſeptem millibus Turcarum in Aſiam, reliquos præſidij ſui cauſa, qui in Thracia remanerent, ab Amurathe facilè impetrarit. Nec multò pòſt Amurathes non obſcurè à ſuis inuitatus, qui vbertatem Thraciæ & Græciæ agrorum extollebant, tanquam ſocius vel inuiti Cæſaris, cum ſexaginta millibus Turcarum per Helleſpontum in Græciam traiecit, ſimulatione perſequendorum Græcorum, qui à nomine Paleologo antea defeciſſent. Præſtitere officium in traiectu duæ Ligurum onerariæ naues, quæ eius portorij pretium, inſigni auaritiæ Chriſtianæ probro, aureum nummum in ſingula militum capita tulerunt. His copiis Callipolim expugnauit, peruagatuſque latè Græciam & Thraciam, vel gemente imperatore, Philippopolim, & quæ eſt ſupra Hebrum Hadrianopolim occupauit; conſternatoſque ad arma, reſiſtereque demum æquo campo auſos Lazarum Seruiæ Deſpothum, & Marcum Craiouicium acie ſuperauit. Lazarus eo prælio captus in carcere mori coactus eſt, cuius indignam necem ſeruus natione Triballus, eius olim cliens vindicare conſtituit, certiſſimæque morti ſe deuouens, Amurathem pugione iugulauit, quum regnaſſet annis viginti tribus. Hoc Amurathe genitus eſt Baiazetes, de quo ſcribimus, qui à cæde Sulymani fratris imperium eſt auſpicatus, Diis non obſcurè id execrabile ſcelus damnantibus, cuius poſtea præclarus vindex Scytha Tamerlanes extiterit. Itaque Baiazetes æmuli fratris ſolutus metu, in vrbe Hadrianopoli imperij ſedem fixit, quòd ad proferendas vires Aſiatica Pruſſia opportunior cenſeretur, infenſo ſcilicet animo

atque arma expedienti in Triballos & Myſorum gentes, quæ rectà ſecundum Iſtrum ad mare Ponticum extenduntur. Propterea Marcus ſummo diſcrimini obuiam armis eundum ratus, quum in aciem deſcendiſſet, cum vniuerſa Bulgarorum & Myſorum nobilitate trucidatus, imperium cum vita amiſit. Ab ea victoria Baiazetes extremam Illyrici regionem, quæ hodie Boſna eſt, & interiorem Macedoniæ atque Epiri partem, quam Albaniam dicunt, adeò infeſta populatione inuaſit, vt nemine reſiſtere auſo, innumerabilem captiuorum multitudinem in Thraciam adduceret. Nec multò pòſt euaſtata Theſſalia, Thraciaque vſque ad Boſphorum, & deletis Bizantiorum ſuburbanis delitiis, Bizantio caſtra admouit, tanto Græcorum metu, vt Ioannes Imperator diffiſus viribus ſuis, ad imploranda auxilia in Galliam vſque nauigare cogeretur. Agnouit periculum iuſtaſque preces rex Carolus, vti maximè pium & Chriſtianorum opulentiſſimum regem decebat, & Ioannem fratris filium, qui poſtea Burgundiæ principatum adeptus eſt, cum nobiliſſimo equitatu in Pannoniam miſit, vt Sigiſmundo Bohemiæ atque Hungariæ regi, in communes hoſtes arma paranti iungeretur. Hic eſt ille Sigiſmundus, Henrico Cæſare proauo, qui ad Boneconuentum in Etruria obiit, & Ioanne Bohemiæ rege auo, qui in Gallia eo prælio cecidit, quo Ioannes Galliæ rex à Britannis captus eſt: patre verò Carolo quarto Cæſare inclytus. Is tum validas copias ex regnis ſuis finitimiſque Germanis coegerat; atque ita ſuſcepto itinere ad Nicopolim Myſiæ vrbem penetratum eſt. Sed ea vrbs improſperè tentata, Baiazeti ſpatium dedit ad cogendas copias, qui ſua vſus celeritate, cum ſexaginta millibus equitum ad tertium calendas Octobres noſtris in conſpectum ſe dedit. Pugnatum eſt ſumma noſtrorum temeritate, Gallorumque præſertim, qui primi agminis decus depoſcebant. Neque enim retineri potuerunt, quin vel inuitis ducibus & fruſtra retinentibus, in primos hoſtium antecurſores impetum facerent, antequam peditum Germanorum phalanges, & Hungari Bohemique equites appropinquarent: Frementes enim dicebant, à Sigiſmundo exploratæ victoriæ gloriam ſibi inuideri. Eo modo Baiazetes temerè effuſos, nec confertos ſeruantes ordines, lunata acie circumuenit, atque omnes in medio Gallos trucidauit. Quorum infelici exitu, noſtri repentè territi in fugam ſe dederunt: tanta trepidatione, vt Sigiſmundus ægrè è manibus hoſtium elaberetur: Ioannes autem cum paucis ducibus pretioſo cultu conſpicuus in poteſtatem Baiazetis deueniret. Baiazetes proiecto ad pedes, & ſalutem ſuppliciter deprecanti reſpondit, ſe vitam, vel mortem merenti conceſſurum, ob id quod iuuenis & regio ſanguine editus eſſet; in conſpectuque eius captiuos omnes præter quinque proceres, quos ad ſolatium carceris comites dabat, ad vnum trucidari iuſſit. Horum nomina à nobis memoriæ tradita ſunt, in eo libello, quo Italica lingua ad Carolum Quintum Othomanuorum origines & res geſtas perſcripſimus. Hac noſtrorum clade, ſuaque inſigni victoria elatior factus Baiazetes, nihil ſibi moræ attulit, quin ad oppugnandum Bizantium conuolaret, defatigatiſque iam & attritis Græcorum viribus, eò deuentum erat, vt ferociſſimo hoſti reſiſti non poſſet, niſi Tamerlanes Scytharum imperator, centum miriades equitum & peditum trahens in Aſiam, torrentis more ſeſe effudiſſet. Is hoſtis vel inuitum Baiazetem interpellatà victorià in Aſiam auocauit; auſumque collatis ſignis acie congredi, toto penè eius exercitu cæſo, ad Stellam montem viuum cepit; ea feritate, vt eius procumbentis tergo, quom equum inſcenderet, ad ludibrium vteretur; ferreaque demum cauea curruli, in morem feræ beſtiæ, vſque ad vitæ miſeriarumque exitum circumtulerit.

AVGVSTI COCCEIANI.

Túne credideris fortè, nefas, hic tibi maximi
Spectari ſuperûm fulmineam regis imaginem,
Quòd depicta Iouis tela vides, egregia manu
Præclari artificis, quòd tabula conſpicis in breui,
Magnû terrifico orbē tonitru, atq; æthera cōcutis;
Nuncq; atris Acherontis tenebris omnia contegi,
Nunc tingi liquidis ſulphureis fulguris ignibus.
Non non ad Semelen aureicomā Iupiter amplexus
Fraudes coniugio cōmeditans ventitat improbus.
Nec tu Theſſalicū fortè putes cernere Apollinē,
Arcus letiferos quòd videas, & quòd harundines
Conſpectes celebres, tela Dei inſignia Delphici.
Hic mortalis erat, nō Deus, hic Barbarus, impius.
Germanis trepido ſparſit atrox ſanguine limina,
Ne Europa atq; Aſia regna ſibi prærriperet ferox;
Hic ceu flāma rapax lauricomos ꝑ tumulos furit,
Quum latè Boreas præcipitat flamina Threicius.
Sic flagrans rapidos in miſeros Danubij incolas
Ignes, ſic celeres intulit in Pannonias faces.
Inuoluitq; furens excidio robora Belgica,
Vnde illi meritò nomina ſunt indita FVLGVRIS:
Sed non longa manet pœna tuā tuſta ſuperbiam.
Maior namq; tuis è Scythia naſcitur ignibus
Torrens, horribili diluuie qui rabiem tibi
Reſtinguat, furiaſq; impediat fortior aſperas:
Ecce ecce ab Tanai gēs ꝑperat ſæua Tamerlanis
Infandis auſpiciis, lataq; iam regna Bithyniæ
Peruadunt, acies iam Scythica prælia conſerunt
Tecū, iam caueas, aurea iam vincula cōparant,
Incluſumq; Aſia te rapiunt cuncta per oppida.
Nunc ite, atq; animos Imperiis tollite principes,
Fortunæ, immemores q̄ rota ſit prona, volubilis.

Celebinus

Celebinus Turcarum Imp.



CELEBINVS quem alij Cyrum, nonnulli, Turcæq; præſertim, Mahometem à luſtrico die appellatum tradunt: id nomen ideò tuliſſe videtur, quòd impuberes regum procerumq; filios Turcæ Celebinos vocant. Is Othomannorum principum, vt ex hac eius imagine gladium vibrantis cernitur, formoſiſſimus idem fuit atq; fortiſſimus; decoræ ſiquidem frontis honos, & candidi oris modicè diffuſus pallor, conſtantesq; ſine triſtitia oculi, compoſiti animi indices, quum imperium adiit, pubeſcentem mirè commendabant, in tanto præſertim publicæ cladis luctu, paternæq; miſeriæ dolore, in quo animũ nõ demiſiſſe maxima laus videri potuit. Conſtat Baiazetẽ duos quos habebat filios Muſtapham & Celebinum in Aſiam ductos, ſecum in caſtris habuiſſe, ſingulari tamẽ prudentia quum pugnæ tempus immineret, paululum eos ab eo periculo ſummouiſſe, ne cum tota prole incertæ fortunæ aleam ſubiret. Sed iuuenes ex lugubri prælio intenta fuga ad mare deſcendentes, vt in Thraciam ad Boſphorum tranſirent, Bizantiorum mioparonea interceperunt: ea quidem ſorte, vt Muſtaphas à Palæologo Cæſare vſque ad mortem in carcere ſit aſſeruatus. Celebinus autem ſtruente ei imperium fortuna, an ſuo vſus aſtu, an certè (vt credi par eſt) nautarum Græcorum auaritia adiutus, feliciter eſt elapſus. Hunc Hadrianopolim obliquis itineribus venientem, præfectus cum veteranorũ manu à Baiazete Thraciæ præſidio relictus, militeſque omnes, tanquam poſtliminio redditum, lætis pro præſenti fortuna animis exceperunt. Iam enim quo euentu ad Stellam montem dimicatũ eſſet,

ex fuga elapſis didicerant. Turcæ ſiquidem qui Scytharũ manus effugerant, cateruatim ad Propontidem, Helleſpontumq; præcipiti fuga ferebantur. Nam ibi propter Caſtella ad Abydum & Seſtum vtrique littori impoſita Turcicæ ditionis, deſpectis naualibus Græcorum cuſtodiis, tutiſſimus erat traiectus. Conuenerant plures veterani ex præſidiis deducti, & ita frequentes iam ex Aſia redierant, vt Celebinus iuſto confirmatus exercitu, Græcorum copias tumultuario progreſſu ſibi imminentes facilè repelleret, & veteres fines fortiter tueretur: quanquam enim rex nouus & iuuenis ac orbatus patre acerrimo imperatore, & magna parte inuictorum antea militum importunè exutus, vigilantis tamẽ & imperterriti nomen tuebatur. Quòd ſi Paleologo terra mariq; certa præſidia & parandi exercitus expeditæ facultates ſuppetiſſent, Chriſtianique reges occaſionem cœlo propè demiſſam agnouiſſent, quam victoria Scytharum aperuerat, profectò non in Europa modò, ſed in Aſia Othomanorum nomen vndique pulſum atq; deletum foret. Itaq; Celebinus beneficio Tamerlanis & Paleologi qui patre fratreq; ſublatis, integra atque legitima iura parando imperio ſibi pepererant, noſtrorum ignauia confirmatus, Bulgaros, Triballos, & Macedonas diu afflixit, vſq; ad Sigiſmundi Cæſaris aduentum. Is enim propter eximiam pietatem generoſiq; animi laudem Auguſti nomen meritus, valida potius quàm felicia arma in Turcas iterum ſuſcepit, excitauitq; Hungaros & Boiemos, vt ſtudio tuendæ & propagandæ religionis aduerſus Barbaros, tam pia quàm neceſſaria arma induerent. Agitabat enim animo, inuictos maiorum ſuorum ſpiritus gerens, quo pacto cladem ad Nicopolim acceptam vlciſceretur. Nam Celebinus iuuenis fractas à Tartaris copias trahens, reputatione Baiazetis acerrimi & antea inuicti ducis, omnino contemnendus eſſe videbatur. Sed eadem fortuna quæ ſtrenuè audentem Sigiſmundum tredecim ante annos ad Nicopolim eluſerat, pari libidine ad Columbatium infeſta perſequebatur. Id eſt oppidum Seruianorũ Triballis finitimum, iuxta Samandriam, non longè à Danubio poſitum. Eò paribus animis & viribus inſtructi Celebinus & Sigiſmundus peruenerant. Chriſtiana acies equitatu impar, ſed peditatu in media acie conſtituto ſuperior, iniquiſſima ratione cum Barbaris concurrit. Equeſtris enim fermè totus hoſtium exercitus latè cornua extendit, adortuſq; equites Hungaros & Bohemos qui in cornibus erant, cruenta edita pugna, loco depulit, breuiq; circumuentum vniuerſum peditatum ſagittis confixit. Neque enim pedites magna parte corporis inermes, ſagittarum multitudinem ſuſtinere poterãt, quum ordines diſſoluerent, & cominus congredi properantes ab haſtatis demum, gladiis & clauis ferreis rem gerentibus, vndiq; ſternerentur. Sigiſmundus qui in ea exercitus perturbatione præſtantis & ſtrenui ducis, acerrimiq; bellatoris officio nullo in loco defuerat, deſperata victoria, non minore periculo quàm ad Nicopolim inſequentium Barbarorum manus effugit. Cæterùm Celebinus ab ea victoria quum pauciſſimis annis imperaſſet, morbo abſumptus, Amurathi filio imperium reliquit, quum Chriſtianis ſacris Alexander quintus præeſſet.

FRANCISCI MANFREDI Cremonenſis.

Macte animo puer, & magna puerilibus annis
Virtute exuperans, fractuq; audentior armis,
Qui medias inter claſſes, tela inter & hoſtes
Effugiens, præda crudelem eludis iniquis
Victorem; & patriam ſubitò (mirabile dictu)
Fortunam immutans, rurſum palantia cogis
Agmina, confirmaſq; animos, reficiſq; labantis
Imperij vires, ſceptróque potiris adempto.
Quin & quantũ armis poſſes, quo turbine telũ
Conijceres Celebine, & ſtricto comminus enſe
Hoſtiles rueres turmas, denſaſq; phalanges,
Teutonicæ norunt gentes, nouere feroces
Sauromatæ, norunt infracta binominis Iſtri
Cornua, Treyciq; duces, & pallida nouit
Græcia, deſertiq; agri, populatáque rura.
At tibi purpureæ primæuo flore iuuentæ
Inuidit fortuna, & ineluctabile fatum:
Dumq; animo maiora agitas, nec ſufficit amplũ
Imperium patris, & totum ſpe concipis orbem,
Stamina diſrumpunt Parcæ, victuſq; ſuperba
Tandem morte cadis, lucoſq; inuiſis Auerni.

Ioan. Aucuthus Britannus.

IOANNIS Aucuthi ex vltima Britannia inclyti bello ducis, vera effigies, in templo maximo Florentiæ coloſſea magnitudine ſpectatur, quum propter inſigne meritum à grauiſſimo ſenatu equeſtris ſtatuæ, & tumuli honorem ad eximiæ fidei bellicæq; virtutis teſtimonium, honeſtatus fuiſſet. Is Anglico ſanguine progenitus fuit, ex ſtirpe Friſiorum Germanorum, qui in Inſulam tranſgreſſi, pulſis veteribus indigenis, ſedes beatiores, & deniq; regnũ & imperium ante mille annos occuparunt. Venit autem in Italiam Aucuthus bello Belgico, æquè apud Gallos hoſtes, ac ſuos virtutis nomine clarus, cùm Lionetto Clarentiæ regulo, qui Odoardi regis filius à Galeacio ſecundo Vicecomite in generũ aſcitus fuerat. Sed his nuptiis incredibili conuiuiorũ ſumptu atq; apparatu ludorũ Mediolani celebratis, cõceptus eſt Lionetto



morbus ex mutatione cœli, luxuq; epularum, & nouæ nuptæ complexibus, qui non multò pòſt ad Albam Pompeiã initæ affinitati & vitæ finem attulit. Barnabas nouæ nuptę patruus, qui tum graue bellum in agro Mantuano gerebat, facilè à Lionetto impetrauit, vt Aucuthus Britannorũ dux, atq; eius comitatus princeps, in caſtra auxilij nomine duceretur. Barnabas enim vir pugnacißimus Anglicæ diſciplinę atq; virtutis, periculum facere cupiebat. Pluribus itaq; tumultuariis prælijs Aucutho ſumma vi ſummaq; prudentia, occaſiones parandæ victoriæ feliciter excipiente, & Anglis egregiè ſagittis rem gerentibus, eò admirationis Barnabas eſt adductus, vt probaret gentis diſciplinam, & Aucuthi vim ac ingenium magnoperè ſuſpiceret, nec multò pòſt creſcente mutuis officiis beniuolentia, Aucuthus in generum aſciſceretur. Collocata enim eſt ei in matrimonium filia, quam ex Porta nobili concubina ſuſceperat. Ea affinitas virtutis nomine parta, Aucutho ſtipendia auxit, & famã Anglicæ virtutis Italiam extendit, quòd bellicoſißimus princeps tale de externi viri virtute non temerè iudicium feciſſet. proptereaq; à principibus liberiſq; ciuitatibus Aucuthus expeteretur. Nam ea tempeſtate externis copiis & ducibus apud Italos bella gerebantur. Accidit autem certis offenſionibus, vt Angli, qui erant apud Albam, mortuo Lionetto relicti oblitiq; eius affinitatis, ab amicitia Galeacij & Barnabæ repentè diſcederẽt, hoſtibusq; eorum iungerentur. Qua voluntatum commutatione multa Ciſalpinæ Galliæ oppida, crudeli Anglorum rabie vaſtata ſunt. Exinde Aucuthus copiis & ſtipendiis auctus, nouas ſpes, aliamq; fortunam ſibi quærendam exiſtimauit: Gregorio namq; Pontifici operam nauauit, receptisq; ſingulari cum laude togatæ Galliæ vrbibus quæ defecerant, quinq; oppidorum ditionem virtutis ergò promeruit. A Pontifice demum ad Florentinos vberiora ſtipendia pollicentes, & ab his nó multò pòſt ad Piſanos, atq; inde rurſus ad Florẽtinos tranſgreſſus eſt; eo creſcen-

tis laudis,accumulatiq; honoris ſucceſſu, vt facilè nemo Aocutho dux melior putaretur. Longo enim bellorũ vſu peritus,graui ſimul ac expedito ingenio occaſiones præſentire,terminare conſilia,atq; arma celeriter expedire didicerat: idem quum oporteret acerrimus bellator, & cũctator egregius. Idcirco ab eius ſchola tanquã ab exacto militiæ magiſtro multi qui poſtea inclaruêre, ſummi duces prodierũt,quum ea quæ ille proſperè geſſiſſet apud hoſtes & ſocios pro documentis & diſciplinæ præceptis haberentur. In his fuêre Albericus Balbianus,Sfortia,Braccius,Carolus Malateſta, Paulus Vrſinus, & qui ab hoc interfectus eſt, Moſtarda. Sed ſuper innumerabiles pugnas feliciter depugnatas,incõparabile decus tulit, quum profligatis ad Alexandriam Gallis, ſigna Florentinorum ad Abduam vſq; promouiſſet,vt deſcendentibus Gallis ad Mediolanũ iungeretur. Ab aduerſo enim Gallorum exitu deiectus conſilio,vſqueadeò conſtanti imperterritoq; animo ſe recepit,vt nequicquã incumbentibus Iohannis Galeacij victricib. copiis,Ollium,Mincium,Atheſim,vado traiiceret,diſruptiſq; ab hoſte fluminum aggeribus, per continẽtes paludes incolumis in Patauinum agrum ſe reciperet, quum duces omnes à nemine præterquam ab Aucutho ſuperari,locorum iniquitates,& validiſſimorum hoſtium interdiu noctuq; acriter incumbentium impetus ſuſtineri poſſe faterentur. Obiit Florentiæ planè ſenex,funeratuſq; eſt ſplendidiſſimè in templo maximo,anno Chriſtianæ ſalutis, M. CCC. LXXXXIII.

IVLII FEROLDI.

Aucuthe Anglorũ decus,& decus addite genti
Italicæ,Italico præſidiumq; ſolo.
Vt tumuli quondam Florentia,ſic ſimulacri
Virtutem Iouius donat honore tuam.

Albericus Balbianus.



ALBERICVS

ALBERICVS Balbianus, exiguo eius nominis togatæ Galliæ oppido ortus, inter Italicos duces primum illuſtris famæ locum obtinuit, Acutho ſcientiæ militaris exiſtimatione planè pár, ſed honoribus & genere copiarum multo ſuperior. Nam magiſter equitum proprio cognomento appellatus eſt, qui ſupremus militiæ honos apud Neapolitanos reges, Comeſtabilis nuncupatur. Sub ſignis autem quatuor millia cataphractorum, & totidem leuis armaturæ equitum voluntarij nominis habuiſſe traditur, quibus externarum gentium vaga arma, ea tempeſtate per Italiam ad omnem prædandi licentiam circumferentium, frenauit, non vnoque in loco feliciter profligauit, vſqueadeò egregiè, vt priſtinum Italicæ dignitatis decus, quod corrupta ſenſim diſciplina perierat, inſigni cum laude reſtitueret. Nam fortiſſimus & generoſiſſimus quiſque ſpe laudis ad eius ſigna coibat; atque ita effecto ingenti veteranorum equitum agmine, cui diui Gregorij nomen & teſſeram dederat, cuncta obuia ſternebantur. Is tum in eum, quem hodie magna ex parte intermiſſum videmus, armaturæ morem equites inſtruxerat, adinuenta atque addita caſſidi buccula, quæ eſt ad proſpectum ſubductilis, & tranſuerſam tantum rimam quum deducitur, ad oculorum vſum relinquit: Cui etiam ferreum gutturale quo iugulum munitur adiecit, quòd loriculam à caſſide dependentem, nequaquam ſatis gulam tueri aduerſus validos mucrones exiſtimaret. Bardis quoque maioribus recocto corio inauratis & pictis, equos vndique vſque ad genua protexit, & capita frontalibus ferreis ſtylo prominente armauit, quo incitatis equis hoſtis in congreſſu feriretur. Sed hodie hæc maximè decora, tutaque Bardarum tegumenta, tanquam nihil profutura aduerſus ſclopettorum glandes, Italus pariter & Gallus abiecit. Quum per multos annos Ioanni Galeacio Vicecomiti, aut alæ præfectus, aut ſummus Imperator operam nauaſſet, ab eo diſcedens aduerſus Ladislaum regem in Apuliam deſcendit, Ludouici Andegauenſis auſpicia ſecutus. Quo bello inſidiis circumuentus, in poteſtatem hoſtium deuenit, qui eum duriſſimo peruigilio diu torſerunt. Sed non multò pòſt liberali beneficio Iohannis Galeacij redemptus eſt: Nam gratiſſimus princeps, Alberici ductu Bononienſium & Florentinorum copias, Barnardone Aquitano acerrimo duce fuſo captoque, inſignem victoriam ſe adeptum eſſe meminerat: vnde vrbs Bononia interfecto Iohanne Bentiuolo in eius ditionem deueniſſet. Verùm Iohanne Galeacio repentina morte ſurrepto, Albericus ſuo commodo alieni exempli ſpectator, oblitus datæ fidei acceptique beneficij, in eius liberos ingrato animo arma conuertit, quòd cæteri duces nefario ſcelere ſingulas occupantes vrbes paſſim rebellaſſent; qui demùm valeſcente Philippi filij potentia, variis intercepti caſibus fermè omnes iuſtas perfidiæ pœnas dederunt, quum Albericus nuſquam tyrannus, plenus gloria apud paternos lares, ante ſexageſimum ætatis annum, renum dolore vexatus, vita exceſſiſſet. Hoc vitæ exitu Iohanne germano fratre felicior, quem diu militiæ eximia cum laude verſatum, Bononienſes ab eo detrimentis affecti ſecuri percuſſerant. Huius ſanguinis apud Inſubres inſiti Ludouicus Balbianus fuit, qui nuper armorum ſtudio & multis fortibus factis clarus, cùm pro Carolo Cæſare Franciſcum Sfortiam oppugnaret, ad Alberici progenitoris gloriam aſpirabat, niſi inuidia virtutis comes in medio vitæ curſu veneno epulis indito, nihil tale veritum ſuſtuliſſet. Alberici effigies Ticini in arce ad ſiniſtram porticum picta, habitu triumphum comitantis, conſpicitur.

GEORGII IODOCI Bergani.

Oenotria priſcam fugarant gloriam
Rerum adfluentes copiæ,
Et ſola virtus credita eſt tum bellica
Externum habere militem,
At Balbianus dedecus turpiſſimum
Non ſufferens, & patriæ
Virtutis & prudentiæ non immemor,
Procul fugatis exteris,
Domeſticum per militem vt redderet
Fines quietos Italos.
Huius fide atq; armis Ladiſlaus ſuam
Campaniam cum portubus
Recepit, & Neapolim pulcherrimam
Arcesq; regni & oppida.
Hic militari hac profuit ſolertia
Arti decusq; hoc addidit,
Vt quæ bouillo nuper eſſent tergore
Compacta, mox hæc ferrea
Geſtaret arma miles, atq; vulnere
Tutum calybs defenderet.
Tantum Camillo debuit vix vindici
Erepta Roma Barbaris,
Quantum tenetur Alberico nobili
Duci ferax Oenotria.

Sfortia & Braccius.



HI duo heroes, noſtræ ætatis belli fulgura SFORTIA & BRACCIVS, ex Alberici contubernio diſciplinaque prodierunt, qui ab initio fraterna charitate inter ſe coniuncti, pari ſpe, parique induſtria, & paribus inſignium laciniarumq; coloribus militantes, vſqueadeò inclaruére, vt fatali demum ambitione atque ſuperbia diducti, diuerſas militiæ ſectas de nomine conderent, ac æmulatione gloriæ atq; potentiæ ex amicis hoſtes facti, ex aduerſo ſemper arma tractarent; qua diſſenſione potius quàm ſimultate, opimis ſtipendiis ſummiſque honoribus clari atque opulenti euadebant; quum ſeſe infami aſtu promercalique militia principibus Italiæ & liberis ciuitatibus venditarent, bellaque alere quàm finire mallent; quòd vterque de fortuna ſua immodicè ſperandum putaret, & nihil imperium viuidæ virtuti, generoſè & fortiter agentibus arbitrarentur. Erant ætate & genere fermè pares; ſed Braccius nobiliſſimis Peruſiæ familiis propinquitate coniunctus, ipſo Sfortia apud Cotignolam togatæ Galliæ oppidum honeſta familia orto, originis vetuſtate nobilior putabatur. In Braccio aſtuti & efficacis ingenij vis ardens eminebat; in Sfortia autem naturæ ſimplicitas, nullo fuco, nulloque literarum ſubſidio ſubnixa; apertique animi conſtans & indomitus vigor laudabantur, in robuſto præſertim corpore ad ſerendos labores geſtandaque arma prævalido. Braccius habitu corporis proximus delicato, ſplendore vitæ rerumq; omnium apparatu ſumptuoſo mirè gaudebat, vtpote qui vel cum iniuria alienæ pecuniæ appetens & profuſus eſſet. Ex aduerſo Sfortia ad delitias

Braccius.



litias rudis & agreſtis, frugi diſciplina, conuictu ſubitario & planè militari, contemptuq; profuſus omnis luxuriæ lætabatur; vtpote qui valida potius quàm decora arma, proceros & peracres generoſæ ſobolis equos, vir equitandi peritiſſimus, vera imperatoriæ dignitatis inſtrumenta eſſe putaret, nec quicquam ad inanem ſpeciem exquiſiti ornatus oſtentare conſueſſet. His diuerſis moribus & pari conatu ad magna imperia atque opulentos principatus, & poſtremò non diſſimili vitæ exitu in ſua fata properantes, pari militũ ſtudio colebantur; & eo quidem ita pertinaci, vt ad alteram factionem tranſiuiſſe maximè turpe & flagitioſum exiſtimarent. Accidit autem eo tempore, quo Alfonſus rex & Ioanna regina inter ſe de imperio & regnandi conditione annis contendebant, vt vtrinq; ſummi duces Sfortia & Braccius ex aduerſo copiis præeſſent, factiſq; demum induciis ex veteris amicitiæ memoria, ad Saccomanniam Campaniæ ſyluam coirent, deterſiſq; variarum offenſionum odiis, per plures horas familiariſſimè colloquerentur exactè & grauiter de militari diſciplina, de ſucceſſibus vtriuſq; fortunæ, occultiſq; multorum euentuum cauſis diſputantes, detecta obiter nonnullorum malignitate atque perfidia, vt melioribus conſiliis in mutuos vſus viam aperirent. Verùm non multò pòſt eam renouatæ amicitiæ ſpeciem nouum bellum facilè diſpulit atque extinxit. Nam Braccio vrbem Aquilam acerrimè oppugnante atque obſidente, Sfortia Martini Pontificis & Ioannæ reginæ auſpiciis, ingentibus copiis præfectus, delectuſque eſt ad liberandos obſidione Aquilanos, quòd nemo ducum aduerſus Braccianam vim, eo validior & promptior cenſeretur. Itaque Sfortia quum ex Apulia profectus, & ſignis Ortano eductis, copias flumen Aternum traduceret, ſolus ipſe imperator è

tanto exercitu, ſubſidentibus equi cruribus limoſo in vortice, grauantibus armis abſorptus interiit, præſenti gaudio in morte doriſſima felix, quòd dudum Braccianas alas amnis tuentes ripam, & fruſtra Sfortianos tranſitu prohibere auſas, edita pugna à Franciſco filio profligatas conſpexiſſet. Ferunt Braccium audito tanti hoſtis caſu, nullum lætitiæ ſignum dediſſe, quòd ab Ariolis accepiſſet, ſe quidem Sfortiæ ſuperſtitem futurum, ſed non multò pòſt repentina morte hoſtis fata ſecuturum. Nec his vatibus fides defuit; nam Franciſcus paterno imperio, præfectorum omnium & militum hortatu ſuſcepto, Aquilam ire pergens Pontificiis copiis ſe coniunxit, editoq́; memorabili prælio in ſubiectis Aquilæ campis, Braccius ſuperbo faſtu hoſtium contemptor fuſus atque interfectus eſt, dum ſupremos indomitæ virtutis conatus ederet. Cadaueri exequiarum & ſepulchri honos defuit, quum à Pontifice tanquam impius ſacris eſſet interdictus; ſic vt tanti nominis duo imperatores pari & fatali quadam ſorte ſepultura caruerint: nam Sfortia nuſquam apparuit; & Braccij cadauer Romam delatum, profano in agro extra portam Næulam defoſſum eſt. Variæ omnis ætatis eorum imagines multis in locis ſpectantur.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Belligeri graue Martis opus dum Sfortia tractat
Sfortia magnanimum gloria prima ducum,
Fert & opem rapidis merſo generoſus ab vndis
Dum puero, ingentē liquit in amne animam.
Hac memorāt. At vera magis Polyhymnia magni
Facta ducis fama tradidit, atq; obitum.
Scilicet vndoſum dum ſanguine tingit Aternum
Haſta atque armiſono conſpiciendus equo,
Commotum fluuij numen, voluiſſe nitentem
Pollutis illum mergere verticibus.
Vt fama & rapti Herois tumefactus honore
Aeternus tanto funere Aternus eat.

IVLII FEROLDI.

Braccius dux ille fortis atque pugnaciſſimus,
Hoſtium qui ſæpe fregit arma feliciſſimè,
Atq; ſummū perſecutus eſt ſacrorū principem,
Quippe multis imperauit vi potitus oppidis,
Ac potiſſimùm occupauit ciuitatem Romuli,
Quique regibus, tyrannis, vrbibusq; liberis
Italum fuit pauori maximo, & formidini
Hac repreſentatur hoſpes, qua vides imagine.

LEONARDI ARETINI.

Tranſiui intrepidus per mille pericula victor
Non acies ferri, non iuſſus mœnia feſſus
Conatus tenuēre meos, domat omnia virtus.

Carmagnola.

FRANCISCVM Buſſonium, cui à Subalpinæ Liguriæ oppido Carmognolæ cognomen fuit, agreſtis villici filium, eumq́; ſubulcum fuiſſe ferunt: verùm in puero contumacis ingenij & tetrici oris ea inerat indoles, vt à prætereunte milite, pro armigero puero ſit abductus. Exinde variis inſuefactus bellis, vti valde patiens laboris, & ad ardua quæque militiæ munera capeſſenda promptus & audax, facilè turmæ præfectus euaſit, illudenteq́; demum fortuna, quum ſub Facinio Cane quatuor turmarum ductor aliquandiu fuiſſet, poſt illius mortem imperator eſt effectus, ſcilicet vt vtriuſque humanæ ſortis graue exemplum poſteris præberet. Creuerat honoribus, gratia, diuitiis, ſub Philippo Vicecomite vſque adeò ſecundis rerum ſucceſſibus, quum viuidæ eius virtuti nihil eſſet imperuium; vt eum in familiam ſuam adoptaret, propinquamq́ue nobiliſſimi ſanguinis ei in matrimonium collocaret, eumq́ue ædificantem luculentiſſimam domum collata pecunia liberaliter adiuuaret; quæ domus etiam nunc reliquas omnes Mediolani laxitate, magnificentia, & ſumptu antecellit. Iamq́ue ad ſummum fortunæ ſuæ faſtigium peruenerat, vt quum ibi conſiſtere non poſſet, æmulorum obtrectatione præceps daretur. Philippus enim mutabilis ingenij ſui naturam ſecutus, Carmagnola penè contempto, Guidonē Taurellum nauali de rege Alfonſo victoria clarum, attollendum ſuſceperat. Huic mirè ſtudebat, ex aduerſo Carmagnolæ infenſus Oldradus Lampugnanus, Philippo intimus, vtpote qui à prima vſque adoleſcentia ſummæ gratiæ locum paraſſet. Non tulit contumelias vir notiſſimus meritis & nomine ſuo indignas, Carmagnolamq́ue natale oppidum à Philippo diſcedens ſe contulit, vbi piè inuiſit patrem exactæ ætatis, & quem iampridem priſtinæ fortunæ ſordibus eduxerat coemptis prædiis, & multo auro ditauit. Indeq́; ſuperatis Alpibus, per Germaniæ fines ad Venetos profectus eſt, vt Franciſco Sfortiæ adipiſcendo principatu iter viamq́; ſimul fatis ſuis aperiret. Nam aliquanto pòſt ſuſcepto apud Venetos militari imperio, eoq́ue fortiter geſto, Veronaq́ue & Brixia Philippo ademptis, in curſu gerendarum rerum oborto liuore Venetos offendit, periniquè, vt credi par eſt, perfidioſæ cunctationis accuſatus, quòd profligatam à Philippo Venetam claſſem ad Cremonam terreſtri auxilio minimè iuuiſſet, occupandæq́ue eius vrbis

enatam



enatam occaſionem malignè prætermiſiſſe diceretur. Quas ob res ſimulatione conſultandi euocatus Venetias, cuſtodiæ traditus eſt. Nec diu pòſt quum apud ſuſpicioſos, & vbi de Repub. quæritur ſæpius inclementes Patricios, infeſta ſuffragia valerent, de diu torto vel inſonte capitale ſupplicium eſt deſumptum; ea fama, vt nonnulli eum indigniſſimè damnatum dicerent, quòd auaritia præcipitique malignitate maturatum ei exitium arbitrarentur. Nam ex damnati opibus ſupra ducenta millia aureorum nummûm ad fiſcum redibant. Ego verò de ſummæ æquitatis ſenatu nihil dubitauerim, niſi apud eos non occupatæ Cremonæ dolor iuſtitiæ neruos eliſerit. Auxit autem inuidiam atrocis inexpectatiq; ſupplicij ſpectaculum interdiu populo editum, cùm indignè tantus imperator ad Columnas tubas, vbi noxij plecti ſolent, inſerto in os ligneo lupato, ne vociferari poſſet, traheretur; multis aut inſontis calamitatem, aut æquo ſeuerius ingrati Senatus decretum deteſtantibus; cùm egregiè fortiterq; rerum bello geſtarum recens memoria ſpectantium animos, excitis ferè lacrymis, ad miſericordiam permoueret.

ADAMI FVMANI.

Sedula apis veluti maturis aduolat vuis
Vt liquido vacuas diſtendat nectare cellas,
Ad te ſic mea ſe celeri tulit impete Muſa,
Bellica quem ad magnos virtus euexit honores
Franciſce, æternum pietas per ſecula nomen
Cui peperit, cuncto procerum cū aſtante Senatu
Ac magnis vnà tecum de rebus agente.
Ad Scabrū haud verit' cōfeſtim exire parētes,
Fortiaq; infirmo circundare brachia collo
Mallet hoc vnum malit, quàm mille referre
Geſta tua præclara, & deuicto ex hoſte trophæa
Magnorū decus Inſubrum, dux inclyte, tandem.

Orta licet ſubito, fractum te attriuerit ingens
Tempeſtas, Caurią́, importunaą́ procella,
Ne dubita, tua te pietas, tua maxima virtus
Venturo meritis cumulabit honoribus æuo.

Gattamelata.



ERASMVS Narniæ natus, cui ab aſtuta diſſimulatione tanquam ad bellicos dolos longè promptiſſimo GATTAMELATAE cognomen fuit, ignobili patre, vtpote qui Furnariã exerceret, genitus fertur. Is è Braccij ſchola per omnes militię gradus nauiter aſcendens, clariſſimus bello dux euaſit. Eum à Braccio vnicè adamatum fuiſſe, prouectumque in lucem miro ſtudio ferunt, quum ei nobilitatis inſignia, laciniæq́; ſuos colores honoris cauſã conceſſiſſet, quibus demum, vel exercitus Veneti creatus imperator ſemper eſt vſus; quando tanti ducis inſignia promeruiſſe ſibi maximè decorum exiſtimaret. Poſt mortem Braccij, cui præfectus equitum aderat, quum ad Aquilam profligatus interiiſſet, atq; ipſe eodem prælio captus, in poteſtatem hoſtium veniſſet, vbi redemptus remiſſusq́; eſt, ad Nicolaum Piccininum ſe contulit, ad quem poſt cladem acceptam Bracciani nominis milites vndiq; coibant, vt factionis nomen eo duce, cui Braccius erat auonculus, tuerentur aduerſus Franciſcum Sfortiam, qui paterni exercitus & nominis hæres, contrarias Braccianæ factioni partes extollebat. Exinde varia vagaq́; ſtipendia apud diuerſos principes merens, egregiam, ſed cauti potius quàm pugnacis ducis famam adeptus eſt, quo nomine Venetis mirè commendatus expeditusq́; eſt; quibus maximè

ximè placebant qui prudentius, quàm audacius arma tractarent, quando ſummi diſcriminis aleam vitare mora & cunctatione pecunioſi homines proficere, properantiumque congredi hoſtium impetu ludificari conſueſſent. His conciliatus moribus Gattamelata, imperij militaris decus tulit, quum vigilantiſſimi optimiq; ducis operam Reipublicæ nauaſſet. Nec quiſquam ducum poſt Carmagnolam ſecuri percuſſum, gentilemq; Leoniſſanum ſagittæ ictu Brixiano amiſſum, bello maiore ſtudio, propenſioreq; voluntate à Venetis obſeruatus, & grauioribus reſtimoniis excultus eſt. Omnibus ſiquidem his bellis, quibus varia & diuturna cõtentione Bergomum, Brixiam, Veronam, & Cremam Philippo Vicecomiti ademerunt, & in Etruriam vſq; auxiliaria arma promouerunt, multus vbique, & valde conſpicuus ſumma fide feliciq; prudentia bellum adminiſtrauit. Poſtremò quum iuxta Benacũ lacum in Brixiano agro Alpibus ſubiecto niuoſæ duriſſimæ hyemis frigora obſtinatiſſimè pertuliſſet, in Paralyſis incidit morbum, quo non planè ſenex poſt multos dies è vita ſublatus eſt. Veneti eum decreto publico, propter egregiam fidem cum ſumma virtute coniunctã, ænea equeſtri ſtatua honeſtandum cenſuerunt, curaruntq; faciendam ingenio præſtantiſſimi eius ætatis ſtatuarij, cui Donatello Florentino nomẽ fuit. Hic antiquorum artem decenter æmulatus, abſolutæ pulchritudinis ſtatuam armati equitis militare tenentis ſceptrũ, elegantiſſimè perfecit, quam hodie eruditi artifices admirãtur, Patauij collocatam in ea area, quæ Antoniani templi frontẽ aſpicit. Tumulatus eſt celeberrima funeris pompa in templo quod diximus Antoniano, vbi hoc rudis ſæculi carmen marmori inſcriptũ legitur.

INCERTI AVTHORIS.

Dux bello inſignis, dux & victricibus armis
Inclytus, atq; animis Gattamelata fui.
Narnia me genuit media de gente, meóque
Imperio, Venetûm ſceptra ſuperba tuli.
Munere me digno, & ſtatua decorauit equeſtri
Ordo Senatorum, noſtraq; pura fides.

Nicolaus Piccininus.

FORTEBRACCIORVM familiam honeſtam potius, quàm antiquam Peruſiæ floruiſſe conſtat, quam Nicolaus qui ab exigua humilique ſtatura Piccinini cognomentum ferebat, è ſorore Braccij inclyti ducis genitus clariſſimam fecit. Nam ex eadem domo bellica laude inſignes aliqui, & ex his præcipuè Fortebraccius, cui Stellæ cognomen erat, prodierunt. Hunc multi Braccio & Piccinino propè parem euaſurum credidere, niſi in Vmbria à Sfortianis Bracciano nomini infenſis, tumultuario prælio victus, acceptoq; per oculum mucrone, interfectus fuiſſet. Is Romani Pontificis perpetuus hoſtis, propter nefariam audaciam execrante Pontifice aquæ & igni interdictus, ſicuti Braccio acciderat, ſepultura caruit. Mors eius peramagnum dolorem Piccinino propinquo ſuo attulit, de quo hæc ad illuſtrandam eius imaginem dicenda videntur. Nemo ſiquidem ea tempeſtate Piccinino proſperis pariter ac aduerſis clarior fuit, vtpote qui parta nominis famã frueretur, vt eum plerique quas pararet victorias, vera ipſius virtute adipiſci: quum verò hoſti conſertis præliis ſuccumberet; nequaquã imperitia aut ignauia, ſed malignitate fortunæ extortam ei è manibus victoriam fuiſſe prædicaretur; quòd nunquam vel in extremis difficultatibus animum dimitteret; nec vſquam amiſſa ratione, etiam in ſubitis ac inopinatis caſibus frangeretur: quandoquidem integra ſemper ſpe inſultanti victori hoſti fortiter repugnare, poſtremuſque omnium præliando, nec terga vſquam obuertens, ſeſe explicare, atque recipere conſueſſet. Erat enim naturã ingenio præditus apprime pugnaci & feruido, mirabiliterque ſolerti ad præcauendos hoſtium dolos, tendendaſque inſidias: ſed qui in omni rerum vſu iuſtitia, moderatione atque prudentia à Franciſco Sfortia æmulo (vt multis apparuit præliis & bellis) liquidò ſuperaretur. Piccinino namque viro peracri, concitatoque bellatori, & aſpera quæque tentare auſo, fortuna ſæpius illudebat, vti tum accidit, quum Braccius vrbe Roma potitus Sfortiæ armis pelleretur, nouiſſimo præeſſet agmini, nec ſe (vti præceperat Braccius) celeriter ad conficiendum iter explicaret, pugnæque auidus paſſim obuertere tur à perſequentibus Sfortianis atque Romanis, quorum pecua abigebat, ad aquæductum fuſus captuſq; eſt. Aquilano autem prælio calamitatem aduerſi caſus cædemq; Braccij & Piccinini intemperantiam multi referebant, quòd cuſtodiæ ſtationem, in qua aduerſus obſeſſorum eruptiones ab auunculo imperatore fuerat conſtitutus, auiditate conferendæ pugnę deſeruiſſet. Brixiano quoque bello ad Tennam oppidum ſupra Benacum vſque adeò audacter temereque in confragoſa montiũ loca ſeſe intulit, vt à copiis ſuis intercluderetur, neceſſeq; ei foret bauli Theutonis validi proceriq; humeris exportari, vt per media hoſtium caſtra, ſimulatione vulnerati gregarij militis, ad ſuos referretur, tam inſano quàm neceſſario, ſed felici admodũ periculo, quũ Philippi principis imperium totiuſq; exercitus ſalus Barbari agaſonis fidei commiſſa videretur. In ea quoq; pugna quæ ad Binam antiquitus Bibriacũ commiſſa eſt, vſqueadeò feruidè ac inſolenter



imperatorij muneris oblitus, hoſtibus ſe immiſcuit, vt quum pro caſſide aperta tegeretur galea, in occipitio graue vulnus acciperet, quo affectis neruorum initiis ſiniſtro crure perpetuò claudicarit. Cæterùm perpetua exercenti arma, & Philippo, Venetis & Florentinis, Pontificiq; Eugenio, vti diuerſa tempora tulerunt, integra fide ſummaq; virtute operam nauanti, inſignis ei, & propè ſingularis gloria obuenit, vna præſertim Luca vrbe, aduerſus oppugnantium Florentinorum vim fortiſſimè defenſa conſeruataque. Cuius beneficij equeſtris ſtatuæ monumentũ ei decreuerunt, cuius quòd ex ære poni non potuit, ſimulacrum hodie etiam incolumi pictura in foro ſpectatur. Poſtremò quum iam ſenex diuturnoq; nunquam intermiſſæ militiæ labore confectus, Picenoq; in agro apud Laureum montẽ à Franciſco Sfortia profligatus, ex induciis ad Philippum accerſentem perueniſſet, in Paralyſis morbum incidit, maturanteque eius mortem acerbiſſimo animi dolore, exceſſit è vita ſeptuagenario proximus. Nam per eos fortè dies nunciatum ei fuerat, Franciſcum eius filium in Piceno ad Vlmeum montem à Franciſco Sfortia, deletis eius copiis captũ fuiſſe. Philippus qui eum inſigni virtutis merito fideiq; nomine mirificè amabar, omni funeris honore proſecutus eſt, ſic vt in templo maximo tumularetur. Sed eius viri memorabilis, cuncta inſignia monumentaque Franciſcus Sfortia victor & imperij compos, poſtea deleuit; non boni quidem mortui, ſed filiorum eius odio, quando illum ſemper probum fidelemq; amicum extra belli controuerſiam fuiſſet expertus: ij verò Franciſcus & Iacobus in ipſum capitalis odij inimicitias perfidioſæ ſimulationis ſemper exercuiſſent. Tantùm enim poterat liuor ex contrariæ factionis æmulatione conceptus, vt nõ prius Iacobus, vel aſcitus gener, odium ponere deſierit, quàm ab Aragonio Ferdinando rege ſimulatione redintegratæ amicitiæ Neapolim accerſitus, & in carcere ab Æthiope ſeruo ſecuri mactatus fuerit, vir profectò virtute bel-

lica

lica Piccinino patri par, ſpirituque Braccio æquandus, niſi iam ingenti ferocia ſucceſſuq; rerum, cunctis propè formidandus, turbandæque pacis ſemper author, in perniciem ſuam, conſumptis omnibus amicitiis, immitia fata prouocaſſet.

PAVLI IOVII Iunioris.

Hac tibi manſuras æterna in ſecula laudes,
Hæc ſpolia, & victo celebres ex hoſte triumphos,
Robur, & aſtuta præſtantes in corpore vires,
Et populis defenſa vrbes: tuáque inclyta virtus
Sanguineo peperêre ſolo, fortiſſime ductor
Auſonidum; quiſquã an tanto tibi certet honore
Armorum, ac titulis clari Mauortis, & almæ
Militiæ? Nónne hos oculos atque ora ferebas?
Nónne ſub hoc quondã gladio cecidêre volantes
Turmæ equitum, peditumq́; ſimul, pulſiq́; tremore
Oenotrij obſtupuêre Duces, atque Itala ſigna?
At nos exigui miramur corporis artus;
Sufficere hoc oneri, & tantos perferre labores.
Scimus, & Iſmenias bello fregiſſe cohortes
Sæpius in paruis victorem Tydea membris
Ipſa equidem, longè terris Atlante relicto
Caucaſeiſque iugis, & cincto nubibus Oſſa,
Laurigerum redimita caput, petit ardua cæli,
Inde alacris ſeſe tollit ſuper æthera virtus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN TERTIVM LIBRVM ELOGIORVM SVORVM

PRAEFATIO

Ad COSMVM MEDICEM Florent. Ducem.

IMAGINES *inſignium Heroum, quæ ſubſcriptis Elogijs admirabilem numeroſi populi ſpeciẽ, in Muſæo ſpectantibus reddunt, magnanime* COSME, *eo à nobis ordine collocatæ ſunt, vt qui primi ceſſerunt è vita, nullo dignitatis ſeruato diſcrimine, reliquos antecedant; ſcilicet vt quos properantis fati cæca libido æquales fecit, varia demum, atq; inclyta virtus ad animi delectationem, cùm ipſarum actionum, tum formarum & vultuũ iocundiſsima diuerſitate diſcriminet. Quo fit, vt hic tertius liber pari nuncupatione nomini tuo dicatus, nõ aliunde, & iure quidem optimo, initium ſuum expoſtulet, quàm ab ipſo nomine magni* COSMI *progenitoris tui; cuius illuſtris fama (vti reor) nullo æuo conſeneſcet. Quanquam idem in te repetitum nomen diffuſiore anguſtioreq́; prorſus lumine corruſcum, id totum ſuperius familiæ veſtræ iubar plurimùm offuſcet, facileq́ue præſtringat. Hoc ſiquidem, ſi rectè proloqui diuinareq́ue licet, radioſo lumine viam tibi ſternis in cælum, quum virtute animi, vitæ innocentia, æquitateq́; imperij cunctos huius ſeculi Principes fortuna pares, aut ſuperiores, merita conſenſu omnium gloria plenus antecedas.*

ELOGIORVM LIBER TERTIVS.

Coſmus Medices.



HOc vultu inter ſæueritatem atque lætitiam egregiè temperato COSMVS Medices ingentem, qua maximè valuit, exactæ prudentiæ vim præferebat, quum Florentiam patriam ab ſe regio ſumptu admirandis ædificiorum lectiſſimarumq; artium monumentis decoratam multò florentiorem fecit. Is à luſtrico ſtatim die Chriſtiani baptiſmatis, id Græcum nomen diuinante patre tuliſſe videri poteſt, quòd ciuium omnium abſoluta virtute ornatiſſimus eſſet euaſurus. Quippe qui pòſtea illuſtri apud omnes ſapientiæ opinione, nō in patria modò, ſed in omni Italia cuncta propè belli & pacis conſilia rogatus & inermis feliciſſimè rexerit, idq; vnum ſemper, quod ſecuræ atq; opimæ pacis intererat, contenderit, vt Italiæ principes exæquata potentia ſuis contenti finibus pacem tuerentur, & ciuitas optimè conſtituta Republica aduerſus inteſtinas diſcordias, quibus antea plurimùm laboraſſet, permunita, atq; opulēto ocio trāquilla redderetur. hac in re Ioannis patris moderata conſilia grauiter ęmulatus. Is enim inter ciues idē clariſſimus ac opulentiſſimus fato concedens, exquiſita totius ciuilis diſciplinę pręcepta reliquerat, quibus filij virtus eniteſcere poſſet. Sed Coſmum ingenti prouectū curſu, & collecta gratia paternę authoritatis nomen ſuperantem,

atrocis

atrocis inuidiæ inuſit morbus excelſæ virtuti fato quodam comes datus. Nam præpotantes patritij liuore inducti, in caput eius conſpirarunt, vſqueadeò infeſtis corrupti Senatus ſuffragijs, vt tanquam affectati in libera ciuitate principatus reus, qui neminem offenderat, & ſtudiosè multos ſuis opibus ab egeſtate ſubleuârat, citatus iu curiam cuſtodiæ traderetur: eo euentu, vt ab inuſitata inimicorum acerbitate, qui tum erant in Magiſtratu, crudeliſſimum ſenatus decretum, atque ipſum carnificem expectaret; veneniq́ue inſidias veritus, ab omni ferè cibo totum quatriduum abſtineret. Hoc decuriones ſibi maximè inuidioſum fore cenſantes, ſi ciuis clariſſimus paucorum tantum ſuſpicione reus factus, nec adhuc publico iudicio damnatus intariret, per Federicum Malauoltam, quem carceris cuſtodiæ præfecerant, Coſmum crebro ſingultu, pleniſq; lachrymis innocentiam ſuam ſuperis commendantem, cohortati ſunt, vt de veneno quicquam ſuſpicari deſineret, bonaq; ſpe confirmare animum vellet, poſtquam & in curia & in vrbe amiciſſimi ciues, quibus eius ſalus cordi foret, non deeſſent. Poſt eam quoq; conſolationem Federicus, vt totam veneni ſuſpicionem auerteret cum Coſmo cœnauit delibatis ſingulis dapibus, accerſinitq; intrò ad detergendam mœſtitiam, multarum faceriarum vrbanæq; dicacitatis hominem non inſulſum cognomento Farganacciam, qui Bernardo Guadanio Vexillifero erat familiaris. Cum hoc vt Coſmus ſecretò colloqui poſſet, Federicus diſſimulanter ſpatium præbuit, facileq; à ſcurra impetratum eſt, vt prætio accepto, oneratusq; promiſſis, eum Vexillifero commendaret. Dedit enim ei teſſeram Coſmus, vt pecuniam à diuæ Mariæ nouæ Xenodochij præfecto, præſentem acciperet; atq; ita acutus ſcurra ad ſalutem ſummi viri propitius, pecuniam cubitum aunti Vexillifero poſtridie detulit; milleq; aureis & centenis ea occulta largitio ſtetit, qua Coſmus haud dubiè ſernatus eſt. Nam Guadanius majorum præmiorum ſpe allectus, reuocatusq; ab atrocitate ad lenitatem, non multò pòſt ita moderatus eſt ſuffragia, vt inimicorum Coſmi caput eius depoſcentium vota, relegationis ac exilij decreto eluderet: & quo anixius ſtudium certioremq; operam præſtaret, Coſmum curia atq; vrba eduxit. Nam vbi è turriculæ carcere productus eſt, Decurionibus impetratæ ſalutis gratias egerat, & ſe Reipublicæ cauſâ exilium æquo obtemperantiq; animo laturum, fuerat teſtatus, tanta eius ordinis ad gratiam proclinatione, vt exeunti curia ſtipatores ex prætoria cohorte darentur, qui eum aduerſus inimicorum gladios protegerent, inuiolatumque deducerent. Quo mitioris decreti euentu valdę conſternari perturbatique aduerſæ factionis Principes, qui eum præcipiti damnatione, maturatoque ſupplicio tolli, quàm exilio multari malebant, correptis armis forum complauerunt, turbulentiſſimeq; excitato ad armatum concilium populo, deponendos præſentes Magiſtratus, nouosq; his ſubrogandos eſſe poſtularunt. Cæterùm Coſmus ita exceſſit patria, exulatumque Venetias abijt, vt in ciuitate optimo & beneficentiſſimo ciue orbata magnum ſui deſiderium relinqueret: Venetiis verò ab omnibus Patritiorum ordinibus non tanquam exul, ſed præclarum de ingrata deprauataq; patria triumphator exciperetur. Exinde Venetiis, & in Senatu, & in corona, domique ſæpius auditus, quum de rebus publicis grauiſſimè diſſereret, ſummæ virtutis atque prudentiæ præconium tulit. Nec totum in exilio tranſegit annum; ſatagentibus namque in eius reditum veteribus amicis, creatus eſt Vexillifer Nicolaus Coccus, & cum eo Octouiri ſupremæ poteſtatis decuriones, à quibus de reducendo Coſmo in Senatu ſtudioſè relatum eſt, ſecundiſſimisque ferè omnium ſuffragiis decretum emanauit, quo exhilarata ciuitas redeuntem ſummis gratulationibus excepit; tanto quidem plebis & populi ſtudio, vt non ſecus ac olim Cicero reuocante Senatu Romano, Coſmus à Florentia libera Pater patriæ ſit appellatus. Nec multò pòſt capitalis iniurię memor, creatis è factione ſumma ſolertia Magiſtratibus, offenſiones quas ore, ſermoneque diſſimulârat, ita ad animum reuocauit, vt non eas vlciſci, ſed in poſterùm ab inſidiis acerbiſſimorum hominum ſalutem & dignitatem ſuam vindicare velle videretur. Itaque aduerſarum partium Principes perturbatæ armis Reipublicæ, excitatiq; tumultus accuſatos, nec comparentes, in exilium egit. Antealios Rainaldum Albicium, Rodulphum Perutium, Nicolaum Barbadoram & Pallentem Strozzam, qui ciuium potentiſſimi atq; inquietiſſimi cenſebantur. Exinde ciuitas ingenio Coſmi turbulentis ciuibus eiectis, domi & foris felicioris ſeculi incrementa ſenſit. Tanta namq; erat morum temperie facilitateq; naturæ, vt non eloquio, non cultu, non ipſo denique conuictu & comitatu faſtum vllum oſtenderet; modeſtia tantùm, humanitate & ſtudio honeſtæ virtutis ſupra cæteros eniteretur: ſingulari tamen; quæ ſibi & patriæ vrbis ornamento eſſet, magnitudine atq; elegantia ædificiorum, perpetuaq; benignitate hoſpitalis domus cunctos ſuperare contenderet, quum natura frugi, priuata in menſa nihil ad exuperantem copiam, ſed ad nitorem cuncta, ciuilemq; Etruſcæ diſciplinæ temperantiam, alioqui liberalis, & maximè ſumptuoſus in hoſpites, dignitate doctrinæ claros reuocaret. Erat enim ſicuti maximè pius in egenos, officioſus in afflictos, & longè omnium omnis virtutis largiſſimus æſtimator; qua vna re ſuperabat ciues, æquabat Reges, & ſibi certum iter ad perennem laudis famam ſternebat. Nunquam eū inſtitutæ liberalitatis pœnituit. Nullus vnquam ædificandi ſumptus eum deterruit. Nullus vnquam vel aduerſæ fortunis eius caſus, popularis beneficentiæ conſuetudinem interrupit. Quarum rerum admiratione ducti nonulli ciues, vt incomparabiles ma-

gnificentiæ laudes verbis eleuarent, ſæpe dictitabant, tantam vim inexhauſtæ pecuniæ, nequaquam ex argentariorum negotiatione, quæ in omnibus Europæ emporiis à Coſmi inſtitoribus exerceretur, ſed ex Balthaſſaris Coſſæ theſauris proueniſſe; quos vti vir eximiè probus & pius condendis Templis atque Cœnobiis profudiſſet, vt delegantis mortui amici ſecreta vota impleret, & fidem ſuam ſine piaculo tueretur. Conſtat ex aduerſariis rationum codicibus, quos ipſi vidimus, Coſmum ſupra quadraginta myriades aureorum nummûm in priuata & publica ædificia contuliſſe: piæ verò aut occultæ largitionis ſumptum myriadum decem ſummam exceſſiſſe. Verùm eam ſuſpicionē facilè apud rerum peritos auertebant paternę opes, quæ ſignata pecunia, & quæſtuoſiſſima menſariorum negotiatione immenſæ propè conſtiterant, quum nullum vnquam alienæ decoctionis, aut ſuæ conturbationis detrimentum per multos annos accepiſſet: prædiorum verò reditus, aſtrictaq; priuati ſumptus frugalitas quotidianam modicę familiæ impenſam facilè ſuperarent. Duxit vxorem nomine Conteſſinam, è Bardorum antiquiſſima gente, quæ Aluerniæ oppido iuxta Pratum dominatur. Ex ea Ioannem, qui fato iuuenis eſt ereptus, & Petrum ſuſcepit, ex quo nepotes vidit Laurentium & Iulianum, qui poſtea admirabili ſorte geminos Pontifices Leonem & Clementem genuerunt. Sic vt Coſmus exceſſiſſe è vita beatus exiſtimari poſſit, quanquā Petrum diſtortis articulari morbo totis artubus miſerabiliter affectum, ſed virili ingenio planè fortem, ad Reipublicę gubernacula relinqueret. Conceſſit fato Coſmus ſeptuaginta amplius natus annos, tumulatusq; eſt Laurentiano in Templo ab ſe condito, vt tota ſacra æde inſtar ampliſſimi ſepulchri vir incomparabilis, & ciuium maximus, nequaquam anguſto loculo tegeretur, cū hoc breui titulo, ſed longè omnium qui inſcribi poſſint honeſtiſſimo:

COSMVS MEDICES HIC SITVS EST, DECRETO PVBLICO PATER PATRIAE.

PAVLI IOVII Iunioris.

Quid de Sidonio bis tinctam murice veſtem?
Quidue manus ſimilem doctas formare figuram?
Artificiūq, decus tantùm admiramur, & artem?
Suſpice grandæus cæleſtes oris honores,
Effigiem quicunque vides, & fixus in illis
Tranquillū Heroa, & mixta grauitate verēdum
Sume oculis, dulciq, nota pia lumina vultu.
Non hic inſigni gladio per tela, per hoſtes
Egit equū, aut largo fœdauit ſanguine dextram.
Non illi Mars durus erat, nec claſſica cordi,
Verùm conſilij fœcundum pectus, & alto
Ingenio virtus: qua toto cognitus orbe
Ipſe ſui columenq, fori, ſanctiq, ſenatus
Etruſcum decus & nomen ſuper æthera vexit.
Sed q honor? aut vlli laus maior cōtigit vnquā?
Ingrata quàm de patria duxiſſe triumphum,
Hadriacis exul veniens reuocatus ab oris?
Qua poterant potiora peti? quàm q modò ſæuam
Mortem expectabat, diramq, in colla ſecurim,
Audiret populi tollentem ad ſydera vocem,
Expectate veni PATRIAE PATER inclyte
noſtra.

Alfonſus Neapol. Rex.

IN hoc Alfonſo Neapolis Rege, qui primus Hiſpanici ſanguinis ſtirpem, vt in ea diu regnaret, Italię inſeruit, nulla ciuilis bellicæq; virtutis, aut literarum ornamenta defuerunt. Erat enim ore militari & toto corporis habito inter armatos valdè formoſus atque conſpicuus, & vti nunquam expers vrbani moris ab erudita facundia, inter togatos admirabilis. Quibus arridentis naturæ excultique ingenij dotibus cumulatè inſtructus, ad magnum imperium, nouumq; regnum, vel ſpes eius rectè conceptas fallente ſæpè fortuna, vehementiſſimè contendebat; poſtquam ipſum naturæ ius ad Ioannem fratrem maiorem natu, paterni Tarraconenſis imperij hæreditatem detuliſſet. Eius autem votis, vti ſemper bono ingenio ad illuſtre decus reuocatis, tum primùm fortuna benignè ſeſe aperuit, quū is in Corſicam aduerſus Genuenſes, ad oppugnandam vrbem Bonifacium ab Hiſpanis traieciſſet. Sub id namque belli tempus Ioanna, quæ Neapolitano in regno poſt Ladiſlaum fratrem præcipiti fato ereptum ſucceſſerat, Andegauenſium Gallorum armis pulſabatur, quæ eo da que ei erant ad tutelam Imperij externa præſidia, poſtquam Romani Pontifices contra ſe pro Gallis ſtare putarentur. Itaque fortiſſimo æquè ac nobiliſſimo defenſore ſibi opus eſſe rata, accerſiuit Alfonſum, Corſicanis rebus diu hærentem, & cum valida claſſe ſuſceptum confeſtim adoptauit in filium, communicatoque Regij diadematis honore, Imperij conſortem fecit. Cæterùm poſt aliquantum tempus Regina, vti parum pudica, & ob id ſæpè inconſtans & leuis, perditeq; amatoribus ſemper obnoxia, enatis inde peracerbis offenſionibus, cauſas quæſiuit, quibus adoptionis pacta reſcinderet, Alfonſumq; ingratum appellaret, quòd eius probra iniquiore animo pateretur; vſqueadeò alienato infeſtoq; animo,



animo, vt Regina mater Alfonſum filium declararet hoſtem, atque in eum arma conuerteret. Itaque Alfonſus inſolens contumeliæ, nihil abdicata ſpe regni, cœpto ductoque per varios ſucceſſus bello, eum militiæ fructum cepit, vt maximè peritus Italicarum artium, inter inclytos eius ætatis Imperatores præſtantiſſimus euaderet, & ſæpe victor & quandoque victus ab indomita virtute ſe ipſo maior ſemper & clarior haberetur. Cæterùm quum fortuna multos atque mirabiles in eo rege iactando ludos edidiſſet, ad extremum pudore victa, eum promeriti regni compotem fecit. Extrema namque obrutum clade, captumque nauali prælio ad Pontias inſulas, ita benignè complexa eſt, vt ex ea calamitate properè ereptum, non modò liberum, ſed inexpectato etiam munere ampliſſimum Regem ex captiuo redderet. Siquidem perductus Mediolanum, tantùm abfuit vt in triumphum ad inanem pompam duceretur, vt Philippus Vicecomes, vti generoſum victorem decebat, cum ingenti clementiæ gloria eum ſummo cum honore ſuſceperit, in amicitiæque fœdus receptum, & liberaliſſimè inſtructum pecunia, validiſque auctum copiis, ad repetendum Apuliæ Regnum ab ſe dimiſerit. Eo namque tempore Renatum, Andegauenſium partium ducem, ipſumque prouinciæ Narbonenſis regem, Ioanna nouo adoptionis iure ad Alfonſi contumeliam in regnum euocârat. Verùm renouati belli is exitus fuit, vt Alfonſus vrbe Neapoli per aquæductum capta, Renatum amiſſis copiis in arcem compulſum regno expelleret, & conſenſu procerum, quòd Ioanna ſuo fato conceſſiſſet, ſpecioſiſſimum curru triumphum, Rex appellaretur ſecundoq; demum bello Senenſibus in ditionem acceptis, & attritis Florentinorum opibus, ad Etruſcum imperium aſpiraret. Vir enim animo ingens, ſubnixus virtute, nondum fortunæ ſuæ terminos ſtatuerat, multoq; aggere ſua aptè munienda rebatur, vt maximè diuturna parti Imperij fundamẽta iacerentur. Vigebat in hoc rege perpetuum ac illuſtre ſtudium parandæ laudis, quod perenni in omnes beneficentia, totiuſq; aulæ ſplendo-

te incomparabili conſequebatur. Nam Federicum Cæſarem, ex Luſitana vxore propinquum ſuum, ideoque Neapoli nuptias celebrantem, tanta rerum omnium liberalitate ſibi deuinxit, vt Germanorum comitatus omnis, qui Cæſari ampliſſimus aderat, veſte ſerica, aureis torquibus, equis conſpicuis, elaborato argento, ſignataque aurea moneta donaretur, & nunquam ſatis celebrata benignitate magnificentiſſimi Regis in Germaniam rediret. Itaque Alfonſus opulentiſſimum Regnum egregia virtute partum, cunctis his artibus, quæ victori atque optimo Regi verum decus adſtruerent, Neapolitanorumque procerum animos conciliarent, ſapientiſſimè confirmabat; tanta prudentia, vt noui Imperij opes, exquiſitis ſemper amicitiis, certiſque fœderibus apud Principes ſtabiliret. Ante omnia vrbis muros vetuſtate collabentes reſtituit, additis ad portas lapideis turribus, & portum amplificata mole capaciorem, ſecurioremque reddiderat, quum in conſtruenda noua arce, quæ portui immineret, inuſitatæ admirabiliſque ſtructuræ laudem quæſiuiſſet. In tota porrò vita, quæ ei continuatis ferè bellis laborioſiſſima ſemper fuit, nullam ſe vel maiorem, vel iocundiorem voluptatem capere prædicabat, quàm ex cœtu virorum inſignium, qui cæteris vna præcipuè eruditionis commendatione præcellerent. Cùm his ſiquidem honeſtiſſimos ſermones, adminiſtrandoque Regno vtiliſſimos ex hiſtoriis aſſiduè ſerebat. Apud eum namque omnia doctrinæ percupidum illa tempeſtate florentiſſima ingenia ſpectabantur, inter quos erant Laurentius Valla, Bartholomæus Facius, Antonius Panhormita, & qui bellorum eius hiſtoriam non illepidè perſcripſit, Bracellius Ligur. Ab his namque ſcribendorum annalium diligentem operam exigebat, qui ingenij grauitate vſuque rerum præditi viderentur. In hos etiam vſus, condita ſumptuoſiſſimæ ſuppellectilis Bibliotheca, Græcis authoribus in Latinum verſis, rem literariam, quæ erat intermortua, ſuſcitare ab inferis, enixeque locupletare contendebat; vtpotè qui Caſtrenſibus vigiliis ſummum decus bello adeptus in ocio demum, & per interualla incertæ pacis vberrimam ex literis laudem lectitando atque audiendo ſemper appeteret. In cœlibatu ſingularem, eamque paucis incompertam liberi tranquillique animi felicitatem repoſuit, ſic vt eum nunquam pœnituerit connubia reieciſſe, quum filium Ferdinandum regiæ indolis ex nobili concubina in ſpem regni ſuſcepiſſet, quem ſatis legitimum Regem fore prædicabat, ſi pertinaci virtute fortunam, quæ non ſemper cuncta daret, & eriperet, conciliandam arbitraretur. Fato conceſſit non planè ſenex, concepta febre ab aſſiduis falconum aucupiis apud Nolanos campos, Sarnenſium paludum inſalubri auræ ſubiectos, quum regnaſſet annos viginti duos, triennio poſtquam Mahometes Othomanus Byzantium expugnaret.

FABII BENEVOLENTII Senenſis.

Poma quot autumnus, quot verno tempore flores
Terra ferat gremio narret; quot littus arenas
Spargat, & immenſo diſcurrant æquore piſces,
Qui cupit Alphonſi meritas percurrere laudes.
Hic & inaceſſas Lybiæ penetrauit ad oras,
Lothophagûm gentem domuit, retulitq; ſuperbum
Vrbibus euerſis, & victo Rege triumphum.
Senſit & ipſe ferox Gallus quid dextera poſſet
Illius, Auſonia iuſſus decedere terra.
Hic quanquam bello clariſſimus extitit Heros,
Non minus excoluit Phœbum, Muſasq; ſorores.
Ergo iam duplici præcinge tempora fronde
Qui meruit, clari diuino carmine vates
Pieridumq; Chorus, meritis celebrate choreis,
Atque recurrentes laudetis ſemper in annos.

Franciſcus Sfortia.

HIC eſt ille incomparabilis fortunæ atque virtutis Heros Franciſcus Sfortia, qui abdicato Attendulæ familiæ nomine, paterni cognominis titulum gentilitium fecit: ſupra id etiam cuncta diſciplinæ militaris munera fortiter atque feliciter æmulatus. Is poſt patris interitum effectus Imperator, diu vaga & mercenaria arma vario euentu circumtulit, ægrè aliquando ſupra aduerſæ fortunæ difficultates ita eluctatus, vt viuido ſpiritu ſeſe ad ingentem famam omnibus bellis efferret, & deuicta paſſim fortuna, proculcataque inuidia, & perdomitis Braccianarum partium reliquiis, aut certè bello geſtarum rerum felicitate ſuperatis, inuſitata virtus eum opulentiſſimi imperij compotem fecerit. A' Philippo ſiquidem Mediolanenſium Principe aſcitus gener, eius imperij euaſit hæres: ſed qui nonunquā ſpretus, & ex vſu belli rurſus expetitus, exiguam ſpem obtinendi eius principatus aliquando retineret, & inimica demum Venetorum arma ægrè reprimeret. Egit Principem annos ſexdecim, tanta imperij æquitate, moderatione, clementia, popularique humanitate, vt qui armorum fulgore hoſtibus terribilis erat, & inuictus aduerſus omnem vitiorum intemperiem, publico iudicio eius ſeculi Principem longè optimus cenſeretur. In hunc ſiquidem hominem præter inuictum corpo-

tis



tia atque animi robur, ſumma etiam dona, quæ tribui poterant, natura contulerat, perſonæ ſcilicet dignitatem eximiam, os probum, & in omni congreſſu aſpectum ſine ſuperbia ſuis pariter atque hoſtibus venerabilem, ſic vt cuncti in eo ſæpius concionante facundiam abſoluto oratore parem admirarentur, eoque plenius, quòd nullas attigiſſet literas; & nihilo ſecius in omni ciuili militarique negotio, efficacis prudentiæ, diuinique iudicij vim expeditam & incredibilem afferret. Sed literarum decus quum ſeſe eius expertem ingenuo pudore ſæpè dolens liberaliſſimè tuebatur. Iuſtæ ſiquidem & veræ laudis, quæ viuenti ornamento eſſet, & tranſiret ad poſteros, erat auidiſſimus. A' Ioanne Simoneta namque inſigni Hiſtorico, & à Philelpho Poëta percelebri res ſuas bello paceque geſtas perſcribi celebrarique iubebat, ſicuti etiam patris vitam Leodorix Cribellus eius iuſſu antea perſcripſerat. Obiit ſenex, intercuti morbo ſublatus, abſoluta iam Mediolani arce, quæ ad imperij munimentum incomparabilis ſtructuræ exiſtimatur; quum numeroſam prolem ad cumulum felicitatis reliquiſſe videri poſſet, ſi liberi, nepotesque paternæ & auitæ virtutis, quàm nominis æmuli eſſe maluiſſent; quanquam ea fuerit ſequentia ſeculi iniquitas, in quam fato quodam inciderunt, vt eam vel robuſtiſſima cuiuſque magni Principis virtus, neque ferre, neque ſuperare potuiſſe videri queat. Fuêre qui ei inexorabilis odij notam inurerent, quòd perſequendæ Braccianæ factionis nunquã oblitus, Iacobum Piccinini filium, ſummæ ſpei Ducem, ſub quo Bracciana arma refloreſcere poſſe viderentur, nequaquam ſyncera fide in generum aſciuerit; ſcilicet vt eo vinculo pignoreque deceptum, ad teterrimam necem Ferdinando Neapolitano Regi proderet. Ab eo enim Rege contra fidem, refricata veterum offenſionum memoria, vir impiger in carcere per Æthiopem ſeruum auerſa ſecuri mactatus eſt, ſingulari quidem cum infamia tantorum Principum, qui vindictæ libidinem ſacroſanctæ fidei & hoſpitalis menſæ religioni prætuliſſent.

Si quiſquam Eridani ad ripas, camposq; iacentes
Inſubrum, emiſſa quos olim Larius vnda
Irrigat, exculta fœcundans vbera terra,
Venerit, & magna molem ſuſpexerit arcis,
Quæ ſeſe latè oſtentans ſeptemplice muro
Aequatur cælo, & vaſte latus obſidet vrbis:
Nec rerum, ne tanta operũ monumenta tuorum
(Quanquam illa æternum multum celebranda per orbem)
Supremo admirans dignetur munere laudum:
Sed tibi facunda tribuat præconia lingua,
Tum demum inſigni cum te pietate paternum
Illuſtraſſe decus, clarumq; in ſecula nomen
Nouerit, vnde tui cognomina sancta Nepotes
Regibus eximijs nunquã aſpernanda ſequantur.
Et meritò, nam quis maius maiore parauit
Virtute imperium? nam quis melioribus vnquam
Auſpicijs, alma percuſſit fœdera pacis?
Quis demum optatam felicior vſque ſenectam
Attigit? & vita cepit meliora beata
Præmia? nunquam hoſtes tete vidêre pauentem
Cedere perculſum turpi formidine pectus.
Nunquam illi audaci tua caſtra laceſſere ferro
Aggreſſi, euentus belli ſensêre ſecundos.
Martia quin ſæuam fugerunt agmina dextram,
Conſertas quoties placuit concurrere vires,
Conſilijs quoties voluiſti oſtendere, quantum
Cederet inferior fortuna ingrata labori.
Sed quid ego hæc? læsis cùm iam nõ vlla trophæis
Ora tuis careat multo ſudore paratis,
Cùm iam nulla ſacros tellus oblita triumphos
Præferat inſignes titulos, quos neſcia vinci
Obtulit exuperans non vna pericula virtus.
Salue igitur, ô fama ingens, ingentior armis,
Magnanimũ quondam heroũ certiſſimus auctor
Sfortia; deuicti cuius virtute potentes
Aſpexêre ſuo manantes ſanguine riuos,
Cuius & egregias laudes, præclaraq; facta,
Teſtati miſeragnatorum in morte parentes
Aequarunt cælis tandem fulgentibus aſtris.

Amurathes II. Turcarum Imperator.

AMVRATHES, eius nominis II. Turcarũ Princeps, imperium Mahometis Celebini patris inſigni de Sigiſmundo Cæſare victoria confirmatum excipiens, nihil antiquius habuit, quàm fines proferre, lateque finitimos Chriſtianorum Regulos vrgendo armis ſummouere, penitusq; delere: & vt id certius atque validius efficeret, primus Othomannorum phalangem peditum inſtituit, quam diſciplina ab antiquis Macedoniæ Regibus reperta incumbẽti hoſtium equitatui in præliis opponeret, & per eam audentius oppidorum oppugnationes aggrederetur: multo namq; vſu compererat, equites in eo obeundo tali munere parũ idoneos, hoſtiumq; item Myſorum Triballorumq; & Illyriorum equites, armorũ genere atq; animorum conſtantia Aſiaticis & Thracibus ſæpius ſuperiores euadere didicerat. Fuere ab initio in ea phalange non plus quàm octo millia delectæ iuuentutis; ſed eam poſtea ſucceſſores duplicatis ferè ſupplementis adeò auxerunt, vt animaduerſa vi atq; induſtria peditum, ſæpè ex ea parte virium incomparabiles victorias de hoſtibus retulerint, quòd inueterati multis ſtipendiis milites, & in vnum denſati corpus inſuperabile robur oſtenderent. Hoc militũ genus parentibus Chriſtianis ereptum ex delectibus cogebatur, imbuebaturq; his ſacrorũ legibus & belli artibus, quibus Turcæ ab ipſa ſtatim pueritia erudiri mos eſt. Ianizaros Amurathes, hoc eſt, nouæ gentis milites appellabat, educatosq; in aula prætoriæ cohortis perpetuos corporis ſui cuſtodes & ſtipatores effecerat. Ianizaris omnibus peculiare erat album pro galea capitis integumẽtum (id Exarcolam vocant) ex coacta craſſiore lana denſatum, quod erat gladiis impenetrabile, & demiſſa à tergo latiore cauda, ceruices egregiè permuniret, à fronte autem ornaretur aureo aut argẽteo cono, quo criſtas inducrent. Sagittis atque haſtis, atque item paruis ſecuribus rem gerebant; ſed ætate noſtra reliquis ferè omnibus haſtis & arcubus abiectis, noſtrorum imitatione ſclopettarij præcellentes euaſerunt. His fretus Amurathes, Lazarum Seruiæ Deſpothum, qui Myſis & Triballis imperabat, continenti attritum bello, & pluribus fuſum præliis, regno expulit, Scopis, Nouomonte, & Sophia vrbibus ei ademptis, captisq; duobus eius filiis, quos barbara crudelitate, admota oculis candenti ærea pelui, lumine orbauit; horumq; ſororem, vt tantæ iniuriæ dolorem lenire videretur, quòd eſſet egregiè formoſa, in matrimonium duxit. Exinde in Illyricum, Pannoniam, Epirum, Macedoniam, incurſiones incolis maximè funeſtas fecit: adortusq; demum Græciam, vaſtabundus in Peloponneſum excurrit; perruptoque ad Iſthmum Corinthiacum Examili muro Conſtantinopolitani Imperatoris fratrem repentina belli clade obruit: victriciaque arma ſtatim in Venetos conuertens, Theſſalonicam magna vi tormentorum adortus, expugnauit, & incendit. Sed longè maximum operum eius fuit Ladiſlaus Poloniæ & Hungariæ Rex in Varnenſibus campis trucidatus, quum iuuenis incertæ belli gloriæ, quàm ſecuræ pacis auidior

expri-



ex primo felicis belli prouentu, Carambo Amurathis duce profligato captoque, nouam opimioris victoriæ ſpem induens, recentia pacis fœdera violare religionis cauſâ minimè dubitaſſet. Cæterùm Amurathes faſtidia proferẽdi Imperij cura, aliquando ſimulata in immenſum pietate, ita regno ſe abdicauit, vt rerum gubernacula Hali purpurato Mahometis filij nutricio relinqueret, & in nemoroſum Bithyniæ ſpecum cum paucis ſacerdotibus ad contemplationem rerum cœleſtium abderetur. Sed vir apprimè grauis & aſtutus, cùm de Ladislai aduentu Chriſtianorumq; principum conſiliis, qui terra marique bellum parabant, certius didiciſſet, è ſacro eo luco, reiecta ſuperſtitione, ad tuendum illico regnum proſiliit. Verùm aliquantò pòſt non eadem fortuna Hungaros adortus, fruſtra oppugnato Belgrado, ad Sauom atque Danubium confluentes, graue detrimentum cruentiſſimè repulſus accepit. Simili quoque ſupremo eius conatu infelicitet oppugnauit vrbem Croiam, quam ei inſigni dolo Scanderbechus alumnus abſtulerat; dum iuuenis longè fortiſſimus paternum imperium inuictis armis recepiſſet, & Turcas frequentibus fuſos præliis tota penè Epiro depuliſſet. Ab hoc irrito incœpto Rex barbarus vſque adeò acerbum ex animi dolore morbum concepit, vt quum ſenex è caſtris Hadrianopolim referri ſe iuſſiſſet, pauciſſimis diebus deliranti veſanoque ſimilis, vitam relinqueret, quum alterum atq; trigeſimum regnaſſet annum, & Mahometem filium ea lege, vt perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis foret, imperij & ſæuitiæ in nos ſuæ atrociſſimum Othomannorum principum hæredem reliquiſſet.

AVGVSTI COCCEIANI.

Quæ tibi, quæ tanta inceſſit mens optime patrum | Ioui, nouus qui pectore errat ſpiritus?

Vt tanta Schyticos reges tibi pinxeris arte,
Quos turba noſtrûm ſuſpicit Quiritium.
An ne iuuat Latij truculentos nominis hoſtes,
Ferasq; noſtro ſæpe paſtas ſanguine
Spectare? vt rediuiua iterum præcordia pulſet
Virtus, & altè exurgat Italûm decus.
Hac vtinam. Interea votis Roma annue noſtris,
Et excitare hac intuens ſpectacula.
Europa atq; Aſia his ſi neſcis regna ſuperbis
Tuâ tenent ignauiâ, nec te pudet.
Ergo purpureas traxerunt ſanguine lymphas
Et Iſter & Panyſus altis alueis;
Et noſtra albeſcunt etiamnum callis acerui
Deſerta latè Myſia per æquora,
Pannonia regem quum defleuêre peremtum
Manu impotentis Amurathis effera.
Et poſitū aëria eſt monumentū inſigne columna,
Aeternus horror vt loco inſit, & metus.
Scilicet vi gemina hac cælo capita alta ferentes
Cedant columnæ Cæſarum vni Barbara,
Et gladij, & galea, & clypei, Romanáque pila
Scytharum acinaci, & pharêtris impijs.
En quo degenerum cecidit ſpes tanta nepotum,
Et Chriſtiani nominis regum decus,
Quorum dum gliſcit furor & diſcordia demens,
Abſumta in auras priſca ceſſit gloria.

Georgius Caſtriotus Scanderbechus,
Epiri Princeps.

NEMO Chriſtiani nominis Princeps aut imperator Georgio Caſtrioto vehementius atq; felicius arma Turcarum exercuit: nemo frequentius acie victor extitit. Is à Barbaris Scanderbechus eſt appellatus. Nam pater eius Iohannes, quum in Epiro, eaq; parte Macedoniæ, quæ ad Hadriaticum vergit, regnaret, nec finitima Turcarum arma ſuſtineret, his legibus ab Amurathe pacem impetrauit, vt ei obſides filios daret, in queis virtute animi formaq; corporis Georgius plurimùm eminebat. Itaq; regia in aula liberaliter educatus eſt, instructusq; diligenter non modò Barbarorum literis & moribus ad Mahometanæ ſuperſtitionis diſciplinam; ſed in omnem armorum eius gentis exercitationem, tanto ſucceſſu, vt ante pubertatis annos Sanzachus efficeretur; qui honos magnæ equitum alæ ſigniferum exprimit. Erat autem Amurathi longè omnium gratiſſimus; vtpote qui indolem regij oris præ ſe ferret, & non obſcura ſummi futuri ducis indicia præbere videretur. Nam quotidie cum ſumma Amurathis oblectatione, ſimulachra præliorum in hortis regiis edere cum æqualibus erat ſolitus, in quibus ipſe expediti conſilij vigore, & mira vi corporis, omnes ætate grandiores ſuperabat, eumq; idcirco Amurathes, quòd ſuprà militaria ætatis tempus, proceræ ſtaturæ preſtantique ingenij indomitum robur oſtenderet, in Aſiam miſit aduerſus Ciliciæ regem, quo bello ſummam laudem rebus fortiter geſtis eſt conſecutus, ob idq; pleniorem, quòd ſingulari certamine Scytham multarum palmarum gladiatorem ſuperbè oſtentantem vires & prouocantem, confeciſſet: per ſimiliq; auſu, inſignia dux Perſa equeſtribus armis pugnam ciens, paremq; ſibi bellatorem ex hoſtili acie ad certamen inuitans, haſta transfixus proſtratusque fuiſſet. Dum eo modo bellica laude & ſingulari Amurathis gratia floreret, patrem amiſit, Othomannicaq; arma eius ditionis vrbes atq; oppida impotenter occupârant; ita vt Amurathes ploranti Scanderbecho ſpem daret, ſe maiore paterni imperij ditionem ei conceſſurum. Sed nihil aſtutis Barbari regia promiſſa credens, inſigni calliditate ſolertiaq; vſus, in Epirum euadens, per adulterinas literas arce paterni imperij potitus eſt, excitisq; Epiri & Macedoniæ populis legitimi principis prolem agnoſcentibus, princeps eſt acclamatus: tantaq; animorum propenſione liberatæ gentis eſt vſus, vt per multos annos, & Amurathis, & Mahometis filij inuictos antea regum exercitus frequentiſſimè profligarit, atque retuderit. His autem bellis hoc ei præcipuum militiæ decus obuenit, quòd quum Amurathes fruſtra cum ingentibus copiis miroq; tormentorum apparatu Croiam vrbem oppugnaſſet, dolore irriti conatus, non multò pòſt ad mortem ſit adactus; ſeptemque Othomannici nominis clariſſimos Duces è purpuratorum Baſſarum ordine, acie deuicarit & caſtris exuerit. Quarum rerum memoriam ſucceſſusque admirandos Marinus Scodrenſis, ea qua potuit facundia celebrato Scanderbecho, peculiari volumine edito, mandauit ad poſteros. Cæterùm Georgius aliquantò pòſt cum Mahomete inducias pepigit, quum ille Græciæ excidium moliretur, ipſe verò Ferdinandum Neapolitanum regem Andegauenſium arma ægrè ſuſtinentem Epiroticis armis ſe duce defendendum ſtatuerat. Itaque maturam opem imploranti regi proſperè tulit. Nam Georgij aduentu qui ex Epiro in Apuliam traiecerat, Gallorum copiæ ita profligatæ ſunt, vt rex præcipua Georgij virtute ſe conſeruatum fateretur. Verùm exactis induciis Mahometes, qui Byzantium interfecto Græcorum imperatore manu cœperat, Trapezuntium euerterat imperium, Ciliciæ, Myſiæ, Illyricique reges occupatis regnis occiderat, non ſecus ac antè pater Amurathes Croiam expugnare non potuit, propugnante Georgio & non vnam cladem obſidentibus inferente. Quamobrem Pius Pontifex excitatis ad capienda arma

Chriſtianis



Chriſtianis Regibus, belloq; indicto aduerſus Mahometē, exiſtimauit neminē frenandis debellandiſq; Barbaris Georgio priorem Ducem eſſe deligendum, tanto quidem ſtudio, vt Georgium nō totius Epiri modò, ſed Macedoniæ Regē deſtinaret. Cæterùm in eo conſilij decreto, conatuq; Pius Anconę fato eſt interceptus. Nec his demū honeſtiſſimis belli cogitationibus Paulus ſecundus ſucceſſor incubuit, quanquā Georgius, vt præſenti facundia eū minùs decoris occupationibus implicitū permoueret, admoneretq; publicæ ſalutis Cardinalium ſenatum, graui ſuo incommodo Romam petiiſſet, q. immoderatæ Barbarorum cupiditati atq; audaciæ, niſi conſentientiis totius Europę viribus, reſiſti non poſſe, apud imperitos & deſides teſtaretur. Nec quicquā poſteà priſtina ſua laude dignum geſſit, ea ſcilicet vniuerſæ concordiæ ſpe deſtitutus. Atq; ita cùm Liſſi eſſet, ad Drylum amnē, & de bellicis rebus cum præfecto Veneto conſultaret, lethalis eū febris inuaſit. Laceſſente autē ea in die ſęuius, vbi fatalem horā adeſſe ſenſit, impuberē filium Ioannem, totiuſq; regni opes & copias Veneto Senatui commendauit. Nec multò pòſt è vita ſublatus eſt, anno ætatis LXIII. à partu verò Virginis ſexageſimoſeptimo ſupra quadringenteſimū atq; milleſimum. Fuit Georgius vi corporis & virtute animi, militariq; felicitate (vti reor) nemini ſecundus. Habuit in cōuictu, quū perpetuas aleret copias, lectiſſimorum hominū ampliùs duo millia, nec vnquā auctis copiis maius militiæ robur quàm ſena equitum, ternaq; peditum expeditorum millia hoſtibus oppoſuit. Delectu enim veterani militis, nō numero victorias parari prędicabat. Horū nomina factaq; memoriter tenere conſueuerat, ſummuſq; illi erat honos, cui ipſe diſcumbens de patera ſua propinaſſet. Qua comitate coniūcta cunctis in rebus ſummæ liberalitati, ſuos ſibi maximè conciliabat, quando etiā in eo, quod maximè accendendis ſtudiis intererat, ſumma pietas emineret. Vbi verò armatus prodibat, tanta oculorū alacritate, tantaq; hilari facundia milites ad cuncta ardua aggredienda accendebat, vt non eximiè modò pugnaces, ſed ferociſſimos

contemptoreſq; impiorum hoſtium efficeret. Erat autem vſqueadeò excelſa ſtatura, toroſoque habitu & robuſtis artubus, ac naſo prominente, decenterq; incuruo, vt magni proculdubiò herois effigiem repræſentaret. Qua formę ſpecie eius familiæ Regulos qui Apuliæ inſiti ſunt, præditos fuiſſe conſpeximus, vti ex collatione eius imaginis, quæ in Muſæo ſpectatur, videre licuit, præſertim in Ferdinando, pronepote Sancti Angeli ad Garganum Marchione, qui Ticinenſi prę-lio regia manu confoſſus occubuit. Narrabant gentiles eius, quod etiam à ſcriptoribus memoriæ proditum eſt, Georgium nunquam detrectaſſe pugnam, nunquam hoſti vertiſſe terga, nullo vnquam in diſcrimine metu occupatum, nunquam vulneratum, niſi leui ſemel ſagitta in crure fuiſſe; ſupraque duo hominum millia, barbarorumq; præſertim, diuerſis in præliis ſua manu interfeciſſe, quando ſingulis ferè ictibus, ſingulos qui congreſſi eſſent conficere eſſet ſolitus; quòd prægrandi ponderoſoque acinace tam validè quàm peritè vteretur, quo medios hoſtes ad vmbilicum proſcindere, tranſuerſos diuidere ſoleret, & ſæpe per ceruices integros cum humeris brachiorum artus facilè detruncaret. Quarum immanium vulnerum truculentiam, hoſtes qui ex præliis euaſiſſent, cùm Byzantij in aula admirantibus cunctis enarrarent, Mahometes ipſe, illum potentis dextræ inuſitatæque violentiæ gladium videre concupiuit, impetrauitq; facilè à Georgio, vt ſibi Byzantium mitteretur: talem namque eius eſſe temperaturam prædicabant, vt eius ictum nulla vel ferrea corporum munimenta ſuſtinerent. Tanta autem inuſitatæ virtutis eius viri fama erat, vt Turcæ poſt mortem eius potiti tota ferè Epiro, ſepulchrum Scanderbechi apud Liſſum quæritarent, admirabundiq; vſqueadeò piè venerarentur, vt ſuperſtitioſi homines eruta demùm ſepulchro, tanti Herois oſſa religioſè diriperent, quum quiſque ſe bello inuictum, tutumque fore crederet, ſi fruſtulum ex oſſibus reliquiisq; inuictiſſimi Imperatoris, in Amuleto ceruicibus ſuſpenſum, iturus in prælium geſtaret.

FAERNI.

Turcarum clades, Othomanni nominis horror,
Epiri tutela illo iacuêre ſepulchro
Quo quondam inuicti cubuerunt oſſa Georgi.
Nunc & membra viri, & diſſectū in fruſta ſepul-
Interijt, ſparſi manes, conciſa vagantur (chrū
Oſſa, nec in gelida nunc ſaltem morte quieſcunt:
Namq; vt is aſſertū toties cum laude paternum
Imperium, exacta moriens ætate reliquit,
Illic es immanes tenuerunt omnia Turcæ.
Tum clari Herois venerati nobile buſtum,
Oſſaq;, marmoraq;, inuictum condentia corpus
Abſtulerant, ſibi quiſq; in partes ſecta minutas.
Tanquā ijs bellica vis, & Martius ardor ineſſet,
Et genium præſtare bonum, ſortemq; valerent:
Si qua alijs tumulum virtus parat, abſtulit illi
Atque eadem diro venerandum præbuit hoſti.

Bartholomæus Coleonus.

HVIC Gattamelatæ honore par, ac ætate fermè æqualis fuit Bartholomæus Coleo Bergomas, verùm genere atque opibus aliquantò ſuperior. Is Sfortianæ ſimul & Braccianæ diſciplinæ diligentiſſimus obſeruator, multis fortibus factis, conſtantis atq; impigri Ducis famam eſt conſecutus, eoq; præſertim prælio, quo Gallorum ſanguinaria manu bella gerentium, feritatem atque ſæuitiam pari crudelitate vindicauit. Mortuo namque Philippo, quum Mediolanenſes ſeſe in libertatem aſſeruiſſent, Raynaldus Gallorum Dux ab Aſta vrbe ſuæ ditionis Alexandrinum agrum hoſtiliter inuaſerat, nec quem ei opponerent Inſubres habebant, Franciſco Sfortia ipſorum imperatore aduerſus Venetos bellum gerente, qui ſine certa pernicie inde reuocari nō poterat. Erat tum Coleo cuſtodiæ traditus Philippi iuſſu, propter inanem concepti transfugij ſuſpicionem. Itaque hunc maximè idoneum, qui Gallis reſiſtere poſſet, rati, cuſtodia educunt, adiunctoq; ei Aſtore Faoentino, cum parte copiarum contra Gallos proficiſci iubent. Conſerta eſt ad primum hoſtis conſpectum pugna maximè atrox & cruenta apud oppidum Boſchum. Nam Galli, pro genti inſita ſæuitia, cōtra Italicum morem captos & deditos Coleonis cataphractos, diffibulata caſſide iugulabant. quod vbi Coleoni nunciatum eſt, clamore edito ſuis edixit, vt Italicæ conſuetudinis obliuiſcerentur, & nemini Gallo parcerent: atque ita graui ira ſuccenſus, conglobatis alis in hoſtes irrupit, fuſosq; proſtrauit, ſic vt magna eorum pars interficeretur, & Raynaldus captus, vix ſupplex ſalutem impetrârit. Primis ſtipendiis diu vagatus, turmæ equitum præfecturam à Braccio promeruit: nam planè puer pecuniæ inops, Paulo patre propinquorum inſidiis interfecto, miſer & errans domo exierat: matre etiam in carcerem à mariti percuſſoribus immaniter coniecta; ſic vt paternis opibus nulla in parte iuuaretur. Sed Iacobus Caudola non multò pòſt ei turmam duplicauit, iuſtæque demum alæ vexillum detulit Braccius. Rex autem Alfonſus vberiore auxit ſtipendio; & ipſe quoque Sfortia honoratiore militia nobilitauit. adhæſit tandem Philippo, ſub quo bella multis annis viguerunt. Cæterùm Coleo Ve-



leo Vaneti imperij ſortunam agnoſcens, eius auſpicia opportuno tempore ſecutus eſt, vigintiq́ue amplius annis eorum copiis cum Imperio præfuit. Eô autem bello, quod aduerſus Mediceæ familiæ principatum à Florentinis exulibus in Gallia Togata excitatum eſt, Coleo Dux primus omnium inſtituiſſe dicitur, vt tormenta aduerſus hoſtium aciem emitterentur, quum antea in expugnandis tantùm defendendisq; vrbibus vſui eſſe ſolerent. Spingardas enim ita vocabant minora tormēta tricubitalis longitudinis, quæ glandem pruni maioris magnitudine violenter effunderēt. Hæc paruis curribus inſerta, poſt acies auehi, & ſigno tuba dato, quo ſua agmina, relicto interuallo, hinc atq; illinc panderētur, in oppoſitos hoſtes dirigi iubebat. Quo inuento ad Ricardinam Bononienſis agri, hoſtilem aciē ita perterruit, vt quum Spingardę pila Herculi Ferrariæ Principi calcaneum deterſiſſet, malignè & barbaro more Coleo feciſſe diceretur; quī viros fortes gladio atq; haſta pro virtute & gloria dimicantes, inuſitata atque horribili pilarum procella proſternendos curaret. Ea enim humanitate milites Ducesq; extra cruorem per id tempus in Italia depugnabant, vt eo prælio funalibus accenſis, quum nox ingrueret, amplius quatuor millia cataphractorum equitum admirabili ridendaque hodie ſpectaculi contentione concurrerint. Fuit Coleo corporis ſtatura erecta atque habili, adeoq; formoſus & agilis, vt Regina Ioanna, ingenio procaci mulier, auidaq; virorum fortium, Coleonis amore caperetur, quum ea ſpectante, cunctos in palæſtra iactuq́ue ferrei vectis, & ſaltu curſuq́ue certantes, cum magno ſpectantium plauſu ſuperaret. Deerant ei Latinæ literæ, ſed his præditos ſuſpicere, & per eos hiſtoriæ veteris notitiam conſequi erat ſolitus. Nec ingenium eius ab vrbanis facetiis alienum fuit, vt ex eo ioco apparuit, quo Galeacium Sforciam acutiſſimè perſtrinxit. Nam quum ei Galeacius iuuenili petulantia dono miſiſſet vulpem caueā incluſam, vt exactę ætatis Duci, nec ſemper aſtuto illuderet, Coleo eum ſtatim pari dono remuneratus eſt, mittens Tinunculum com-

peditum loro, & binis de more accipitrum argenteis tintinnabulis exornatum, qui à pueris pro accipitre geſtari ſolet; quaſi tantę fortunæ principi iogenij leuitatem exprimeret, qui oihil prę-ter ornamenta & inanem effigiem, graois & ſtrenni ducis præferre cenſeretur. Oderat nebulo-nes; fures autem & delatores feoerè puniebat, quum exactè extra bellum pietatem coleret. Fa-miliæ dignitatem cultu & conuictu admodum liberali tuebatur, magnificentiæque deditus tri-bus templis ſuo ſumptu ædificatis patriam honeſtauit. Coodidit autem peramœno in ſitu ca-ſtellum ſtructuræ elegantis, quod Malpagam appellauit. Ea in arce quum vixiſſet annos ſep-tuaginta ſex, exceſſit è vita condito teſtamento, in quo ſenatum Venetum ex quadrante ſcri-pſerat hæredem, vt coogeſtarum opum inuidiam ea liberalitate redimeret. Statuit & ſibi viuens ſepulchrum ad aram maximam, apud quam marmorea eius effigies, & in tabula etiam ſcitiſſi-mè depicta Bergomi coopſpicitur. Senatus autem ei meritò ſtatuam equeſtrem æneam ad tem-plum Ioanois & Pauli cum marmorea baſi erexit, Pataoina quidem magoitudine grandiorem & luculentam, ſed nequaquam pari Verroci artificis felicitate fabrefactam.

AVGVSTI COCCBIANI.

Non ſic Aeacidem Græcia Theſſalum,
Non ſic Annibalem aut Aſdrubalem fera
Carthago, meritis tollet honoribus,
Non ſic Scipiadas graues
Pœnorum vrbibus, vrbi inclyta Romuli
Quanuis imperij trans mare terminos
Longe protulerint, regnaq́ Punica
Latè ſub iuga miſerint.
Et contra madidos impius Annibal
Campos Roma tuo ſanguine fecerit,
Cùm præceps animi conſul ad Aufidum
Infauſta agmina perdidit.
Et quamuis rapidus fortis Achillei
Currus magnanimum traxerit Hectorem,
Vnde omnis Phrygij concidit imperi
Spes, & præſidium, ac Deus,

Vt te Cenomani maxime Coleo
Certant perpetuis tollere laudibus,
Alpinaq́ caput gentis, & hoſpitum
Cultrix Brixia nobilis,
Et montana tuis clara crepundijs,
Nataliq́ ſolo mœnia Bergomi
Et patres Veneti, qui iuga neſciunt
Soli barbara perpeti.
Nam cùm conſilijs bella ſagacibus,
Et gladio fortis Martia geſſeris,
Galloruḿq́ graues fregeris impetus
Miſcens efferа prælia,
Nunc ardentis equi viuidus & ferox
Stans dorſo ſtatua æternus in ænea
Pro templo, meritis par vt eras tuis
Geſta re bene publica.

Galeacius Sfortia.

EX hoc Galeacio Sfortia, qui decore formæ, ingenij præſtantia & perampla ſta-bilique exiſtimatione paterni imperij principum maximè fortunatus, & ipſo tantùm vitæ exitu miſer apparuit, non abſurdè ſuſpicari licet, aliquam omoi-no ineſſe vim occoltioris fati in genitura hominum, omni humana prudeotia potentiorem, quaodo hic nullo inſigni maleficio, nulla impotentis, noxiæq; ſuperbiæ acerbitate, nulla regendo imperio iniqua libidine, certum vel graue odium promeritus, immani paucorum familiarium perfidia, ex leuiſſimis of-fenſionum concepta cauſis, improuiſò occiderit; ſcilicet vt ex feliciſſimo florentis ætatis ac im-perij ſtatu præceps datus, ſeruituræ mox Italiæ, multo noſtro cum luctu viam aperiret. Poſuerat militiæ rudimentum in traoſalpioa Gallia, eò miſſus à patre cum veteranis copiis, vt Ludouico Regi inopinata præpotentum Galliæ procerum defectione circumuento, opem ferret. Sed vix cum expugnatis quibuſdam oppidis in Aruernos penetrârat, quum nuociata patris morte, per infeſtas Allobrogum gentes mutato ſæpe habitu, Mediolanum redire coactus eſt. Præſtitere fi-dem nouo principi, quam Franciſco patri ioitis antea fœderibus dederant, Veneti, Ligures, Flo-rentini, ipſeque Ferdinandus rex Neapolitaous: quorum amicitia fretus, faooreque item Blan-cæ matris, cuius humanitas ad gratiam amoremque parandum apud Inſubres multum valebat, imperium domi & foris firmiſſimè ſtabiliuit. Itaque ſplendidiſſimo rerum omnium apparatu vſ-que ad regalem faſtum, principem egit iotegros decem anoos, & vti ditiſſimi imperij opes ſa-pientia patris amplificatę conſtitutæque tolerabant, magnificeotiæ & liberalitatis ſtudium, ma-gnanimi Regis inſtar per omoes numeros extendit. Nam præter veteranorum peditum cohor-tes, alas equitum ex omoi Italiæ nobilitate lectiſſimas, & perpetuis cùm ſuis tum paternis ſti-pendiis inueteratas, ea cooſuetudine in hybernis continebat, vt adulto Vere in campos produ-ceret, ſolenniq; luſtratione inſpectas, ad eqoeſtres ludos committeret, propoſitis qoidem opi-mis præmiis, quibus concurrentium præſtantiſſimi honoris cauſa ornarentur. Hoc equitatu qui

duorum



duorum millium cataphractorum numerum ſuperabat, nihil ſplendidius & comptius videri poterat, quum quiſque laciniis acu pictis & præaltis criſtis, & equo vndique auratis bardis protecto eſſet conſpicuus. Hippagiorum verò puerorum verſicolore lacinia militares principis equos producentium atq; incitantium, ea erat ſpecies, vt eius oſtentationis admirabilis pompa, omnem vel externorum etiam principum apparatum magno interuallo ſuperare crederetur. Par quoque apud eum erat totius aucupij & venationis inſtrumentum. Nam præter inſignium canum multitudinem, ſupra centena falconum paria in remotiſſimis ad Oceanum Borealem conquiſita, tanto alebat ſtudio ſumtuque, vt in magnis porticibus eæ volucres canteriis & perticis inſidentes, mira cum voluptate ſpectarentur, quum ex his ſedibus ad ornatum tela ſerica picta acu, ſquamoſoque opere inaurati argenti refulgens dependeret, & volucres argenteis ſonantibus pedicis vincirentur, & pileolos geſtarent, quorum apices & gemmæ & vniones adornabant. Tota porrò familia, quæ ex delectu nobilis iuuentutis per ſingulas ditionis vrbes accuratè habita, conſtabat, vt fides obſes foret, pretioſo amictu, elegantibusque mundiciis exculta ſpectabatur. Nemo enim erat, qui laciniam purpurei ſerici, & Phrygio opere ad argumentum principis depictam ſingulis annis non bis à principe dono acciperet; alerenturque omnes opiparè; hoſpites autem longè omnium luculentiſſimè. Ipſe præter venatorias equeſtriumque armorum exercitationes, pilæ ludo tanta cum voluptate tenebatur, vt ingentis ſtructuræ ædificia Mediolani & Ticini, cæteriſque in arcibus ad vſum eius certaminis conderet. Erat id genus pilæ inflatus follis capitali magnitudine, qui armatis plumbea lamina pugnis longiſſimè iactabatur; ſic vt inde palmæ decus iurgioſa contentione, & multo cum ſudore peteretur. Cæterùm in feriis, recti & honeſti amans, iuſtitiæ vſque ad ſeueritatem erat tenax, dabatque enixè operam, vt nihil in iudiciis eſſet venale, aut ad gratiam corruptum, quando pœna inexorabili certiſſimoque præ-

mio cuncta conſtarent, & vna præſertim annonæ vilitate, tanquam parato ad id populari plauſu maximè lætaretur. Sublatis vero vndique latrociniis, caſtigataque licentia militari, & propagata apud cunctos ordines commerciorum ſecuritate; ita amari ſimul, & metui cupiebat, vt non nunquam ſordidi mercatoris ſimulato habitu diſcurrens per ditionis regiones, oblatos in via aut in diuerſoriis hoſpitalibus ſimpliciſſimos homines, ad ſerenda de principe colloquia pertraheret, eruendoque certiſſimos de ſe rumores, vtraque nominis ſui fama frueretur; paratus vtiq; ad præmium exoluendum, aut infligendam pœnam. Nam in Pado, Abdua, Ticinoque, cuſtodes ad traiectum lintribus præpoſitos, qui ab ſe precibus atque pecunia tentati eſſent, vt ſine teſſera properantem tranſueherent, ex merito aut ſuppliciis extremis, aut peramplis præmiis afficere conſueuerat. Audiebat autem cum voluptate literarum & ſapientiæ ſtudiis præſtantes viros, & benignè quidem attollebat: contendebatque graui ſumptu, vt Ticinenſe Gymnaſium profeſſorum celebritate, & ſtudioſæ iuuentutis frequentia cæteris omnibus præcelleret. His artibus quum boni, ſplendidiſſimique principis nomen tueretur, premebant eius famam intemperantes vagæque libidines. Nam ea tum erat ex multo ocio luxuriantis ſeculi conditio, in ipſis præcipuè nobilioribus matronis, vt torum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienū prorſus & ſubagreſte putaretur, ideoque princeps ad licentiam libidinis proclinatus, & iuuentæ vigore venuſtateque oris ſupra omnes ſpectatu digniſſimus, procacibus fœminarum oculis & deſideriis cupidiſſimè deſeruiret. Erat enim tum vulgatum inter fœminas, nullam ex principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui inepti hirci videri poſſent, ita excellere aureis cornibus, vt dignitate cunctos anteirent. Per hunc modum Galeacius quum vndique beatus, arridentis fortunæ faſtigium teneret, Allobrogico bello victor, è caſtris duriſſima hyeme Mediolanum rediit, vt Natalis Chriſti diem ſolenni hilaritate cum vxore & liberis atque amicis celebraret, coniuratisque ſimul in necem ſuam limen aperiret. Coniurauêre diuerſo animorum habitu Andreas Lamponianus, Carolus Vicecomes, & Hieronymus Olgiatus cubiculo principis adſcripti. Andreas conſumpto magna ex parte patrimonio propter rei domeſticæ inopiam, ſuperbiæ ipſius atque luxuriæ aduerſam, turbido ferocique ingenio, res nouas moliri, quas ex cæde principis certo ſibi commodo ceſſuras, & coniurare omnino ſtatuerat: ad audendum verò immane vſque adeò & periculoſum facinus vehementer incitabat, illata ſibi iniuria à Caſtellioneo Comenſium antiſtite, à quo ſacri latifundij poſſeſſione contra ius interrupta locatione, ſe per iniquè ſpoliatum querebatur. Totum autem eius iniuriæ odiique venenum vertebat in principem, qui à ſe ſuppliciter deprecante eam contumeliam ſæpe rogatus, aduerſarium in extrahenda lite præpotentem, neque auertere, neque mollire voluiſſet. Carolus gentilium ſuorum totios principatus fortunam ad Sfortianos delatam ægrè ferens, germanę ſororis probro quam Galeacius adamaret, atque ſubigeret, promouebatur, tantò indignantius, quòd eam decoro adoleſcenti, qui ætatis florem principi fruendum dediſſet, conciliaſſe & communicaſſe ſuſpicaretur. Principem enim in amore improbum, atque adeò impudentem plerique vel falsò exiſtimabant, vt alienæ libidini lenocinij obſequium lubens præbere crederetur. Olgiatum verò penè imberbem, leuiſſimumque adoleſcentem inani ſpe patandæ gloriæ inflauerat Cola Montanus literarij ludi Magiſter; ſi occiſo tyranno patriam in libertatem aſſereret; ſæpe Caſſios & Brutos in ſchola magnis extollens laudibus, qui gloria ducti pulcherrimi facti conſilium olim ſuſcepiſſent. Hic Cola quondam Galeacij pędagogus, dirum in principem odium conceperat impotenti eius contumelia percitus, quòd ille puerilium verberum nimis memor, poſtquam adoleuit, imperiumque ſuſcepit, ipſi Colæ tanquam immiti ſubagreſtique præceptori, acceptas olim plagas, nudatis clunibus loro palàm rependi iuſſiſſet. Huius Colæ diris cohortationibus coniurationem inchoatam ad exitumque perductam fuiſſe, Olgiatus ipſe ex quæſtione perſcripſit. Igitur obſtinatis efferatisque animis ad id patrandum ſcelus confirmati, principem inter frequentem cuſtodiam corporis, diui Stephani templum intrantem, vt ſacris ſolennibus intereſſet, circumſteterunt, abditis ſub ſiniſtri brachij manica pugionibus. Primus à fronte Lamponianus in ſpeciem turbam dimouentis, porrigendisque literas ſeſe inſinuans, nihil à familiari metuentem, ad infimam ventris partem perfodit; repetitoque ictu læuum percuſſit tempus. Carolus autem & Olgiatus à tergo inermem lethalibus plagis conſauciârunt, ſic vt vndique petitus à Deipara virgine fruſtra opem implorans repentè concideret, & expiraret; iuxta quem traiecto pectore proſtratus occubuit Ripeus ex cuſtodibus promptiſſimus, quum in percuſſores gladium ſtrinxiſſet. Per hunc modum cadente principe, exortoque inde terribili tumultu, quum quiſque ad fugam metu perculſus ſe expediret, tanta conflictatione procurſum eſt, vt multi è turba in templi foribus eliderentur; deſertoque ab omnibus templo ſacerdotes è ſacrario prodeuntes, tria tantùm cadauera fœdato multo cruore pauimento iacentia reperirent. Nam procul à Principe, Ripeoque, ipſius Lamponiani cadauer ſolum lingua & dentibus commordens iacebat. Eum enim per medium mulierum turbam incuruo paſſu euadere conantem, ſatelles æthiops, cui Gallo fuit cognomen, adacto per imam ſedem lato haſtilis ferro confecerat. Cęterùm ſacrificuli principem vt abluerent, in ſacrarium calentibus adhuc membris retulerunt. Lamponianus inſul-

tantis

tantis plebis, & puerorum turbæ ad ludibrium conceſſue, iniecto laqueo per cunctas vrbis regiones raptatus eſt. At Carolus & Olgiatus quum immixti effugientium turbæ, elapſique varias latebras quæſiuiſſent, biduo poſt diuerſis in locis, quod tanquam execrabiles parricidæ à nemine vel propinquo reciperentur, ad teterrimum ſupplicium rapti ſunt. Olgiatus ipſe, mirum viſu, audituque, veſana conſtantia obſtinatum animum in conſpectu Carnificis gerens, ſeſeque in ipſa morte confirmans, hæc contumaci ore protulit verba; Collige te, Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti; mors quidem erit acerba, ſed tormentum breue, atque eius fama perpetua. Hæcquidem digna viro forti videri poterant, niſi impium facinus intempeſtiua atque inhumana crudelitas eleuaret, quod pro tyranno, æquum bonumque Principem, nec ab ipſo quicquam hoſtile meritum occiderit: ſcilicet vt diuturnum ciuibus ſuis luctum ex infelicitate ad extremos prolapſi principatus pararet. Hos etiam quod miremur in carcere verſus pangere potuit, quos ad argumentum imperterritæ mentis, quanquam rudes, huius Tragœdiæ elogio ſubiiciendos exiſtimauimus.

HIERONYMI OLGIATI percuſſoris GALEACII SFORTIAE Ducis Mediolanenſis.

Quem non mille acies, quē nō potuère phalanges
Sternere, priuatâ Galeaz Dux Sfortia dextrâ
Concidit, atq; illum minimè iuuère cadentem
Aſtantes famuli, nec opes, nec regna, nec vrbes.
Hinc patet humanis quæ ſit fiducia rebus,
Et patet hinc ſæuo tutum nil eſſe tyranno.

Cola quoque Montanus aliquantò poſt in Alpibus Bononienſium comprehenſus, quod dira malignitate in Principem percuſſores ad coniurandum concitaſſet, meritas ſceleris pœnas dedit, quando eum Laurentius Medices inuſitatæ immanitatis vltor egregius, latronum more laqueo necari iuſſerit.

PAVLI IOVII Iunioris.

Quis te dira cohors furor? & quæ inſania tanta
Impulit, horribilis ſtimulata
Eumenidum rabie, & ſæuis agitata colubris,
Vt domini nil tale merentis
Corpus in egregiū, crudam conuertere dextram
Auderes, ſceleriſq; nefandi
Pro laqueo, & meritis pœnis, tibi præmia certa
Sperares, nomenq; perenne?
Te non eximij iuuenis deterruit alto
Inſignis reuerentia vultu,
Impia? ſed nec te tenuerunt Templa, nec Aræ,
Nec ſuperûm ſolennia ſacra
Non (vt rere) ferum crudeli morte tyrannum
Conficis? at iuſtum innocuumq;
Rectorem Inſubri imperij, cunctiſq; colendum
Quo ſimul vnà concidit omnis
Spes Italûm, longos ſemper lugenda per annos;
Scilicet vt noſtros populatus
Vrbibus euerſis fines in viſcera noſtra
Cum Gallo ſæuiret Iberus.
Vos, vos, ô Scyllæ, formæq; tricorporis vmbræ
Harpyæq;, & vos Gorgones atræ
Ardenti ſontes animas immergite Auerno
Et ſtygio exercete flagello.

Carolus Burgundiæ Dux.

HIC, qui ſeuera minacique fronte, diſtracto gladio, & coruſcantibus armis conſerere manum cupere, Martioque ſpiritu fulgurare videtur, Carolus eſt, Sequanorum & Belgarum Princeps, qui vi bellica, caſtrenſi apparatu, magnitudineque animi, non ſuæ modò, verùm ſuperioribus etiam ætatis Duces ſic anteceſſit, vt ſummæ gloriæ faſtigium aſſecuturus crederetur, niſi eum arduis & audacibus innixum conſiliis, immoderataque fortitudine quæque aſpera aggredientem, turbulenta & inſolens fortuna perculiſſet. Nam Philippo è Gallorum regia ſtirpe, cui Optimo cognomentum fuit, patre genitus, conſanguineorum arma vſque adeò vehemens & ferox exercuit, vt Ludouicum XI. apud Lutetiam Pariſiorum acerrimo circumuentum bello, ad pudendam pacem redegerit, quum ad montem Alerium ingenti edito prælio, quanquam vulneratus, victor euaſiſſet. Exinde Ludouicus diſſimulata potiùs, quàm confeſſa pacis neceſſitate, quod conſpirationem multorum Galliæ Procerum timeret, cum armato fœdus icit, pudendum herclè, ſed demum ſibi & Galliæ vtiliſſimum. Nam coniuratorum animi atque eorum arma repentè conciderunt. Eo modo Carolus reconciliatus, propinquo Regi, debellatis Eburonibus, Leodioq; ipſorum vrbe ferocibus armis expugnata deletaque, in Heluetios inauſpicata arma conuertit, eo euentu, vt fatali ſua peruicacia experiretur, quantum intereſſet inter nobiles Gallos pro gloria pugnare, moderateq; vti victoria ſolitos; & agreſtes,



qui ab inſita animis barbarie, cruoris auidi de vna tantùm victa cum hoſti[illegible] dimicarent. Neque enim fas erat, qui Gallicam nobilitatem armorum ſtrepitu, & nominis fama contudiſſet, ab vilis omnino quàm ab effœtis egentibuſque rerum omnium populis, quibus animorum pertuicacia indomitum robur efficeret, frangi atque opprimi poſſe. Heluetij namque iure fœderis pro Renato ſocio, Lotaringiæ regulo, quem Carolus oppugnaret, arma ceperant: quo bello vnam atque alteram ad Granſonem & Amoratum victoriam ſecundis prælijs conſecuti, ita Carolum ſuperârunt, vt ille in primo exutus caſtris, impedimenta, totiuſque exercitus opes, ſuamque in primis pretioſam ſupellectilem amiſerit; in ſecundo ſupra quatuordecim millia lectiſſimorum militum interfecta deſiderârit. Ab his duobus detrimentis ictus & fremens, tertij certaminis aleam ſubire non dubitauit. Nam cum Nanſeum oppidum oppugnaret, pertinaciuſque hærentem, Heluetij per niues ad ſoluendam obſidionem progreſſi adortique, quum ille incœpto abſiſtere indecorum putaret, inito prælio fuderunt, circumuentumque, nec agnitum trucidârunt, quum deſertus eſſet à ſuis inſigni perfidia Campobaſſi Neapolitani; qui quum aliquando colaphum à Carolo inſolenter accepiſſet, in id tempus vindictę, patrandique ſceleris occaſionem diſtulerat. Fuêre qui eum effugiſſe, & Moſæ pontem tranſiuiſſe affirmarent: quod diu in Burgundia creditum eſt. Verùm puer è Columnia Romana familia cubiculo eius aſſuetus inter cadauera repertum, à næuo lateris enormique vngue dextri pedis, confirmante eius medico certius agnouit. Tumulatus eſt apud templum diui Nicolai in Lotaringia, finibuſque Mediomatricum. Reliquit filiam ex Luſitana vxore natam, quæ nupta eſt Maximiliano Federici Cæſaris filio, ex qua Philippus ſuſceptus eſt, qui huius Caroli quinti Imperatoris inuictiſſimi pater fuit. Cæterùm in Carolo id vnum ad ſummæ perilluſtriſque virtutis cumulum defuiſſe videtur, quòd Genij ſui captum ſenſumque, quàm alienæ prudentiæ placita ſequi maluerit, quaſi arrogantis & elati

ſupra

ſupra æquum ingenij eſſet, amicorum bene conſulta contemnere: & contrà, peculiari ſententiæ ſemper adulari, quæ res pleroſque perdidit. Nam qui ſua intemperantiùs amant obliti rationis, citiſſimè præcipites dantur, vt reliqua ſua omnia, quum fata vrgent, penitùs euertant. Carolus enim nimio fortaſſe gloriæ ſtudio adductus, virtutes, quas in eo maximæ erant, atque admirabiles, ſplendoris, munificentiæ, facilitatis, exactæq; bello diſciplinæ, & in pace pietatis; vna obſtinatione animi, dum ſibi irato acriter indulget, corrupiſſe videtur.

PAVLI IOVII Iunioris.

Vidiſtine vt Pyrrhi effigies armata ſariſſam
Vibret, & à ſummo ſpargantur funera ferro?
Vtq; ferus Lybicã contorqueat Annibal haſtam?
Huc ſimulac conuerte oculos, fulgentiaq; arma
Egregij ducis, & late mucrone coruſco.
Inſpice turbatos vultus, ſpirantiaq; ora
Martis adhuc triſtes pugnas, atque horrida bella:
Hos olim inſignes habitus atque ora gerebat,
Illum ſanguineis quum formidauit in vndis
Et Liger, & trepidi ſpectator Sequana belli,
Infracta Gallorum acies, & Belgica paſſim
Agmina lethifera ſenſerunt fulmina dextra.
Heu miſer, heu nimium pugnandi dira cupido,
Heu laudis veſanus amor, quem Gallia diues,
Belgarúmque omnes Procerum tremuêre cohortes:
Contempsêre rudes populi, gens barbara victrix,
Funeribus ſtatuit medijs, victumq; trophæis
Expoliat cunctis, nudumq; relinquit arena:
Vix tandem inuentus parua requieſcit in vrna.

Iulianus Medices.

HÆC vera eſt imago Iuliani Medicis, qui magni Coſmi ex Petro filiò nepos, & Clementis Maximi Pontificis pater fuit, à celebri Pictore ita ſcitè expreſſa, ſicuti ſeniores teſtantur, qui viuentem viderunt, vt Clementem Pontificem toto oris habitu reſpondiſſe ad patria lineamenta viderimus. Euaſerat Iulianus, quum adhuc viueret pater æqua gloria, editis equeſtrium ludorum ſpectaculis, paribusque omnis elegantiæ, comitatis atque munificentiæ muneribus, Laurentio fratri propè par; & quòd natu minor eſſet, populari fauore Princeps iuuentutis fuerat acclamatus. Capeſſens verò Reipublicæ munia, ea morum actionumque moderatione fratrem ſummis nitentem virtutibus æmulabatur, vt cunctis ciuium ordinibus eſſet chariſſimus, ſupraque cæteros ciues ipſi duo fratres mirè concordes emiuearent, & Rempublicam paternis auitisque artibus feliciter adminiſtrarent: vtpotè qui veteres opes, maiorumque perpetuam inter ciues exiſtimationem validis affinitatibus, numeroſis clientelis, & noua denique virtute corroboraſſent; diſtributis vſqueadeò appoſitè ac ſapienter Reipublicæ officiis, & collatis ad æquitatem honoribus, vt nullo cultu, nulla eminentiore nominis appellatione, ſupra ciuilem, nulloque deducentium comitatu à cæteris ciuibus differrent: ſola tamen authoritate cæteris omnibus præſtare, & præclara virtute atque potentia ciuitatis Principes cenſebantur; ideoque fiebat, vt ſtudioſè colerentur ab his, qui publicum bonum & ciuitatis tranquillitatem, omni veteri odio, aut nouæ obtrectationi anteponendum iudicabant. Hunc in Mediceis fratribus non obſcurum in ciuitate principatum, vna gens Pactia ferre non poterat; ſatis quidem cùm viris & cognationibus, tum etiam fortunis abundans; ſed quæ eſſet moribus admodum ſuperba & inſolens, multumque auida pecuniæ, ſimul & tenax, ideoque apud populum minimè gratioſa, ac ob id in necem fratrum conſpiraret: quoniam vigentibus ſtabili authoritate Mediceis, nullum ſibi ſatis honeſtum in Republica locum relinqui arbitraretur. Erat familiæ princeps Iacobus Equeſtris ordinis, qui cùm nulla virtute emineret, perpetuo aleæ ſtudio perditus, itaque præcipiti & contemptu ſuperſum putabatur infamis. Hunc impulerat Franciſcus fratris filius, ore pallens, ingenio liuidus, & perpetuus honeſti moris irriſor. Is Romæ nummariæ negotiationi aſſuetus, Xyſto Pontifici erat familiaris, à quo (ſi fas ſit de homine ſacroſancto non iniquè ſuſpicari) nefarij conſilij ratio omnis emanaſſe creditur; ſcilicet vt Hieronymo Riario, cui erat auunculus, maiores opes adſtrueret, quæ ei obuentuiæ putabantur, ſi Florentinæ ciuitatis ſtatum, ſublatis Mediceis commutaſſet. Franciſcus quoque Saluiatus, Archiepiſcopus Piſanus, nullam vel mediocrem ex literis probatiſue moribus laudem meritus, vtpotè qui ambitu adulationeque, & prauis omnino artibus ad eum honorem contendiſſet, ex contentione ſacerdotij acre odium in Mediceos conceperat, & ad Riarium, Pactiosque ipſos ſe totum contulerat, ratus pulcherrimum fore, patriam in libertatem vendicare, & purpurei galeri decus à Pontifice, vel execrabili nauatà operâ promereri. Quibus autem initiis, quoue exitu ſuſceptũ, patratumq; ſit id immane ſcelus, Angelus Politianus, ſummæ doctrinæ vir, vt qui cunctos atrocis eius Tragœdiæ actus ſpectaret, peculiari Commentario,



qui impreſſus extat, luculentiſſimè perſcripſit. Nos atrociſſimi eius editi facinoris ſummam tantùm ſtringemus, vt bonis mortalibus præclarè conſtet, ſuperos impiorum vindices ſolere eſſe certiſſimos. Igitur coniuratione diu antea Romæ ſecretis deliberationibus agitata, & Florentię demum in Montughio, Iacobi Pactij ſuburbano inſtructa, Raphael Riarius Cardinalis è Gymnaſio Piſano Florentiam vocatur: ſpecie quidem inuiſendæ pulcherrimæ atque ornatiſſimæ vrbis, verùm vt coniuratorum animos præſentis perſonæ authoritate confirmaret, quanquam vti planè iuuenis, captuq; ingenij parum grauis, tantæ rei conſtitutæ ignarus eſſe putaretur. Egêre Pactij multo aſtu, vt is à Mediceis fratribus in Feſulanam ipſorum villam honoris & iocundę voluptatis cauſa ad conuiuium vocaretur, vtibi ambos fratres inter hoſpitales menſas trucidarent. Sed quũ Iulianus ex moleſta pituita impeditus intereſſe nollet, deiecti ea ſpe, rem ad ſacra, quæ ex feſto Solis imminebant, in ipſumq; Templum maximum reiecerunt; in quod ambos fratres tum religionis, tũ honoris cauſa erga Cardinalem omnino conuenturos iudicabant. Conficiendi autẽ negotij monis inter ſe eo ordine diſpartiti ſunt, vt Franciſcus Pactius, & Bernardus Bandinus obtruncandi Iuliani partes deſumeret, Antonius Volaterranus cum Stephano Pactiorum Pædagogo Laurentium aggrederetur, accepta tum ex condicto ad diſtringendum gladios teſſera, cùm mediis in ſacris Seruatoris Chriſti hoſtia Sacerdotis manibus attolleretur: Antiſtes verò ipſe Piſanus cum Iacobo Poggio, & Saluiatis propinquis ſuis, fidaq; clientium occulta armatorum manu in ſpeciem ſalutandi Vexilliferi curiam occuparet. Iacobus autem cùm equeſtris dignitatis, tum ætatis honore conſpicuus, vbi patrata fratrum cædes eſſet, equum conſcenderet, & armatis clientibus ſeptus per forum diſcurrens, populum vocaret ad libertatem, & Saluiatis curiam occupantibus vires adiungeret. Iam cœpta erant ſacra', continente Sacerdotum chôro, & teſſeræ tempus inſtabat, quum Pactius atq; Bandinus deambulante Laurentio, Iulianum oculis

fruſtra

requirerent. Quapropter ad Mediceam domum conuolârunt, vt in Iuliano omnem prodeundi moram, iocundis adhortationibus abſciuderent, nunciantes quaſdam formoſas, adamantiq; nominis matronas in Templum perueniſſe. Itaque viri efferatę mentis (quod mirum eſt) hilari vultu aptè compreſſa perfidia, Iulianum retardante fato, ſegniua ſe expedientem, medium honoris cauſa, & inſertis iuuenili comitate ſubter humeros brachiis in Templum deducũt, pauloq; pòſt vnà deambulantem ad teſſeram repentè diſtrictis ſicis circumſiſtunt. Bandinus medium ſub papilla traos fodit, cadentiq; illicò incumbit Pactius, & ferro in ventrem & iugulum adacto, conficit, vſqueadeò atroci & feruida manu, vt crebrò repetens ictus ſeipſum in genu prælato vulnere conſauciaret. Bandinus quoque furiata mente Nouum Iuliani familiarem obtruncat. Sub idem temporis punctum Laurentij percuſſores incondito impetu illum adorti, vnam tantùm neq; lethalem ad iugulum plagam infixerunt; quòd is præſanti animo educto ſtatim gladiolo, & reiecta, intortaq; ad læuam chlamyde, conſtantiſſimè ſe defenderet, & ab amicis in proximum ſacrarium duceretur, vbi obſeratis foribus ab imminenti a Bandino ſeruatus eſt; atque inde obligato vulnere, ſtipante armatorum amicorum caterua, domum deductus eſt; ſæpe ſciſcitans, an frater eſſet incolumis, & ne Cardinalis violaretur edicens, quem linteati Sacerdotes in eo tumultu cuſtodiebant. Dum hæc fierent, perculſaque metu omnis turba diffugeret, & terribili ſtrepitu tanti tumultus, Templum corruere videretur, Piſanus Antiſtes cũ ſuis, Curiæ ſcalas aſcẽdit, poſtulatq; à Ianitoribus, vt ad Vexilliferum, ad quem haberet mandata Pontificis, admittatur. Is erat Cæſar Petruccius, & tũ fortè cum Decurionibus (vt feſto die ſæpe accidit) tempeſtiuè prandebat, admirantibus conuiuis importunũ hominis aduentum, quòd ea hora ſeriis colloquiis aliena prorſus atq; inepta videretur: ſeſe tamen Cæſar è menſa celeriter expedit, eumq; exceptũ in ſuam deducit cellam. Vix cœpto colloquio Cæſar in Antiſtite perplexa & malè cohærentia verba, obliquo item obtutu oculos inconſtantes, & vultũ magni euentus expectatione ſuſpenſum animaduertit, atq; inde inſidias ſpectat; relictoq; in cella Antiſtite, ad Decuriones foràs ſe proripit, & ſublata voce, Miniſtros Curiæ aſſuetos aduocat, atque item Apparitores cum argenteis clauis, priſcorum Lictorum more ſummum Magiſtratum præeuntes, & (vt erat egregiè forti atq; expedito conſilio) Poggium arreptum crinibus ſolo deturbat, & in ſuperiorem turriculam cum Decurionibus properè ſe ſubducit, arreptoque veru è proxima culina, ſcalæ aditum tuetur. Magno autem miraculo accidit, vt conſurgentibus vndique ad opem ferendam miniſtris, coniurati & Peruſinorum exulum manus Antiſtitem ſecuta, diuerſis in cœnaculis Curiæ includerentur, obſerantibus ſeſe vltrò valuarum ſeris, quæ ſine peculiari claue aperiri non poterant. Quo caſu quum diducti, nec conſenſu valerent, nec collatas in vnum vires ad conandum haberent, cuncti per partes ad vnum omnes præeunte Poggio, clariſſimi Oratoris filio, iniectis laqueis è feneſtris præcipites dati ſunt, vſqueadeò iratis & furentibus omnium animis, vt præciſis primorum capiſtris ad ſingulas columnellas, ſecundis & tertiis ſuſpendio locus pararetur, & præcipitata cadauera plebs cruoris & prædæ auida deſpoliaret, & in fruſta concideret. Iam enim populi fremitus aream occupantis, vulgata Iuliani cæde, ad Curiam peruenerat; magnoque ſtudio plebs Mediceis fauens, proditores occupatoreſque Curiæ, ad ſupplicium deiici depoſcebat. Interim Franciſcus ipſe Pactius è domo Iacobi patrui nudus extractus, delatuſque in Curiam, quum neque hiſceret, neq; contumaces oculos attolleret, iniecto laqueo è feneſtra ſuſpenditur. Nec multò pòſt eum Piſanus ipſe Antiſtes, totius inauſpicatæ coniurationis ſeriem præſcribere iuſſus, in eadem lintea ſtola ſacerdotali, ita longiore capiſtro pręceps datur, vt Pactiano cadaueri cohærẽs, papillam rabidis dentibus appeteret, in eoq; atroci indignantis & fugientis animæ habitu, ringentibus oculis, meritas concepti ſceleris pœnas daret. Eandem quoque fœdę necis ſortem tulẽre duo Iacobi Saluiati; quorum alter erat frater germanus, alter patruelis. Iacobus verò ipſe Pactius, qui armatus in equo ad aream Curiæ procurrerat, vt populum ad libertatem vocaret, quum ab optimis ciuibus irrideretur, & è ſumma Curiæ corona lapides in eum iacerentur, incitato equo Cruciana porta ſeſe eiecit, biduoque pòſt à Montanis agreſtibus in fuga captus eſt: Florentiamque perductus, vbi de ſcripto expreſſis coniuratorum nominibus fœdiſſimæ necis ſupplicium tulit, vſqueadeò in eum concitata plebe, vt ſepulturæ honore indignus putaretur; biſque tumulatus, ſemel in Templo, iterum in Pomerio; indeque erutus, quòd ſupremas Chriſtianæ pietatis cohortationes, ſeſe itidem Cacodæmoni impiè deuouens, reieciſſet; diu à pueris per vrbem raptatus, in Arnum traheretur. De Renato quoque Pactio, qui ad armandos agreſtes in Mugellanam villam præceſſerat, par ſupplicium eſt deſumptum; retractuſque etiam eſt ex fuga Montefeccus, qui Hieronymi Riarij familiaris, militiæque peritus, totius coniurationis erat conſcius. Is ab initio interficiendi Laurentij partes ſuſceperat, ſed eius poſtea hominis virtute, atque admirabili humanitate ex multis colloquiis delinitus, eam cædem, vti in villa promiſiſſet, in Templo ſe patraturum pernegârat; ſcilicet ne homicidio deteſtabile ſacrilegij ſcelus adderetur, proptereaq; vnus omnium honeſtiore dignus ſupplicio, ſecuri percuſſus eſt. Laurentij quoque percuſſores, qui triduum in Cœnobio latuerant, nec à Cucullatis prodebantur, latebra extracti, detruncatis naſo atque auribus, eandem latronum more laquei pœnam tulerũt.

Reliqui Pactianæ familiæ in carcerem coniecti ſunt; vnusque omnium Guliermus, qui Laurentij ſororem in matrimonio habebat, in villam, impetrãte vxore, relegari meruit: & Raphael Cardinalis ab omni iniuria & contumelia in honorem Pontificis ſeruatus eſt. Hanc in vindicanda atrociſſimi ſceleris audacia, Senatus ſeueritatem vel ipſe Barbarus, & noſtræ religionis hoſtis, Baiazetes Turcarum Imperator inſigni religione probitateq; comprobauit, quũ Bandinum ex fuga elapſum Conſtantinopolim, depoſcenti Laurentio, tanquam parricidam, & impium Templi violatorem ad ſupplicium tradidiſſet. Atque ita ille cunctis damnatus gentibus, ab eadem feneſtra laqueo ſuſpenſus, iuſtum ciuibus vindicatæ feritatis ſuæ ſpectaculum præbuit. Neque Hieronymus Riarius, coniurationis author, vltores Deos diu fefellit; quum apud Foroliuium, oppidi notum conſpiratione, in menſa trucidatus, & per feneſtram in forum præcipitatus, vel feras nefariæ malignitatis ſuæ pœnas expenderit.

PETRI ANGELII Bargæi.

At, ô Deorum, quiſquis in cœlo ſoles
Nefanda ſæpe facta vindex perſequi,
Nec ferre inulta, perfidi nunc Pactij
Dedêre ſat ſuperq; pœnarum tibi?
Cùm Iulianum patriæ nouum decus
Quiuêre Templo in ipſo adorti occidere,
Nil ſuſpicantem tale; cùm fœdiſſimè
Turpata fuſo permaderent ſanguine
Sola ipſa Fani limina, atque altaria.
Namq; haud furentis herclè ſæuos impetus
Fugêre Plebis, haud latebris abditi
Cauêre dexteras piorum vindices.
Non & paratam Thraciǰ Regis fidem
Sensêre; nam cûm Barbarus tantam luem
Perhorruiſſet, execratus patria
Remiſit vſque ab vltima Propontide.
Inſerta quare plurimis cadauera
Collum capiſtris ciuitas lætiſſima
Spectauit; illa nec miſerta ſontium.
Quin inſepultus horridus, nudus, lacer,
Canesq; auesq; pauit, & piſces, datus
Præceps in amnem manibus Iuli tuis,
Bandinus ille, perditus ſicarius,
Bandinus ille, Thracius, quem Boſphorus
Vt piaculum, & ſcelus teterrimum,
Exiſtimauit impium & nefarium,
Suisq; longè deferendum à fluctibus.
Sic, o rubentis Iuppiter vindex, tua
Vt iura diſcant colere, diſcant legibus
Parêre certis, temnere & quid ſit Deus,
Puni cruenta perfidos vi dextera.

BENEDICTI VARCHII.

Nam quis te liuor? quæ te tam dira furentem
Patrandi ſceleris rabies, regnique parandi
Ambitio, patrios tecum euerſura penates,
Impulit efferæ gens furijs vltricibus olim?
Vt iuuenem florentem opibus, virtute decorum,
Conſpicuum forma, dulci grauitate verendum,
Præſtantem inſignem eloquio, nil tale merentem
Incautum, ante aras, & Dijs ſpectantibus ipſis,
Aggreſſa (infandum) media teſtudine Templi
Allectum blande, prætentatumq; doloſè
Conficeres, ferro toties per pectus adacto?
Et clarum obſcuro fœdares ſanguine fratrem;
Totius Italiæ ſimul abſumptura ſalutem?
Heu facinus nullo delendum tempore, nulli
Aequandum, non vlla vnquã ſat cæde piandum.
Impia corda, immanis ſecla, inuiſa fata,
Fata malis hominum gaudentia, quid magè ſæuum,
Damnoſiúmue magis vidit Sol? Caſtore læſo
Occidit Auſoniæ Pollux, columenq; decusq;:
Et ſi non aliud, Medicæ ſpes altera gentis,
Clemensq; pater, totius cui paruit orbis.

Mahometes II. Turcarum Imperator.

HOC atroci vereque Tartarico recedentium oculorum obtutu, malignoque pallore buxei vultus, & enormi contegentium labra narium curuitate Mahometes fuit, quem Turcæ non modò cæteris Othomannis ſuperiorem, ſed exæquatis vitiis, atque virtutibus, Alexandro Magno parem volunt. Nam rerum geſtarum gloria, & magnitudine animi cùm progenitores, tum cunctos qui eo ſeculo maximè florerent, cogniti orbis Reges, vel qui poſtea his ſexaginta annis regnârunt, proculdubiò ſuperauit. Natus erat ex Deſpoti Seruiæ filia, quę puerum Chriſtianis pręceptis & moribus imbuerat: quorũ mox oblitus, adoleſcendo ita ad Mahometis ſacra ſe contulit, vt neq; hos, neq; illos ritus teneret, & in arcano prorſus Atheos haberetur: vtpotè qui vnum tantùm bonæ Fortunæ numẽ coleret, quod præclarè conciliari viuida efficaciq; animi virtute prædicabat. Itaque nulli addicta religioni, cunctorum hominum accu-

gataa



ratas de Diis, tanquam humana nihil curantibus, cogitationes irridebat; eo animi decreto, vt nullum vnquam ius amicitiæ, aut fœderis, niſi ex commodo, exceptaque ad proferendum imperium occaſione, colendum atque ſeruandum arbitraretur; & rem bellicam vſqueadeò enixè & liberaliter curaret, vt cuncta munia, vetere Græcorum lege ad pœnam & præmium reuocaret. Præcepta autem maiorum ex diſciplina militiæ conſtituta, quibus illi tantum imperium peperiſſent, pleraque emendando, augendoq; vti opus foret, nouis artificiis, ac ampliore omnis generis armorum apparatu exaggerabat. Primus Othomannorum naualia inſtituit, quod maximum apud antiquos in claſſe ad omnes res gerendas momentum, poſitum eſſe intelligebat. Qua vna re Venetorum vim mari, ab antiqua laude inſuperabilem, poſtea contempſit. Sed primũ eius & nobiliſſimum bellicorum operum fuit, Conſtantinopolis terra mariq; fortiter expugnata, cæſoque Conſtantino ſupremo Græcorum Imperatore, antiquiſſimum Græciæ imperium funditùs euerſum. Exinde Peloponneſum ingreſſus, Grecorum & Venetorum copias ſecundis præliis deleuit, Hexamyliq; murum à Venetis in Iſthmo magno ſumptu & longo labore reſtitutum, ex vſu victoriæ totũ diruit. Nec multò pòſt Eubœam inſulam, expugnata Chalcide Venetis ademit; atq; item Lesbum, deleta propè Mytilene vrbe. Tanto verò apparatu Illyricum adortus eſt, vt Stephanum Boſnæ Regem, Iaiza vrbe, totoq; Regno expelleret, & occideret. Eodem quoque terrifico impetu in Epirum deſcendens, Croiam vrbem, quam pater Amurathes fruſtra oppugnârat, atq; item Scodram expugnauit; Homaremq; & Malcoccium Duces per Dalmatiam ad Euganeos vſque penetrare iuſſit. Quibus irruptionibus graue vulnus Venetis eſt inflictum, cæſo à Barbaris ad Soncium amnem Nouello eorum imperatore. Eaſdem quoque immanium cædium & incendiorum clades Stiriæ & Carinthiæ gentes, ad quas Barbari deflexerât, ſenſerũt. Pannoniis quoq; arma inferre auſus, Belgradum improſperè tentauit. Mox ad Septentrionem conuerſus, in ipſa

Taurica Cherſoneſo, Theodoſiam, quæ Capha dicitur, Boſphorani regni caput, Genuenſium coloniam occupauit, & Trapezuntium imperium ad Euxinum euertit; Caloianne & Dauide fratribus è regio ſanguine captis & interfectis. Exinde tot partis victoriis, ad Orientem eſt conuerſus. Pyrametoq; Ciliciæ rege debellato, & regno eius in prouinciam redacto, aduerſus Perſas, offenſus Vſſumcaſſanis noui regis felicitate & gloria, ad Euphratem Othomanica ſigna promouit: eo belli euentu, vt ipſum Vſſumcaſſanem, multis inclytum victoriis, vno præſertim tormentorum apparatu ad Arſengam ſuperârit. Erant vtiq; ea quæ geſſerat perampla timendaq; finitimis, quum inſatiabili gloriæ cupiditate concitatus Rhodum inuadere, ac ſimul Italiam rerum quondam dominam adoriri: atque item coacto ingenti tertio exercitu, in vlteriores Perſas penetrare conſtituit. Itaq; miſſus eſt ad oppugnandum Rhodum cum valida claſſe Meſithes purpuratus, è gente Paleologa: in Italiam autem Acomathes, cui ab exciſo anteriore dente Gendico cognomen fuit. Hic ab Aulone in Salentinos traiiciens, Hydruntem expugnauit, ſummumque inde terrorem toti Italiæ intulit: ſed diſpari euentu Meſithes Chriſtianæ militiæ vim, cùm Rhodi mœnia tentaſſet, infeliciter expertus eſt: quum interim Mahometes aduerſus Perſas ire pergens, apud Nicomediæ lacum repentino inteſtini dolore correptus, extremum vitæ ſuæ diem, tridui cruciatu feſtinata morte abſoluit, anno ætatis quinquageſimo tertio, imperij autem trigeſimo ſecundo, magno quidem Chriſtianorum commodo. Nam Acomathes, qui amplius ſeſquiannum circumfuſa Chriſtiana arma contempſerat, cognita Imperatoris morte, cùm ſupplementa nouarum copiarũ præſidio in Italia expectaret, interrupta ſpe ingentis victoriæ, mœrens & gemens exceſſit. Cæterùm Mahometes, qui impietatis apud ſuos, apud noſtros verò perfidiæ & inhumanæ crudelitatis notam ſubiit; hanc ſaltem confeſſione omnium certam laudem à Barbaris repudiatam, non inſulsè tuliſſe exiſtimatur, quòd ei literarum & præcellentium artium decus cordi fuerit: quando cunctas clariſſimarum gentium hiſtorias ſibi verti in Turcicam linguam iuberet: vt inde hauſtis militiæ pręceptis, actionum ſuarum diſciplinam, exemplorum varietate confirmaret, & præclaros artifices pictoreſq; præſertim inſigni liberalitate complecteretur. Nam & commentaria rerum ab ipſo geſtarum, à Liberto eius Vicentino conſcripta, legimus, veraque eius imagine ſumus potiti, quam Gentilis Bellinus è Venetiis Byzantium euocatus pinxerat, quum ibi regiam multis tabulis rerum nouarum ad oblectationem iocundiſſimam referſiſſet.

LEONARDI GRIFFII (vt fertur.)

Qui vici innumeros populos, tot regna, tot vrbes
Solus & immenſi qui timor orbis eram:
Me rapuit quacunq; rapit mors improba: ſed ſum
Virtute excelſa ductus ad aſtra tamen.
Maior Alexander non me fuit, Annibal & non,
Fuderit Auſonios tot licèt ille duces.
Vici victores Danaos, domuiq; feroces
Caoniæ populos, Sauromataſq; truces.
Pannonius ſenſit quantum ſurgebat in armis
Vis mea, quæ Latio cognita nuper erat.
Arſacidæ ſenſere manus has ſenſit Arabſq;
Et mea ſunt Perſæ cognita tela duci.
Mens fuerat bellare Rhodum, ſuperare ſuperbam
Italiam: ſed non fata dedére modum.
Hei mihi, nam rapuit mors aſpera quæq; ſub alto
Pectore condideram, vertit & hora breuis.
Sic hominum faſtus pereunt, ſic ſtemmata, ſicq;
Imperium, atq; aurũ, quicquid & Orbis habet.

Federicus Feltrius dux Vrbini.

HIc eſt ille FEDERICVS Feltrius Vrbinatium princeps, qui in ſpectaculis equeſtribus ab ictu lanceæ dextro orbatus oculo, iniquam honeſtiſſimo ore deformitatem præfert. Is ab adoleſcentia datus in contubernium Francisco Sfortiæ, totam Sfortianæ militiæ diſciplinam ita hauſit, vt quum in eo certiſſima magni futuri Ducis indoles excelleret, ab inuicto Imperatore ex fratris filia gener aſciſceretur. Hunc militari & demum Imperatoria florentem laude, vſque adeò patrum noſtrorum ætas admirata eſt, vt eum priſcis illis Ducibus, qui ab eodem orbitatis incommodo ſummæ virtutis opinionem & famam ſunt conſecuti, non temerè compararet, quòd ſingulorum peculiares quaſdam virtutes æmulari, argutiſſimoq; ingenio decerpere videretur. Nam quæ propria Philippi Macedonis laus fuit, multo conſilio bella ſuſcipere, multoq; maxima celeritatis vehementia conficere; oborientes rerum caſus ad rationem flectere; nouas ſemper occaſiones ad alendum bellum aperire; fruſtrari longa mora hoſtes, eorumq; præfectos pecunia ſæpe tentare, & commentitiis literis ſuſpectos & inutiles reddere, probè didicerat. Aſtutiis porrò planeq; Punicis artibus Annibalem æquabat, quo nemo vnquam callidiùs inſidias tetendiſſe, nemo peritiùs inſtruxiſſe aciem; nemo arma promptiùs atq; ferociùs expediſſe traditur; quando etiam in toto rei bellicæ negotio ſubitæ inexpectatæq; prudentiæ mira laus



ra laus effulgeret; ei profectò perſimilis, quæ in Romano Sertorio viguiſſet. Nam præoccupare imminentium hoſtium conſilia; munitiora loca caſtris antecapere; hoſtes imagine committendæ pugnę diſtinere, diuq; ludificari, ac fatigatos demum longi laboris atq; vigiliæ mora, ideoq; vinci paratos, peracri repentinoque impetu inuadere conſueuerat; ſic vt non omnino ſit mirum, ſi qui octies collatis ſignis conflixiſſe traditur, bis tantùm æquo Marte pugnauerit, quum ſexies victor, profligato atque exuto caſtris hoſte triumphalem lauream retulerit. Cæterùm bello & pace enitebat in eo ingenium graue admodum, ſed ſine vlla ſeueritate, quando in omnes lene mitéque eſſet, ſine mollicie, & nunquam ad contumeliam iracundum. Facundia valuit efficaci, atque apprime temperata, qua neminem offendens cunctos modeſtiæ & probitatis admonebat, potius quàm acerba increpatione caſtigabat; vtpote qui milites, ingenuoſque præſertim, pudore, certius quàm pœnæ metu in officio contineri prædicaret. Eum porrò militię morem tenebat, vt Tyrones equites, quos ex nobiliſſima iuuentute inſtituebat, ad parandum decus ſemper accenderet. Ab his autem quos alacres & gloriæ auidos fore prouidebat, hoc ſibi vnum præſtari poſtulare erat ſolitus, vt quum in conſpectum hoſtium deuenirent, non priùs eorum aciem reformidarent, quàm in eam audacter & fortiter primas haſtas confringerent; quo impigrè facto, ſi ita videretur, vt ſecunda pericula vitarent, tum demum equos reflecterent. Nihil enim ipſos ex eo receptu vel pudoris, vel ignominiæ ſubituros. Dux namque præliorum & eius ſæculi morum eximiè peritus, exiſtimabat ad primos impetus plerumque parari victoriam, qui longè vehementiſſimi ab effreni, & ætatis vigore concitato milite, quum à veterano decurione inducitur, prouenire conſueſſent. Multis ſiquidem militiæ exemplis compertum habebat, Tyrones, vt nondum duri Martis pericula expertos, ab incōſulta ineundi prælij cupiditate, quòd hoſtem elatis animis facile contemnunt, vehemẽtem & plerunque inſuperabilem vim afferre; ſic vt eam

perturbata primo impetu aduerſariorum acie, quæ non facilè reparari atque reſtitui queat, cœptæ ſemel victoriæ ſecundiſſimus euentus continuò ſubſequatur. Hanc in eo perpetuam bellicæ laudis exiſtimationem ſplendidiſſimè cumulabant literarum honos, & magnificentiæ ſtudium. Nam qui Prætorium laxitate & ſtructuræ elegantia Vrbini ædificârat, in eo etiam Bibliothecam condidit, codicibus diſciplinarum omnium refertiſſimam; exiſtimabatque nihil eſſe alienius & turpius in bono principe, quàm neſcire literas; cuius incommodi ſocerum, eundem atque nutricium maximè pœnitere memoria teneret. Raptus eſt fato ſuo, quum Herculem Ateſtinum aduerſus Venetos formidoloſa Ferrarienſibus arma inferentes, oppoſitis ad Stellatam oppidum copiis tueretur. Ex his enim locis à Padana aura inſalubribus, & paluſtri ſolo damnatis, lethalem concepit morbum, quē iam planè ſenex diu ferre non potuit: eo fortè die moriens, quo Robertus Malateſta poſt relatam ad Xyſtum pontificem de Alfonſo Aragonio ad Velitras profligato triumphi lauream in Vrbe vita exceſſit.

PETRI ANGELII Bargæi.

Artes ſi docuit Punica gens ſuas,
Captantem inſidijs Annibalem duces;
Si præſtante Philippus
Fudit conſilio hoſtium
Inuictas acies: ſi ſapientia
Sertori potuit bellica cladibus
Non vnis legiones
Affeciſſe Quiritium:
Ingenti quoque te Sfortia gens ſuo
Aſtu, conſilioq; & ſapientia
Inſtructum bone Feltri
Bellis præficere horridis
Quiuit. ſic ſimiles quos Dea præpotens
Orbatos oculo fecerat altero,
Virtus ipſa coëgit
Inuitos tibi cedere.
Cui præter decora hæc maxima, maximas
Reddunt Aonidum numina gratias,
Cultis & ripa Metauri
Et fluxu Tiberis rapax.
Dum terga igitur conteges vndiq;
Cælum, cum Latio Græcia nobili,
Quod viuit tibi ſemper
Sed debere fatebitur.

Magnus Caythbeius Memphiticus Sulthanus.

HAC peracri atque retorrida fronte magnus Caythbeius apud Memphim pictus viſebatur, quum Selymus gemina potitus victoria, Mamalucchorum regnum interfectis duobus ſupremis regibus euerteret, opulentiſſimæque regiæ ornamenta reuelleret, vt ſe nequicquam præpedientibus arenis, inuicta arma Memphim vſque protuliſſe diſceſſiſſeq; inde victorem teſtaretur. Fuit Caythbeius natione Circaſſius, conditione ſeruus; verùm ab admirabili virtute, atq; fortuna dignus eo imperio, quod per duos & viginti annos ſingulari cum gloria rexit & auxit. Nam more gentis ex venalitio ſeruorum ordine, Mahometanæ legis beneficio libertactus, ſed perpetuus manceps Regis, vt primùm è literario, militariq; ludo adoleſcens prodiit, incredibili proſperoq; ſemper curſu, ſingulorum ordinum honores percurrit atq; promeruit; creatusq; demum Diadarius, qui eſt ſummæ præfecturæ honos, cùm multis fortibus factis, tum variis in aulæ primates obſequiis, latè gratiam eo euentu adeptus eſt, vt in comitiis inter multos vel egregiè fortes & gratioſos fruſtra ambientes, ſuffragiis victor, & Rex, & Sulthanus acclamaretur; neq; de ſe rectè conceptam efficaciſſimæ virtutis opinionem vſq; fefellit: in hoc vnum ſemper intentus, vt inſtauratā militiā, quæ longo æuo emarcuiſſe videbatur, veteres equitum alas lectiſſimis ſupplementis corroboraret, & in expeditionē educeret. Legebantur autem ex ipſo præcipuè Circaſſiorum genere, iuuenes acerrimi & robuſtiſſimi. Eius enim generis homines toto habitu maximè lacertoſi, validos artus, imperterritas mentes, & tolerantis omnis laboris corpora ad militiam afferebant. Circaſſij namq; ſqualida in regione, rerum propè omnium inopes, luxuriæq; propterea prorſus ignari, & Aquilonis flatibus obiecti, perpetuoq; rigentes gelu, ita prędatoribus Scythis expoſiti ſunt, vt mortalium miſerrimi exiſtimentur & captiuitatis iniuriam non magnopere doleant, nec parentes perpetua damnati inopia, interceptos liberos diu lugeant, quando etiam filios & propinquos ab ipſa ſtatim infantia paruo pretio mercatoribus diuendant; à quibus pueros ideo experi perſuaſum habent, vt honeſtos milites, præclaros Duces, & ſi ita fati ſors vehat, maximos Reges efficiant. Circaſſij populi eum Euxini maris tractum incolunt, qui à Colchis atque Mengrelhis ad Boſphorum contra Tauricam Cherſoneſum extenditur: ea porrò lege atque his cerimoniis Chriſtum Deum adorant, quibus Moſchi

& Ro-



& Roxolani Græcorum ritus ſequentes, uti ſolent. Cæterùm Cayihbeius è ſordidiſſimo loco à prima pueritia Memphim perductus, atque inſtitutus his moribus atque artibus, quibus Mamaluchi eqoites certatim incumbunt, ad ſummum rerum faſtigium peruenit. Vbi verò primis comitijs ſine vlla repulſæ ſuſpicione Rex extitit, & per Caliphom ſacrorum principem, deſumpto Sulthani titulo, more gentis conſecratus eſt, nihil omnino antiquius habuit quàm proferre fines, imperij limites armis tueri; Arabumque præſertim infeſtas manus repellere, debellare contumaces, & neminem aduerſum ſe inſoleſcere pati. Magnanimo namque & potentiſſimo finitimorum Arabum impudentis audaciæ latrocinia validis armis vindicanda videbantur, & Perſæ; qui ſæpe repentinas in Comagenem & Syriam irruptiones fecerant, Euphratis tranſitu deterrendi; reprimendaque item Othomannorum arma, quæ formidoloſa erant Syris ad Iſſicum ſinum finitimis, quòd Turcæ præſides Ciliciæ, nuper ſublato Rege Piramero in Prouinciam redactæ, veteres fines tranſire, alienaque inuadere arroganter auderent. Itaque tribus bellis ingenti animo ſuſceptis, parique fortuna confectis, Arabes nequicquam ſe longa fuga eripientes, iuſtis affecit cladibus, antiquisque eorum domiciliis & ſedibus latè expulit; eo rerum euentu, vt ad vnum omnes reguli Arabes, atq; his permixti Mauri & Ægyptij, qui regiones inter Nilom, dextrum Rubri maris littus incolunt, ſeſe conferre ad authoritatem Memphitici Regis, & tributa pendere cogerentur. Perſæ quoque duobus tumultoariis præliis fuſi, vltra Euphratem in Meſopotamiam pellerentur, & in Cilicia Mamaluchi ad Tarſum caſtrametantes, Turcas adorti, capto Cherſeogle purpurato, qui Baiazetis erat gener, clariſſimam de inuicta gente victoriam retulerint. His ſecundis ſucceſſibus, quum Memphitici imperij fines ad occaſum per Africam vſque ad Cyrenem extendiſſet, in repentinum atque inexpectatum, ideoque grauiſſimum bellum incidit, conſpirantibus ſcilicet ſubſeruis Æthiopibus in Mamaluchorum cædem, planeque rebel-

lantibus: quibus magna multitudo Arabum & Ægyptiorum, tædio prædurę ſeruitutis ſe con-iunxerat. Sed Caytbeius expedito equitatu turbam nequaquam militaribus armis, ſed oblatis tantùm caſu atque his inualidis armatam telis (quanquam contumaci ſpiritu ſeſe in libertatem vendicantem) per partes aggreſſus multo labore diiecit, atque perdomuit. Ab eo diuerſorum præliorum cruento exitu, magnus Aethiopum numerus, communicatæ perfidiæ pœnas dedit. Pars verò eorum fermè tertia compedibus eſt reuincta, vt qui nuſquam ipſum verè libertatis bo-num experti, emptiq́; pretio, fortibus dominis ſeruire condiſcerent. His rebus geſtis Caytbeius plenus gloria, & apud noſtras gentes pari virtutis atque fortunæ illuſtri fama, Sulthanorum cla-riſſimus euaſit. Nam is eſt, qui externæ amicitiæ appetens ad proferendum nomen Laurentio Medici Camelopardalim dono miſit. Id animal prææltis anterioribus cruribus, cùm humiliora terga, breueſque ſuffragines haberet, ceruinumque caput ab erecta rigidaq́; ceruice, duobus inſi-gne corniculis dorſum eius candidis in orbem maculis in rufo colore diſperſis, mirè variegatum ſpectaretur, vti prorſus innoxium, nō Etruriæ modò, ſed toti Italiæ diu mirabili ſpectaculo fuit, vtpote quòd ab ipſis vſque Romanis temporibus Italia non viderat, quum in extremis Aethio-piæ regionibus ad Nili fontes difficilimè capiatur. Simili quoque munificentiæ ſtudio paulò antè ad Galeacium Sfortiam Elephantem perdomitum, & Tigridem oblongis atris virgulis maculoſam, ab inſita feritate terribilem dono miſerat: quas belluas pictura eleganter expreſſas in arce Mediolani hodie etiam ſpectamus. Cæterùm ſeneſcentem Caytbeium, Dultibes vxor A-rabici generis, ideoque ambitioſi ſpiritus mulier, perpetuis adhortationibus perpulit, vt Maho-metem filium Imperij hæredem relinqueret, antiquata ſcilicet ea lege, qua filius patri ſucceſſor eſſe vetabatur, quum Ægyptios Reges vetere maiorum inſtituto nequaquam obſeruata ſucceſ-ſione liberorum, ſed communibus equitum ſuffragiis creari mos ſit; eadem penè iuris formula, qua Romæ ſummos Pontifices à Senatoribus in Comitio creari conſtat. Nec defuêre Proceres, qui ab impudenti adulatione Reginę conſiliis aſſentirent, multa vtique corrupti largitione, quò eſſent ex eo numero, qui nullam gratiæ ſpem pro ſe in comitiis habituri viderentur, extraq́; for-tem petitionis poſiti, melioribus (vt ſæpe fit) tanti principatus fortunam inuiderent. Itaq́; prima-rum claſſium Principes abrogata comitiali lege, nouum decretum intulerunt, ad nutum impe-rioſæ & ſatagentis Reginæ promulgatum, quod non inepta æquitatis & exempli ratione, cun-ctis ferè probaretur. Id non erat omnino abſurdum, quoniam fortiſſimo Principi, atq́; optimè de Republica merito, & ægrè conceptum ex ſenectæ vitiis morbum ſuſtinenti, adiutorem dandum cenſebāt, qui ingentia curarū pondera in patre, recentibus viribus ſubleuaret; ſicuti antea maio-res ſuos Saladino Soltbanici Imperij conditori ad honeſtiſſimū poſteritatis exemplum tribuiſ-ſe meminerant. Nec multò pòſt Mahometem viginti quatuor annos natum ab eximia pietate, patris adiutorem, & conſortem Imperij nouis appellationibus ſalutârunt. Sed ab exceſſu de-mum Caytbbei, qui damnatæ quorundam Procerum rumoribus adoptioni, non diu ſuperfuit, Mahometes non multum ea inauſpicata hæreditate lætatus eſt. Nam Mamalucchos dolore ere-ptæ ſuæ fortis, interruptæque prærogatiuæ iniuria perculſos, dira inteſtini belli rabies ita inua-ſit vt Mahomete interfecto, quatuor ſecundùm eum Principes creati, paucorum menſium ſpatio turbolentiſſimis comitiis trucidarentur: eo anno, qui fuit à partu Virginis ſupra milleſimum & quadringenteſimum, nonageſimus ſextus.

PAVLI IOVII Iunioris.

Si quondam Heſperio quot miſit Bætis ab orbe,
Dalmatáue, aut Lybies Mauris circumſona tellus
Aeneadum faſces, Capitoliaq́; alta tenentes
Obſtupuit populus Latialis, & inclyta Roma
(Externos quamuis dominos) æquauit Olympo,
Inſueta admirans aliena nomina terræ;
Nónne erit hic etiam toto admirabilis orbe?
Qui genere ex humili Riphæis natus in oris,
Aduerſi fines mundi, rigidamq́; relinquens
Arcton, Cimerias, vbi Boſphorus aſperat vndas,
Venerit ad magni ſeptenflua flumina Nili?
Atque ibi ſeruiles habitus exutus, & ora,
Conſenſuq́; Ducum magno prælatus honore,
Tū demū Aegyptū & Pharias cōpeſcat habenas?
Et Syriam quacunque rapax procurrit Orontes,
Sceptra tenens latè magna ditione gubernet?
Scilicet hæc tanta virtuti, ingenuoq́; labori
Conueniunt; namq́; ille diu in ſua damna ruentes
Victor Erythræi depellit littore Ponti
Prædones Arabum, ſimul & felicibus auſis
Trans fluuiū Euphratē, trans picta Perſidis arua
Cogit Ithyræo gaudentes vulnere Parthos.
An memorem, quòd Corycia prope mœnia Tarſi
Retulit infeſto ex Turca ſublime trophæum,
An ſubitò oppreſſa Aethiopum ſeruilia bella?
Sed nec adhuc tanto famæ contentus honore,
Muneribus placet Italiam penetrare, ſuaq́;
Laude frui; magno ſic vecta per æquora ſumptu
Bellua, quam priſci coniuncta voce Camelo-
Pardalim appellant, geminum cū vertice cornu
Fulget, & inſigni diſtinctum tegmine corpus;
Felix ille quidem cunctis qui cognitus oris
Non vitam ferro amiſit, ſed morte quieta,
Et natus lacrymans poſuit ſua membra ſepulcro.

Matthias

Matthias Coruinus Rex Pannoniæ.



NON inuictis modò armis, ſed magnitudine animi, admirabilique virtutum omnium concurſu Matthias Coruinus Pannoniæ Rex, cunctorum ſuæ ætatis Regum decus ſuperauit. Patrem habuit Ioannem Hunniadem, ſecundis pariter ac aduerſis, Ducem, omnium qui cum Turcis arma contulerint, longè clariſſimum; vtpotè qui Turcarum fulmineus terror appellaretur, quorum magnam multitudinem in Belgradi foſſis proſtrauiſſet. Is natione Semidachus & Valachus, duos habuit filios, Ladislaum & Matthiam. Ladislaus, quòd Vldericum Ciliæ Comitem Regis propinquum, qui capitales inimicitias cum Hunniade patre ſemper exercuerat, apud Albam confodiſſet, à Ladislao Rege ſecuri percuſſus eſt, Matthia cuſtodiæ tradito, abductoque in Bohemiam, vt ibi de nobiliſſimi adoleſcentis ſupplicio, extra Hungarorum oculos conſideratiùs atque liberiùs decerneret. Nam tametſi Matthias eius cædis conſcius fuiſſe putabatur, quod tamé interfecti Cilienſis cruore manus minimè polluiſſet, nec duodeuigeſimum attigiſſet annum, pleroſque Procerum ad miſericordiam commouebat, quum vnica proles Hunniadis interitura crederetur. Quid enim eius viri memoriæ ab Hungarica gente vel gratiùs, vel honeſtiùs perſolui poſſet, quàm ſi eius ſobolem à teterrima nece ſeruarent; quum ab Hunniade ſe toties ſeruatos, Turcicisque trophæis nobilitatos eſſe faterentur? Eo modo fluctuante Rege, fata viam aperuerunt, qua captiuo & ſæuam ſecurem expectanti, non ſalus modò, verùm & Pannonici Regni corona pararetur; Ladislaus enim Rex, dum Pragæ nuptiis vacaret, veneno intra paucas horas ſublatus eſt, Bohemiæque Regnum arripuit Georgius Po-

gibraccius, qui vigore animi, clientelis atque opibus, Procerum erat potentiſſimus. Cæterùm morte Regia audita, Michael Zilagus Matthiæ auunculus, apud quem erant veteranæ copiæ, quæ ſub Hunniade ſtipendia meruiſſent, cum matre Matthiæ Budam contendit. Quorum aduentu Hungari Proceres permoti, matris lachrymis, præſentiſque exercitus ſtudio & viribus adducti, commendante Hunniadis ſobolem Michaële, extemplò vel vinctum adhuc catenis apud Pragam Matthiam Regem declarârunt; miſſiſque Legatis à Pogibraccio poſtulârunt, vt ſibi Matthiam redderet, quem publico conſenſu Pannoniæ Regem ſalutaſſent. Nec mora Pogibraccius conſilium expedit, obtemperandumque Hungaris cenſet, quòd putabat confirmando nouo regno nihil ſibi fore opportunius, quàm ſi Hungaros eo beneficio obſtringeret, & Bohemis conſociaret. Itaque non catenas modò detrahit Matthiæ, ſed ei ad certiſſimum amicitiæ pignus filiam deſpondet, & tradit; ornatumque Regij cultus muneribus Budæ regnaturum dimittit. Fuêre qui exiſtimarẽt à Pogibraccio regnum affectanti, venenum Ladislao præbitum fuiſſe, cuius vxor, quæ Caroli quarti Cæſaris, Bohemiæque Regis neptis erat, vterum geſtaret. Ea partus expectatio ciuile bellum in Hungaria excitauit, graueque negotium attulit Matthiæ, quum de regni poſſeſſione cum Regina armis contendere cogeretur. Sed poſt editum infelicem partum, Regina contentioni finem fecit honeſtis conditionibus, legitimeque demum antiquo Regum diademate apud Albam coronatus eſt; ſic vt regnârit ſupra annos triginta ſex, occupatus ſemper nouo bello, quum perpetuis & inuictis armis vndique ſibi ampliſſimam laudem & gloriam parandam exiſtimaret. Non ſuſtinuêre ardentis Ducis vim Poloni, qui arma Hungaris inferre auſi fuerant. Hæc eadem Germanorum robora perfregit, quum Auſtriæ Viennam Federico Cæſari adimeret. Valachorum exercitum ancipiti prælio profligauit, quo ipſe ſagitta vulneratus, ſed planè victor diſceſſit. Binis quoque præliis Turcarum, ab Illyrici limite irrumpentium, audaciam ita contudit, atque repreſſit, vt Mahometes eorum Imperator, omnium propè gentium victor, ſucceſſorque eius filius Baiazetes, æquiſſimis legibus pacem petierint. Geſſit aduerſus Sleſitas ad Vratislauiam vrbem acre bellum, tanta vtique felicitate, vt in toto Hungarici regni limite deuictarum ab ſe gentium ſummæ gloriæ trophæa ſpectarentur. Verùm ob id maiore præconio dignus videtur, quòd tranſmiſſis auxiliis Italiam Turcarum metu, qui Hidruntem in Salentinis occupârant, liberaſſe exiſtimari poſſit, poſtquam inuicti antè, pertinaciſſimeque reſiſtentes Turcæ, vnum Blaſium Magarem, è Matthiæ Præfectis pugnaciſſimum timendum eſſe, ipſa demum deditione poſt egregios multarum eruptionum conatus oſtenderint. Eminebat in Matthia eruditum & graue perſpicacis ingenij iudicium, quum rerum bellicarum omnis generis, & literarum intelligentia polleret. Neque enim Regem aut Ducem abſolutæ virtutis & gloriæ famam adipiſci poſſe prædicabat, niſi literarum præſidio munitus, omnis ætatis inſtituta militiæ, ipſaque antiquorum ſtratagemata ex hiſtoriis percalleret; quando ea documenta, quæ magno vſui militiæ forent, ab ignaris literarum, niſi longiſſimo tempore experiundò percipi non poſſent, quæ alij ex veterum exemplis legendo facilè conſequerentur. Propterea peculiari propè ſtudio in Regiam ſibi viros aſciuerat, non optimorum modò ſtudiorum, ſed nobiliorum etiam artium laude inſignes, quorum conſuetudine legendo & diſputando, mirum in modum oblectabatur. Quicquid enim otij è grauiſſimis occupationibus ſuffurari poterat, id totum euoluendis annalibus impendebat; multusque viſebatur in ea Bibliotheca, quam exquiſitis libris nullo deterrente ſumptu refertiſſimam eſſe curauerat. Forum verò Budæ præcellentium artificum tabernis exornârat, qui ex Italia præſertim certis inuitati præmiis, Budam confluebant. Regia enim Budæ veræ virtutis domicilium, perpetuique ſplendoris hoſpitale diuerſorium cunctis gentibus patebat. Quandoquidem vincere hoſtes, & ſcribenda facere, & virtutem liberaliter exornare, Regiæ fortunæ proprium munus eſſe duceret. Inuexerat toti prouinciæ Italicas artes, cultum domeſticum, Hunnicæ gentis mores, ad arma & latrocinia natæ, ita molliuerat, vt Regnum ex plumbeo aureum, deterſaque rubigine ſplendidum reddidiſſe Pannonij faterentur. Hac illuſtri fama Chriſtianorum Regum florentiſſimus, quum vigeret, agitaretque animo ingens bellum aduerſus Turcas, & lætiſſimè pranſus eſſet, Bolanumq; Venetum Legatum honoris cauſſâ equeſtri dignitate inter ſacra ſolennia perornaſſet, repentè apoplexia correptus expirauit, anno ætatis quinquageſimo ſexto, à partu autem Virginis nonageſimo ſupra quadringenteſimum atque milleſimum, eo feſto die, qui Palmarum celebritati dicatus eſt. Effigies eius armata equeſtris, luculentiſſimè depicta Romę in campo Floræ, contra Podium cubiculi mei in angulo Laurentianæ domus ſpectatur, ad quam arridet altera perſimilis Andreæ Mantiniæ manu picta, quæ in Muſæo noſtro conſpicitur.

ANTONII THEBALDEI.

Coruini breuis hæc vrna eſt, quę magna fatẽtur | *Facta fuiſſe Deum; fata fuiſſe hominem.*

PAVLI IOVII Iunioris.

Vos, ò qui celeri gradu | *Parnaſsi iuga ſcandere*
Lucum Caſtaliæ rupis, & ardua | *Certatis viridem per nemorum comam,*

Quà

Quà riuo reſonans ſacro
Lenis lympha fugax perſtrepit alueo,
Aurata cythara modos,
Inſignemq́; lyram ponite, ponite,
Si quis poſſe putat ſuo
Cantu, & grandiloqui carmine Pindari
Regem Pannoniæ decus
Coruinum meritis tollere honoribus.
Nam ſi Mæonij ſenis,
Seu quæ Virgilij Muſa canit Deos,
Seſe reddat ab inferis,
Nec curet Siculæ regna Proſerpinæ,
Haud vnquam valeat ſatis
Summis, quam deceat, tollere verſibus
Coruinum egregium Ducem,
Quem nec laurigeri poſſet Apollinis
Laus, nec Pierij chori
Princeps, dulce canens Calliope melos.

FINIS LIBRI TERTII.

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN TERTIVM LIBRVM ELOGIORVM SVORVM

PRAEFATIO

Ad COSMVM MEDICEM Florent. Ducem.

QVARTVS hic liber, magnanime Coſme, recentiorum Heroum imagines continebit, quibus elogia idcircò ſuperioribus adſtrictiora, breuioraque ſigillatim affigentur; quoniam eorum, quos ipſi virtutis ſuæ famâ florentes vidimus, præclara nomina hiſtorijs noſtris abundè celebrata ſint, & vti reor, ad poſteros etiam tranſibunt. Ex inſtituto autem ordine, primus ſeſe obtulit Carolus Rex Galliæ, qui coaleſcentis, nec confirmatæ adhuc pacis tranquillitatem Italiæ inuidit, liuore tamen noſtro potius, quàm ſuo. Quippe qui euocatus accerſitusq́; ad euertendum paßim publicarum rerum ſtatum, eò grauior ingruerit, quò apud ignaros periculi, imperitosq́; militiæ nequaquam metuendus eſſe putabatur. Sed eius externæ gentis vis repentina & impotens, vel ſerò nos docuit, diſſenſionum noſtrarum inteſtinæq́; diſcordiæ protinus obliuiſci, vt paratæ ſeruitutis incommoda vitaremus, quæ demum ſerendo bella ex bellis nobis parum maturè inſanire deſinentibus importata, ſi non cautiores, & fortiores fecit, vti propulſanda pericula flagitabant, patientiores certè reddidiſſe videtur ad perferendam inuſitatæ conditionis ignominiam. Neque aliter nos ipſos vltrò præcipites datos conſolari poſſumus, quàm quòd primos tantæ cladis authores æqua vltrix ſcelerum Furia meritas pœnas dare coegerit. Hic itaque Rex Gallus, qui vel nolens domum tuam ſuo impetu euertit, te præclaro exemplo admonet, vt irruptiones externarum gentium, quarum vis vehementißima intolerandaque eſſe conſueuit, graui maturoq́; conſilio auertendas potius, quàm armorum fiducia ſuſtinendas arbitrère. In hanc enim publicæ ſalutis curam & Coſmus & Laurentius maiores tui, ſummæ prudentiæ viri, ſemper excubârunt, vt quantum conſilio præſtari poßit, externa arma longißimè arcerent. Neque enim aliter quàm his inundationibus obrui & conuelli poteſt hic tuus Principatus, haud dubiè fato datus, & mirifica demum tua virtute confirmatus; quandoquidem nulla omnino inteſtina fraus extimeſcenda videatur, agenti Principem abſolutæ pietatis atque iuſtitiæ auſpicijs, qualem in rectè conſtituta Republica æquè boni malique ciues optatißimum eſſe confitentur.

ELOGIORVM LIBER QVARTVS.

Carolus IIX. Galliæ Rex.



ORis hoc geſtu & armorum cultu Carolum Galliç Regem, eius nominis octauum, Alexander Pontifex in mole Hadriani pingi iuſſit, quum Rex ipſe Pictori ſe exprimendum accuratè præbuiſſet. Is Ludouico vndecimo patri ſuccedens, deficientes ab ſe Britones armis ſubegit, capto in acie Ludouico Aureliano, atque in carcerem coniecto, quem certa iura Regij ſanguinis ipſi ſucceſſorem deſtinabant. Ab hac victoria Rex iuuenis, quanquam nec ingenio ſtabili, nec ſatis firmis puſilli corporis viribus polleret, pacati tamen atq; opulenti Regni ſubnixus facultatibus, bellicoſorumq; Procerū vocibus incitatus, aduerſus Aragonios Reges terra mariq; bellū ſuſcepit, euocante eum atq; adiuuante Ludouico Sfortia, qui Aragonio nomini erat infenſiſſimus. Ea namq; tempeſtate fatali malo Italiç nati, exitialibus inter ſe conſiliis diſſidebāt Alfonſus Rex Neapolitanus & Ludouicus Sfortia Mediolani Princeps, qui tū potentia atq; autoritate nominis ſupra cæteros eminere credebātur. Ille apprimè ferox, bellicoſus & inſolēs: hic verò ingenio ſubtili, aſtuto, maximeq; ambitioſo, odia contraxerāt, quç minimè expiari poſſent, niſi diiudicante belli fortuna alteruter præceps daretur. Itaq; Carolus vehemēti impetu Italiam intrans,

intrans, & ſubitò percurrens, quantum Galli armis euſuque valerent, cum ignominie Italicæ diſciplinæ pluribus prælijs oſtendit. Hæc enim ferè tota, aut inſcitia atque auaritia ſuperiorum Ducum, aut longo ocio reſtincta perierat; ſic vt nemo Ducum aut militum ſupereſſet, qui cruentam aciem ſe vidiſſe teſtaretur. Quo vitio accidit, vt facilè Gallus honeſtum prætendens titulum, Piſanos eiectis Florentinis: hos verò eiectis Mediceis, & Senenſes pulſo Pandulpho petruccio, vendicaſſe in libertatē videri vellet. Exinde Pontificem terrore inuecti in Vrbem exercitus ſubectum ad fœdus ineundum compulit, Gememque Baiazetis Turcarum imperatoris fratrem ſibi tradere coegit, quo adiutore in Græciam ſe traiecturum confecto Aragonio bello prædicabat. Qua inuſitata Galli hoſtis felicitate cuncta obuia ſternentis, perculſus Alfonſus, ideoque nihil pro priſtina ſua militari laude auſus, ita deſpondit animum, vt Ferdinando filio Regnum cederet; extemploque cum regia gaza in Siciliam profugeret; eo euentu, vt filius pari hoſtium impetu vndique pulſus vrbe Neapoli atque arcibus, Regnoque demum toto, ocyſſimè pelleretur. Obſtupuère ſtatim ad eius ingentis celeriſque victoriȩ curſum cuncti Principes; vſque adeò conſternatis metu animis, vt in vnum pro publica ſalute, dignitateque Italici nominis conſpirarent, & arma contra Gallos vndique cogerent. His rebus cognitis Carolus Campanis, Brutijs, Apulis, & Samnitibus valido copiarum præſidio confirmatis, regredi extemplò, & contra infeſtos viam ferro aperire conſtituit; atque ita profugiente Alexandro, Romam præteruectus, Piſas repetit; & per Apuanos Ligures ſuperato Apennino, ad Tarrum amnem profectus, Venetas & Sfortianas copias, eum tranſitu prohibere conantes, cruento edito prælio ita proſtrauit, vt penè intactus, & nuſquam poſtea laceſſitus in Galliam rediret, nec Italici belli obliuiſceretur: renouata namque amicitia cum Ludouico Sfortia, reſtitutaque ei Nouaria, quam Aurelianus occupârat, Ferdinandum Regem paternum repetentem regnum, longo exercuit bello: eo tamen rerum exitu, vt Galli duces militeſque ad vnum propè omnes varijs caſibus interirent, & ipſe demum tertio anno poſtquam Neapolim ceperat, apud Amboſiam oppidum, ex ludo paruæ ſphæræ rediens, ignobili in cella, ſubito animæ deliquio correptus expiraret. Vixit annos viginti ſeptem, imperauit decem. Id verò tanto Regi inſigni probro datum eſt, quòd intempeſtiuis amoribus deditus, eneruatuſque molli otio apud Allobrogum diffluentia longo luxu oppida, Aureliano Nouariæ obſeſſo opem ferre noluerit, repudiatamque coniugio Margaritam, Maximiliani Cæſaris filiam, ab ſe expetitam, deſponſatamque ad patrem remiſerit, vt Anna Britanniȩ citerioris Reguli filia hæreſq; maiore commodo duceretur: quòd Reges nullis pudoris potius, quàm commodi priuati legibus obediant.

LANDRIANVS Mediolanenſis.

Impiger aërias Carolus dum tranſilit Alpes,
Parthenopen ſtricto dum petit enſe ferox:
Horruit illum omnis bello clariſſima tellus
Itala, & inuicti frena ſuperba tulit.
Victorem ſed ne hunc æterna ſecla viderent
Noſtra Ducē, ante annos inuida mors rapuit.

Vitellij Fratres.

HAC vna letiore in tabula Vitellij quatuor germani fratres cum ſene patre conſpiciuntur, quos admirabili mediæ ætatis vigore, atque illuſtri bellicæ laudis fama florentes, inuida virtute ante diem immitis Parca ſurripuit. Hos Nicoleus Pater poſt longam contentionem eiecto Iuſtino æmulo, atque eo demum interfecto, in patria Tipherno non obſcuræ potentiæ principatum adeptus, in diſciplinam Virginio Vrſino tradidit, qui tum Romanorum Procerum ſplendore domus, & multis militiæ partis honoribus erat clariſſimus. Qui liberorum animoſa prole, atque ea enixè ad ſummum militiæ decus contendente, planè beatus ſenex pater videri potuit, quum excedens vita, familiam certiſſimo militarium iuuenum præſidio confirmaſſe crederetur, niſi occultior aliqua vis fati adultæ iam virtuti indignam atque inexpectatam perniciem attuliſſet. Præcipiti namque impetu fortuna, in Vitellij nominis ſobolem incurrens, ex breui interuallo ſingulos perculit, atq; proſtrauit: miſerabilem herclè in modum, quando partim fœda, partim ignobili morte conciderint.

Ioannes Vitellius.

IOANNES ſiquidem natu maximus, quum ad Auximum Piceni vrbem in oppugnatione verſaretur, immani tormento diſcerptus interiit.

Camillus Vitellius.



CAMILLVS huic proximus, in Apulia Circellum oppidum appoſitâ ſcalâ conſcendere & capere contendens, molari propè lapide supernè deiecto, nequicquam protegente galea oppreſſus eſt. Is tum Gallis, Virginioque Duci operam nauabat, & multis bello fortibus factis, pugnaciſſimi Ducis laudem, eo præſertim die fuerat conſequutus, quo non procul à Luceria Germanorũ integram phalangem Aragoniis militantẽ, inductis & ſæpe circumductis in orbem ſagittariis equitibus deleuerat. Primus in Italia ſclopettariorũ equitũ turmam inſtituit, quod equitum genus poſtea intermiſſum eſt, quum nimia atque inhabili ſclopettorum longitudine præpedirentur; ſic vt hodie non miremur breuiores & leuiores, aptiore induſtria à Germanis inſtitutos, qui noſtris nuper haſtatis equitibus maximo terrori in Germania fuerint.

MICHAELIS SYLVII Luſitani Cardinalis de Camillo Vitellio.

Victorem Pyrrhum poſt magna atq; inclyta facta,
Fœmineâ fama eſt, occubuiſſe manu.
Et te ſurripuit poſt inclyta facta Vitelli,
Fœmineâ dextrâ miſſus ab arce lapis.
Heu fatum occultum, multis diſtantia ſeclis
Clara duorum facta exitus vnus habet.

Vitellius Vitellius.



Moriens Camillus Vitellium filium reliquit, quem Venetis & quatuor Pontificibus (vti erat bellicæ rationis & multi conſilij apprimè gnarus) impigram fidelemque operam nauaſſe vidimus.

Paulus Vitellius.

Cæterum in Paulo & Vitellocio ætate minoribus, vis ardens impauidi animi, & in ardua belli caſibus mirè efficax ita enituit, vt vterque ad militaris imperij nomen non temerè aſpirare milites crederent. Paulus ingenio excelſior, & iudicij grauitate præſtantior, expediendis conſiliis atque armis promptiſſimus habebatur; ſed aliquanto fortaſſe ſeuerior & ſæuior, quòd dormitantes vigiles impunè interfici, & ſelopettariis hoſtium captis erui oculos, & præcidi manus iubere; quòd indignum eſſe videretur, ſtrenuum ſæpe nobilemq; equitem ab infimi ordinis deſpicato pedite inulto vulnere proſterni. Nondum enim inuecto exterarum gentium cruento more, Itali milites ſanguinarij & multæ cædis auidi eſſe didicerant. Paulus hac virtute diſciplinaq; protectus, quum Venetas copias in Apennino profligaſſet, Piſanosq; egregiè ſuam tuentes libertatem, aliquot oppidis expugnatis conterruiſſet, eorum mœnibus

tormenta admouenda eſſe cenſuit. Sed eius conatus, quanquam vehementiſſimè cœptus, eum habuit exitum, vt malignè obtrectante collega Ranuccio Martiano diſparis dignitatis atque virtutis duce, perfidioſa potius quàm neceſſaria ceſſatione à ſemicapto Stampacis propugnaculo retraxiſſe tormenta crederetur; quaſi eius vrbis ſubactæ lætitiam Florentinis inuideret; inaniſſima quidem ſuſpicione, quum indeà probo auidoque veri decoris Duce perampla triumphi laus peteretur. Itaque à præpotente factione ciuium, vrgenteque Ranuccio, perfidiæ accuſatus, vir inſons captus, præcipitique iudicio in curia ſecuri percuſſus eſt; quanquam vel inuſitati generis tormenta adhibita, in acerbiſſima quæſtione nihil quod integritatis famam læderet, elicere potuiſſent. Eo enim ſupremo malignitatis decreto concidit, quod viri ſuſpicaces, & Reipublicæ cauſa maximè ſæui factioſique, immeritò tortum nequaquam ex tuto dimitti poſſe iudicarent. Sed eius immanis iniuriæ vltor poſtea extitit Alexander filius, quem hodie patris æquantem laudes, & Hungarico & Germanico bello clarum Italia inter paucos Duces adnumerat.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Vrbis vt ingratæ ſcelus, & victricia Pauli
Audijt immiti colla reſecta manu
Scipiadum maior; Tua quid benefacta Vitelli
Quid valuère mea? ah dixit, & ingemuit.

Vitellocius Vitellius.



AT

AT Vitellocium immaniter vis atque ſæuitia Cæſaris Burgiæ ſuſtulit, quum is cruentiſſimo homini, perfidioſo aſtu ex recenti defectione in gratiam receptus apud Senogalliam ſe crediſſet. Ibi enim ſimulatione colloquij militaris perductus in domum cum Paulo Vrſino ſocero, Franciſcoq; Vrſino Grauinæ Regulo, & Liberotto Firmano, ad eandem necē deſtinatis, ſtrangulatus interijt, meritas certò iure pœnas pendens, quòd ſe à ſanguinario, nefarioque tyranno ſyncerè in fidem receptum imprudentiſſimè putârit; quanquam ea reditus leuitas exitio cunctis futura, ab ingenio Pauli ſoceri largitione promiſſiſq; corrupti, Vitellucio improbante emanaſſe credatur. Vitellucius primus in Italia Germanicæ diſciplinæ phalangem peditum ex Tiphernatibus ſuis inſtituit, quibus & haſtas, & ſecures, ferreaque pectoralia, & galeas, externorum imitatione tradiderat; ordinauitque vt denſata acie procurrere, conſiſtere, regredique, & decurrere in cochleam, nihil perturbatis ordinibus condiſcerent; cuius phalangis inuicto robore fretus, paulò antè Vgonem Moncatam Burgiæ Cæſaris ducem in Vmbria profligârat; & capto ad Baſſianum Guïdone Feltrio Vrbinatium principe, Pontificias copias inſigni edita pugna deleuerat.

PAVLI IOVII Iunioris.

Eheu qd faciāt, cuiq̃ homines cērúe habeāt fidē?
Teri ſic negligis? atq; ipſe tui nil memor, impij
Te imprudens potuiſti manibus credere Borgiæ,
Infauſtis manibus, ſacrilegis, atq; nefarijs?
Quid ſi non tibi notiſſimus vſq; & ſatis, & ſup
Cunctis ille fuiſſet rabidus, Barbarus, impotens,
Humani generis pernicies, atq; hominum lues.
At nō te latuit, quid fugiens Cæſaris impetum
Olim dixeris è carminibus Mæonij ſenis
Pompeius, Pharij quum peteres littora perfida
Regis naue cita. Non equidem vita ferocibus
Committenda tyrānis, iter haud tutū ad eos ſatis
Dixit; ſed mala ſors omne animi conſiliū rapit.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Non me diua potens atque volubilis
Motu qua rotat hæc omnia prapeti
Deprenſum Ionio merſit improbo,
Nec Mars bellígero dum feror agmine
Hinnitu alipedum cum litui ſono
Lætantem, rapido ſuſtulit impetu,
Nec me auo & ſpoliis tot grauidum nouis
Heres, nobilium patria principum
Linquentem gelido marmora funere
Victorem, tumulo condidit aureo.
Sed me perfidior Borgius æquore
Martis fulmineo ſæuior agmine,
Parcarum Lacheſi ſurdior vltima,
Et fatum, atque fides credula, perdidit.

EIVSDEM.

Non mare me, nō Mars, ſæua aut mors pdidit; at me
Perdidit, omnibus his Borgius aſperior.

Petrus Medices.

PETRVS Medices, quem Laurentius pater authoritate atque opibus florentem in Republica principem reliquerat, hac militari ſpecie thoracatus & prolixè comatus pingi voluit. Nam tum viros tadi ſolitos non decebat barba, contrarioq; more noſtro, capita prælongi crines adornabant. Multo enim iuuentæ feruore alacer, robuſtus, geſtandiſq; armis habiles artus equeſtribus ſpectaculis ad bellicam imaginem exercitare, aduerſis ſæpe haſtis in ludo concurrere, variaq; pugnæ ſimulacra edere erat ſolitus: quòd ita ad popularem gratiā expediret, ſicuti patrem & patruum cum præclara laude feciſſe meminerat. Verùm hæc ſtudia quanquam digna eſſent eo iuuene, quem palmæ decus accenderet, eum tamen aliquantò longiùs quàm oporteret, à ciuilibus officiis abſtrahebant, à quibus ſatus ac pater iuſſerat, ita abhorrere videbatur, vt ſæpe venatiuoi falconumque aucupiis, ac amatoriis vanitatibus occupatus, actiones Magiſtratuum inſpicere negligeret; alloquia ciuium faſtidiret, & contemptu quodam rarò intraret curiam. Quibus moribus fiebat, vt paternę modeſtiæ, & Etruſcæ frugalitatis obliuiſceretur, obiecerque ſuperbiæ & luxui, atque item libidinibus quibus offendi ciuile decus poſſet, propalam ſe dederet, quum honeſtas quaſdam familias aſſiduo atque licentiore matronarum cultu probroſas effici nonnulli ſuſpicarentur. Sed hæc grauior cæteris labes, quæ proterui atque intemperantis famam premebat, cito deferbuit ex nuptiis lectiſſimæ vxoris Alfonſinæ, quam ex Vrſina gente duxerat; conciliante id coniugium Clarice matre vt ex eadem orta familia. Erat Petrus ingenio patri diſſimilis, vti ſæpe feroci, & tum maximè quum forte meracius biberet, acriter ad iracundiam parato; ſed quòd amœnitate Muſarū & Muſicis concentibus citò molliretur,



& quò luberet, facile flecteretur. Nam à Politiano præceptore inſtitutum erat domi certamen E-
truſcorum Poëtarum, quo nó obſcura laus, ſumma iocunditate quærebatur; quando alternis di-
cerent & ad pacta numeros reſponderent, qui extéporaneæ facultatis plauſum à cit cum ſuſa au-
dientium corona petebant. Latinarum namq; & Græcarum literarum ſtudia, ea tempeſtate Flo-
rentiæ vigebant, ita vt arguti iuuenes Etruſcos rithmos peramœnis floribus adornarant. Hos
mores opima pax ferebat, atque his pacata ciuitas honeſtiſſimè lætabatur; ſed vbi è Gallia terri-
bile claſſicum increpuit, non temerè conceptus pauor eorum inexperti iuuenis animum occu-
pauit: ſic vt facile in conſilio longe omnium grauiſſimo fœdè fatiſceret, & ciues antiquæ me-
mores libertatis, ad priſtinum odium, & in ſpem excutiendæ ſeruitutis erigerentur. Erant tum
Florentini Aragoniis regibus fœdere coniuncti, & cum Alexandro Pontifice ſentiebant. Ingruen-
tibus autem Gallis, ſocius aderat Ludouicus Sfortia, diu antea per legatos Petrum ab Aragoniis
diuellere conatus. Sed Petrus ita comprobante Ciuitate, cenſuit ius fœderis nó eſſe violandum.
Quo decreto Sfortiam vehementer offendit, quoniam aſtuta eius conſilia ab ancipiti, maleq; fi-
do ingenio, ſibi detecta ad Gallos detuliſſet. Amicè enim Sfortiæ legatus in colloquio dixerat,
non ideò euocari Galliæ regem, vt Italiam externis gentibus ſubigendam & proculcandam da-
ret; verùm vt ſuperbi & comminantis ſibi Alfonſi ferocia, infenſiſſimi regis metu frenaret. Itaq;
Petrus repentina per Lunenſem agrum Gallorum irruptione perterritus, ſeræ pœnitentiæ con-
ſilium ſumpſit; ob id quòd Ferdinandus Alfonſi regis filius, in Æmilia alterá Gallorum & Sfor-
tianorum manum minimè ſuſtineret, & claſſis Aragonia Liguriam improſperè tentaſſet, Floren-
tiá profectus, ad Sergianú deſcendenti Carolo obuiam iuit, vt honeſta conditione propoſita pa-
cem impetraret. Sequebantur eo tempore regem planè victoré Laurentius & Ioannes Medicei,
Petro

Petro infenſiſſimi hoſtes, quòd ab eo ex leuiſſimis offenſionibus in exilium acti fuiſſent. Horum deſperatione proceres Gallos ab ſe alienatos Petrus reperiebat; neq; aliter ab rege in amicitiam recipi poterat, quàm ſi arces cuſtodiendas regiis præfectis traderet, quæ erant quatuor, Piſana, Labronenſis, Sergiana, & infra lucum Feroniæ Petraſanctenſis. His obſignatis impetrati fœderis tabulis, Florentini ciues qui in ea legatione ad regem, Petro collegæ aderant, vſque adeò animis exacerbati ſunt, vt à Petro Rempublicam priuati commodi cauſa prodi dictitarent, & in eum concordibus conſiliis conſpirarent. Nec multùm inde Petrus confecto eo negocio, quũ ad exornandas ædes, quibus regem exciperet, Florentinam rediiſſet, & ad Decuriones aſcendere vellet, à Iacobo Nerlio Curiæ ianua eſt prohibitus. Qua inſolentis facti acerbitate perculſum, redeuntemq; domum, populus ſublato clamore, & coniectis lapidibus vſque adeò contumelioſè inſecutus eſt, vt vix mentis compos euadendi fugiendique tumultus conſilium expediret, & ſancti Galli porta, principatu, patria atque penatibus vnius horæ momento excidens, ſeſe eiiceret, Bononiamq; perfugeret, tanta trepidatione, vt vix Iohanni Cardinali fratri, qui cucullati habitum deſumpſerat, vt ſeſe occultaret, elabendi ſpatium daretur. Errauit in exilio integros decem annos, ſæpius contumacia fortunæ ſuæ fallaciſſimos nutus expertus: vnde ei reliquæ opes abſumptæ, & multum æs alienũ contractum eſt, oppigneratis ſcilicet Alfonſinæ vxoris dotalibus bonis. Nam ab initio Virginius Vrſinus, quum acceptà in ſtipendium pecunià eum reducturus, ad Rapolanas aquas vſq; perueniſſet, commutato repentè conſilio, in Apuliam ſe conuertens, ſpem eius infregerat: bienniòq; poſt Liuiani audacis beniuoliq; ducis conſilium ſecutus, ad Romanam portam ita copias ſignaq; promouerat, vt obſeratis repentè valuis excluſus, irrito conatu regredi cogeretur, eo quidem grauiore detrimento, quòd propinqui aliquot ciues, Mediceiq; nominis ſtudioſi, tanquam hoſtilis eius acceſſus conſcij, capite plecterentur. Promiſſis demum Borgiæ Cæſaris ad repetendam patriam perductus, quum ille exercitum ipſis propè Florentiæ mœnibus admouiſſet, non modò conceptam ſpem, votaq; eius fefellit, ſed exiſtimationem exulis & ſalutem in ſummum periculum coniecit. Quòd Borgia malè fidus, rebus clandeſtinè compoſitis, inter conditiones, Petrum tanquam hoſtem iudicatum Florentinis expetentibus traditurus eſſe diceretur. Nec multo pòſt Vitellocio etiã adhæſit, ex nece fratris Florentinis inimiciſſimo, quum is occupato Aretio bellum intuliſſet. Sed eum terrorem valida Gallorum auxilia ab rege Florentinis ſociis miſſa ita ſuſtulerunt, vt Petrus eandem aduerſi conatus ſui ſortem tulerit, vſq; ad Gallicum bellum, quòd Magni Conſalui virtute ad Formias parta victoria confectum eſt. Erat tum in partibus Gallorum Petrus, qui proſtratis fœdeq; deletis partium copiis, vt ſe ad Caietam periculo eriperet, quum onerariũ lintrem conſcendiſſet, & ſecundo Lyri amne deueheretur, in oſtio fluminis ſummerſus interiit: nauigiũ tormentis cumulatè onuſtum, facilè abſorbente irato mari, quum impetu tumentis amnis allidentes, detumani fluctus contrario repercuſſu pulſarentur. Hoc ignobile mortis genus ei meritò accidiſſe pleriq; exiſtimauerunt, quòd in morte Laurentij patris Leonium illuſtrem medicum, indignum prorſus ea immanitate, vt de infelici curatione pœnam exigeret, in puteum præcipitaſſe crederetur. Reliquit auſpicatioris fortunæ hæredem Laurentium filium, quem à Leone Pontifice patruo, eiectis Feltriis, Vrbini principem conſtitutum, ſed non diu eo munere lætatum vidimus: ex quo genita eſt hæc Catherina, quam hodie eruditis moribus excultam, & lætæ prolis fœcunditate perbeatam, in choro Henrici optimi regis Galliæ conſpicimus.

ANDREAE ANGVLII.

Quiſquis es armatã effigiem longámque ferocis
Medici iuuenis ſuſpice cæſariem;
Huius enim Lyris tantum ſe funere tollit
Gallorum, quantum clade fluit tumidus.
Et magni virtute patris Laurentis, Etruſcum
Arnus pacatas in mare voluit aquas.
Hũc gemini decorũt fratres, queis Tybris amœnus
Pontificum titulos, ſacráque ſceptra dedit:
Summiſitque Vmber nato fera colla Metaurus,
Nunc neptim Rhodanus, Moſa, Ligerq́ colunt.

Chriſtophorus Columbus.

QVIS non miretur hac honeſtiſſima fronte hominem, qui inuſitatà animi magnitudine portentoſoq; immenſi ingenij vigore valuerit, aſpero ignobiliq; Arbizolo Liguriæ vico iuxta Sauonam naſci potuiſſe? Hic enim ille eſt Chriſtophorus Columbus, ſtupendi alterius & nullis antè ſeculis cogniti terrarum orbis repertor: quem profectò benigna ſalutarium ſyderum conſpiratione natum fuiſſe exiſtimare fas eſt, vt incomparabilis Liguribus honos, eximium Italię decus, & præfulgidum iubar ſeculo noſtro naſceretur, quod priſcorũ Heroum, Herculis, & Liberi patris famam obſcuraret. Quorum memoriam grata olim mortalitas æternis literarum monumẽtis cœlo conſecrârit. Columbus à prima adoleſcentia diuerſis nauigationibus



patrio more deditus, cuncta emporia, inſulas, littoraque mediterranei maris peragrauit: & vt erat Geographiæ apprimè ſtudioſus, curioſi ingenij neruos omnes contulit ad contemplationem earum naturæ rerum & regionum, quæ terræ globo continentur, adeò pertinaci ſpiritu laboreque, vt ex aſtronomia tropicorum, æquatoriſque & climatum menſuras, totiuſque item nauigatoriæ membranæ, & Magnetis vſum exactiſſimè perciperet, inflammatuſque ſtudio atque admirabili cupiditate explorandi Oceani raperetur, vt poſitos columnis Herculeis terrarum limites irrideret. Nec inanibus coniecturis alias omnino terras ad occidentem Solem exiendi prædicaret, quarum Plato ipſe, & Seneca, & plerią; alij Græcorum & Latinorum nonnulla expendenda Coſmographis argumenta reliquiſſent. Ea quoque ſpe Columbus magis ac magis implebatur, quòd paulò antè patrum noſtrorum memoriâ, à viro Gallo, cui nomen fuit Bethancor, Inſulas Fortunatas, & à Luſitanis Heſperides, vltra Viride promontorium repertas eſſe didicerat: ſuperatumą; demum eſſe Henrici Luſitani regis claſſe, extremum Æthiopiæ promontorium, quod Bonæ ſpei nomen tulit, vltra Capricorni circulum Antarctico polo ſubiectum. Inuidebat profectò hanc gloriam externis gentibus homo Ligur, elato pertinaciq; ingenio, iniquè ferens Ligures, qui in ueterana naualis diſciplinæ authoritate, & laude cunctas nationes anteirent, præoccupato ab aliis auſu, occaſione ingentis parandi nominis ſpoliari. Hæc eius vota aliquandiu delata ad reges, & ſemper reiecta, ad extremum Hiſpaniæ rex Ferdinandus ſic impleuit, vt adductus perſeuerantia peritiſſimi hominis, quinq; naues ab ſe impetrari pateretur. Quanquam id concedendæ expeditionis munus, plerique non periculoſum modò, ſed planè inſanum & impium eſſe prædicarent, vaſtiſſimis Oceani fluctibus naues & Hiſpanos homines committi ad libidinem vani Liguris & decoctoris, qui vitæ ſuæ iacturam parui duceret; ſi in eadem

pericula

periculo multi ipſo peritiores nautæ, fortioreſq; homines perducerentur. Itaq; Columbus cum paulò minus ducentis hominibus Hiſpanici generis è Gadibus ſoluens, inter occidentem atq; meridiem curſum tenuit, aquatuſq; apud Fortunatas Octobri menſe, in dextrum vela flexit, & ſulcato per multos dies Oceano, nuſquam apparentibus terris, conſpiratione nautarũ penè oppreſſus eſt: cùm peregrini vnius amentię vniuerſam omniũ ſalutem, deſperato nauigationis exitu minimè credendam arbitrarentur: quando infinitus pateret Oceanus, nec ſuffectura eſſent alimenta, ſi ſerò pœnitentibus redeundum in Hiſpaniam eſſe decernerent. Sed eos vel atrociſſimè conſternatos ſacramenti militaris ſeuerè admonuit, quo regi fidem dediſſent, ſe nuſquam ab authoritate imperioq; ipſius eſſe diſceſſuros: multiſq; rationibus oſtendit, certam eos proditionis pœnam in Hiſpania ſubituros, ſi temerè ſummi commodi, ſummæq; gloriæ cœpta, & feliciter ad finem penè perducta, timiditate inani, aut importuno incertæ mortis horrore perturbarent. Vix dum ſociis naualibus pacatis, & ad officium redeuntibus, Columbus volantes aues conſpexit, prædixitq; non longè abeſſe terras, è quibus illæ euolaſſent. Nec eum fefellit opinio: breui enim peruentum eſt ad Inſulas ferè innumerabiles, maximamq; earum adeuntes, valde nemoroſam, & luſciniis, & pſitacis refertiſſimam, ſed humano carentem veſtigio, Guadelupeam vocarũt. Inde perpetuis prouectus Euris, atque his vno tenore perflantibus, ſecundiſſimo curſu, quòd nuſquam fluctus inter ſe refringantur, ad Inſulam ingentem, nomine Hiſpaniolam peruenit. Ea diſtat à Gadibus rudi ſupputatione, milierium Italicorum circiter quinq; milibus, Cancriq; Tropico ſuppoſita, in longitudinem tota proſcinditur: refertq; caſtaneæ folij formam, magnitudineq; Britanniam excedere perhibetur. Eius inſulæ gentes Columbus blandis nutibus atq; munuſculis ad ſe facilè pertraxit, didicitq; ex mulierum inauribus, & quibuſdam armillis, auri copiam in ea reperiri, quum omnium rerum ſegetiſq; præſertim ſint inopes, captuq; ingenij adeò ſimplices, vt literarum prorſus mediocriumque artium ſint ignari, vtpote qui nocturnos lemures adorent, quos nunquam viderint, ſed inerrare domiciliis eorum noctu perſuaſum habeant, qui arbitri vitæ ſimul & fortunæ cuncta bona pariter & mala mortalibus diſpenſare ſoliti ſint. Horum ligneæ ſimulacra, inciſorio pyritæ lapide vſi rudi ter effingunt, religioſeque venerantur, Zeminos appellantes vtrinſque humanæ ſortis largitores. Hos populos tormentorum portento, aſpectuque velificantium nauium territos & ſtupefactos, facilè ad venerationem Chriſtianæ crucis induxit, fœdereq; icto cum aliquot præpotentibus inſulæ regulis, cognouit manare aureas harenas ex amnibus, qui ex præaltis montium iugis in Oceanum deferentur. Itaque contentus hoc bene auſpicato nauigationis initio, relinquere apud regulos ex ſuis Hiſpanos homines, totidemque ab his indigenas mutuæ fidei obſides accipere, reuertique in Hiſpaniam ad regem conſtituit. A' quo demum perfuſo tantæ felicitatis gaudio, quadruplo maiorem claſſem impetrauit, vt reliqua ſcrutarentur, aggregantibus ſe ei certatim Hiſpanis, tanquam ad certam prædam ex aurea gleba ire properantibus. Hac ſecunda nauigatione Columbus, Amirantis regijque præfecti nomen promeritus, eas quas innumerabiles diximus inſulas, partim deſertas, partim ab immani & truculenta Canibalum gente incoli, Piraticiſque eorum latrociniis cuncta infeſta eſſe didicit. Ij mortalium cruentiſſimi atque efferatiſſimi humanis veſcuntur carnibus: nullum numen adorant, nullum æquitatis ac humanitatis ius colunt; conſtuprant fœdè mares, & venenatis inſtructi ſagittis, remigantes in alueis vniligneis longiſſimè prædantur. Cæterùm Columbus recto curſu ab Hiſpaniola ad occidentem pertendens, inſulam Hiſpaniola duplo maiorem apprehendit: quam propter longitudinem, ab initio continentem eſſe crediderat; ſed anfractibus alue enormi flexu ſuperatis integrè circuiuit, & Cubam appellauit: pari auri copia & ſimplicitate incolentium Hiſpaniolæ perſimilem, atque inde demum in aduerſam ingentium terrarum & regionum continentem ad Auſtrum ſitam, Boreæ flatibus appulſus tenuit. Hunc terrarum incogniti ante orbis tractum æqua fronte Septentriones ſpectantem, & introrſus ſub æquatore ſitum, alij Sanctæ crucis terram, alij Pariam, alij Darienem vario in loco vocauêre. Columbus oſtium immenſi fluminis ſubiit, quod ideo os Draconis appellatum eſt, quoniam tortuoſis vorticibus nauigia abſorbere poſſe crederetur. Eius terræ gentes Antropophagos eſſe, nec vllis donis manſuefieri poſſe compertum eſt; veſtiti hoc verſicoloribus pſitacorum pennis; arcubus & ligneis clauis præliari: noſtrorum acies periculo facto reformidare, atque refugere in nemoroſas latebras conſueſſe, conſtabat. Tot aditis exploratiſque gentibus Columbus, factus mortalium celeberrimus; non vno in loco conſtitutis legendi auri officinis, multiſque caſtellis ad præſidium ædificatis, atrocis inuidiæ ictus effugere non potuit: Accuſatus enim ab Hiſpanis innatæ crudelitatis & auaritiæ, cauſam pro ſe dicere coactus eſt, felici quidem euentu, confutata æmulorũ malignitate, quum ab Rege gratiſſimo atq; iuſtiſſimo præfecturam Hiſpaniolæ fratri impetrârit; ipſeque non multo pòſt auctus opibus, & ſua fama felix, quum tranquillè ſeneſceret, in Hiſpania obiit, relinquens aurifera regna, audentium Hiſpanorum virtute proferenda, vti mox euenit ad ſummè Hiſpaniæ felicitatem. Sic vt Columbus dignus omnino videri poſſit, qui à Liguribus præſentia potius quàm vetera hodie mirantibus, luculentiſſima ſtatua Genuæ decoretur.

IANI VITALIS.

Tu maris & terræ trās cognita clauſtra Colūbe,
Vectus naue cita penetraſti
Ignotos populos, atq; abdita maxima regna
Antipodumq; orbem extremorum.
Hic alia ventorum anima tua lintea leni
Impleruntt Aquilone, nec alto
Fulſerunt Helices clariſſima lumina cælo,
Nec vertet mare triſtis Orion,
Hic legem accipiunt mitem Zephyrq; Notiq;
Aequora nec tolluntur in altum.
Tu gentem incultam quarū vel pomifera arbor
Numen erat, vel purpureus flos,
Vel fons irriguus liquidis manantibus vndis,
Formas vera religione.
Tu vitam humanā inſtituis, tu mœnia & vrbes
Stare doces opulentas,
Et parere grauidam non vno è ſemine terram,
Et connubia iungere certa.
Vnde etiam extremis latis cum vocibus Indi
Te memorant, patremq; ſalutant.
Salue non Ligurū modò, ſed decus orbis, honorq;
Noſtri ſecli magne Columbe,
Cui meritò Iouius Heroas dedicat inter
Nominis æterni monumentum.

Aſcanius Sfortia Cardinalis.



ASCANIVS

ASCANIVS Sforzia, ſenatoriæ dignitatis ſupremum decus, quanto nunquàm antea vel poſteà ſit viſum, ornatiſſimo familiæ delectu cultuque, officioſiſſimi nominis authoritate, & rerum omnium apparatu opulentiſſimo, ita expreſſit & impleuit, vt multorum iudicio ſacrati viri exiſtimationem atque amplitudinem ſupergreſſus eſſe cenſeretur. Nam poſt eius mortem obſoleſcente ſenſim Pontificiæ aulæ maieſtate, conſpirationeque inuſitata quarundam gentium eneruatis Romanis viribus, vſque adeò iactata deſpectaque eſt religio, qua ſacræ opes nitebantur, vt neminem poſtea vel maximum Cardinalem ei æquari poſſe fateamur. Nam ſi vnis diuitiis, vniſque tantùm fortunæ muneribus potius, quàm animi virtute & dignitate morum illuſtrium ſacratos viros omnino æſtimandos & ſuſpiciendos exiſtimemus, nemo ferè Aſcanio veniet comparandus. Lectus fuerat in ſenatum à Xyſto Pontifice commendatione Ludouici fratris, qui Catharinam Galeacij germani fratris filiam Hieronymo Riario Pontificis propinquo nuptui dederat. Inde Aſcanius opimis ſacerdotiorum redditibus, ipſoque patrimonij cenſu ditiſſimus euadens, eum in Vrbe tenorem vitæ inſtituit, vt domo maximè hoſpitali, egeniſque perbenigna, & erga omnes inſigni præditos virtute apprimè liberali, ſumma beneficentiæ fama potiretur, eſſetque aliquanto principi propior, quàm ſacrato ſacerdoti, quòd ante omnia venatoriæ voluptatis & nobilioris aucupij exercitationes regio ſumptu ſtudioque perpetuo tueretur. Hoc tanto nomine prouectus, diu facilè principem inter ſenatores ſe geſſit. Sed authoritate atque opibus, & noua denique gratia auctior euaſit, quum ab exceſſu Innocentij octaui Pontificis comitia rexiſſet. Circumductis namque ſuffragiis, ad Borgiam totum ſe conuertit, emptoſque proculdubiò profuſiſſima largitione, vt ille omnium deterrimus pro optimo Pontifex renunciaretur, adhortator & author præclarus extitit: quum nonnulli eius ordinis candidati, Borgia potiores repulſam tuliſſent, qui Hiſpanum occultæ malignitatis ſummæque ſimulationis hominem exitio cunctis futurum, ſtultiſſimè Pontificem creatum nequaquam falſi vates denunciabant. Cæterùm Aſcanius, qui domum Borgianam peramplaque munera ex ea ſuffragatione fuerat conſecutus, aliquot poſt annos exitialis amentiæ ſuæ pœnas dedit. Nam Alexander, vt filium Cæſarem Borgiam ad ſummas opes proueheret, cum Galliæ rege Ludouico in perniciem Sfortianæ & Aragoniæ domus conſpirauit, tanta immoderati animi acerbitate, vt cunctos Italici ſanguinis regulos expellendos auitis imperiis, & ſceleſta manu pernecandos ſuſciperet. Itaque Aſcanius cum fratre Ludouico Gallicis impar armis, eo euentu in Germaniam profugit, vt cùm mox Heluetiis fretus armis Mediolanum repetiſſet, Ludouico fratre ad Nouariam ab hiſdem Heluetiis fœdè prodito, ipſe coniectus in fugam prodente eum pari perfidia Conrado Lando Placentino, ad Ripaltam Caſtellum ſupra Trebiam, Venetis equitibus traderetur. Exinde perducto iam in Galliam fratre, quum aliquandiu Venetiis præalto in carcere cuſtoditus eſſet, repetente eum Ludouico rege in Galliam pertrahitur: ſed triennio pòſt, quòd mortuus eſſet Alexander Pontifex, Romam à Georgio Amboſio Cardinale perductus eſt: quoniam maximè idoneus putaretur in toto comitiorum negotio conciliandis ſuffragiis. Nam Georgius non obſcoro ambitu ad Pontificatum aſpirabat: ſed fata Pio tertio Pontificatum detulerunt, ſimul & celeriter eripuerunt: pauciſſimis namque diebus exceſſit è vita, inſtauratiſque comitiis, Iulius ſecundus Pontifex ei ſuffectus eſt. Hic Aſcanium, Amboſio fruſtra contendente in Galliam abduci vetuit, quòd indignum eſſet ſacerdotem nihil tale meritum, paternique imperij fortuna expoliatum in carcere cuſtodiri. Per hunc modum Iulij beneficio liber factus, & priſtinæ reſtitutus dignitati, quum ad repetendum Mediolanenſe imperium, ingenti ſolertique ingenio conſilia contuliſſet, conſcioque Conſaluo magno, & Liuiano adiutore Gallis bellum moliretur, veneno ſublatus triduo interiit, eò minus infelix, quòd diri Pontificis teterrimam necem epoto temerè veneno, quod conuiuis erat deſtinatum, vidiſſet. Eum aduerſus tot fortunæ contumelias infracti animi laudem meritum, Iulius marmureo ſepulchro honeſtauit, quod ad Flumentanam portam in templo Deiparæ virginis conſpicitur.

PAVLI AMANII Cremenſis.

Hæc eſt quam mira depictam conſpicis arte
Auguſta Aſcanij effigies, magni illius inquam
Sfortiadæ, cui non vultu fortuna minaci
Vnquam animi effregit vires: eſt Gallia teſtis,
Hadriaciq́ maris domini, qua mente ſuperbū
Quàm forti tulit imperiū, captiuus & hoſtem,
Quàm ſe prudenti ſana à ditione redemit
Conſilio, ac tandem Italiam vacuàsq́ reuiſit
Summi Pontificis ſedes, & Tibridis oram,
Ipſe vbi erat ſacri dec⁹ & pars magna ſenat⁹.
Quòd ſi non atris peperiſſent pocula ſuccis
Dirum illi exitiū extremos tetigiſſet honores:
Aſt illum huc virtus, illuc ſua fata trahebant.

Ludouicus Sfortia Mediolanenſium Princeps.



LVDOVICVM Sfortiam Mediolanenſium principem, cui Moro cognomen fuit, nequaquā à fuſcedine oris, quòd eſſet æquo pallidior ita vocatum ferunt, verùm ab argumento, quòd pro inſigni geſtabat Mori arboris: quæ idcirco ſapientiſſima arborum cenſeatur, quoniam tardè & non prius germinet & floreat, quàm hyemis iniuriam effugerit, ſtatimque turo partu ocyſſimè fruticet, quaſi hoc ingenio ſuo eſſe inſitum indicare vellet, in omni actione nonquam properè, ſed grauiter conſilia inire, atq; ea ſicuti oporteret, maturè & celeriter explicare. Verùm id poſtea geſtamen comprobante euentu longè vaniſſimū extitiſſe videmus: quandoquidem à tanta opinione prudentiæ, nihil demum ſibi ſapere fit viſus, quū exutus principatu, miſerrimus omnium mortalium clathrato in carcere perierit. Erat eo ingenij inſtinctu Ludouicus, vt omnem ingenitæ prudentiæ vim, ſubtili aſtu, & molto ſimulationis artificio muniendam arbitraretur: propriaque item vota contegere, diſſimulanter mentiri, fallere ex commodo, atque traducere ſimpliciores homines, ex diſciplina officioque non inſulſi principis eſſe putaret: quoniam adaperti & liberè ſentientis perſona, inexpectatis ſæpe iniuriis nimis expoſita crederetur. Cæterùm in eo vigebat facundia illuſtris, nonnullis liberalis doctrinæ præceptis temperata, & grauis, quam oris & corporis habitus apprimè generoſus & excellens magnopere commendarent: quibus dotibus coniuncta erat congreſſus & alloquij nonquam fucata facilitas, vt perhumaniter reſponſa daret plena grauitatis & æquitatis: in neminē iratus aut aſper:

vrporaq; qui ſubamara & ingrata his qui peterent, quodam ſobriæ iocunditatis lepôre mitigare conſueſſet. His moribus per multos annos aut fratris filij tutor, aut eo demum ſublato princeps appellatus, imperium cum inſigni gloria dignitateque Sfortiani nominis rexit, conſilio potius ſemper viſus, quàm expeditis armis, quòd ex incommoda valetudine vir natura nec bellicoſus, nec acer, ab armorum exercitatione ſtudioque facilè diſceſſiſſet; diceretque ſoleret ſcriptorij calami, quàm ferri aciem plerunq; efficaciorem habere vim in gerendis adminiſtrandisq; bellis, quæ ad præliorum aleam vel multa cum ratione deducta, inopinatas ſæpe calamitates dimicantibus importarent. Quibus inſtitutis atque conſiliis, quum arridente fortuna ſingularem non inanis gloriæ ſuæ fructum perciperet, & foris prudentiæ nomine magnus & clarus haberetur, mirè ſibi placere poterat, quòd ab initio tutela fratris filij depulſus, & Piſas relegatus, ea authoritate rediſſet, vt inimicos, Ciccumq; præſertim Simonetam authorem exilij capite damnaret, eiectoq; dolis Euſtachio vetere fideliq; cuſtode, Mediolani arce potiretur, ac Heluetios & Sedunos arroganter ad Domoſſulam irrumpentes, cruenta illata clade reprimeret, & egregia demum cum laude ex Gallico bello poſt ſæua pericula honeſtiſſimam pacem ſibi atq; Italiæ peperiſſet: ſupra id quod maximè decorum videbatur, principatus ornamenta & titulos à Maximiliano Cæſare fuiſſet conſecutus. Verùm vbi Carolum regem immatura & repentina morte ſurreptum, quo cum tuta pax vigebat, illi autem Lodouicum Aurelianum veterē hoſtem ſuum ſucceſſiſſe didicit, ingenti metu præſagientis animi ita correptus eſt, vt pauor qui ei fatalis erat, ægrè diſſimularetur, ſed nihil tamē in eo mentis rationem eliderer. Omni ſiquidem ingenio atq; ope celeriter contendit, vt ea imminens ab Alpibus clades auerteretur. Verùm Diis inultis præſidia paratq; omnia fruſtra fuerũt. Nam Gallus deſumptis ſtatim regiis inſignibus, auido atq; antepatato animo ad Italiæ totius imperium aſpirans, cum Alexandro Pontifice, Vanatóq; Senatu exitiale toti Italiæ & Galliæ maximè funeſtum fœdus percuſſit. Nec Veneti cæca proferendi imperij libidine in ..., à ſupplice exorari potuerunt, quin accerſerent ab Alpibus Gallos, ipſis demum certam perniciem allaturos, quòd apud Senatum recentis offenſionis dolor, quo ereptum ſibi Piſanum imperium querebantur, plus valuiſſet, quàm Balneolanæ pacis memoria, qua Sfortiæ induſtria, grauiſſimi belli metu atque periculo liberati fuiſſent. Quamobrem Ludouicus impio certè, ſed neceſſario conſilio Baiazetem Turcarum imperatorem contra Venetos concitare coactus eſt, quum à Maximiliano Cæſare auxilia deſperaret, qui tum Gallorum opera Heluetio bello premebatur, & Federici Aragonij auxilia æquo remotiora, & languidiora fore perſpiceret. Conatus demum eſt cum rege hoſte grauis tributi pactione pacem redimere, vt ſibi autum liberiſq; ſuis paterni dominatus poſſeſſio, iuraque relinquerentur. Sed has conditiones, quæ dubij belli pericula tollerent, & antiqua Aurelianæ domus iura confirmarent, ab initio auribus libenter admiſſas, rex poſtea inſolenter reiecit, quòd vndique vim ac inſidiatores in Sfortiam comparaſſet, quos ille procul dubio non diu ſuſtinere poſſe iudicaret: in eius rei negotium enixè ſatagente Triuultio, qui peculiari incenſus odio, Sfortiani nominis capitalis erat hoſtis. Is manebat in præfectura apud Aſtam Aureliani vrbem, & cũcta quæ opus erant ad bellum impigrè callideq; parabat. Nec multo pòſt Obegninus atq; Ligninius clariſſimi duces cũ iuſto exercitu magnoq; tormentorũ apparatu in Italiam miſſi, Sfortianos vrbe Alexandria depulerunt, fœdè profugiente Galeacio Sanſeuerino, qui adulterinis Calatini fratris literis, Mediolanum in medio ardore belli perfidioſè fuerat reuocatus: ſic vt inopinata profectione omnes ferè copias deſereret, Galliſque fœdè relinqueret, & ſerò de fratris perfidia conquereretur. Eo nuncio & defectione Calatini ad Gallos, importunè terrefactus Sfortia, ideoque conſilij factus inops, properè in fugam ſe coniecit, quòd vndique perfidiam timerat: & tum fortè Simon Horrigonus Inſuber æquè perfidioſus & ſceleſtus ad interficiendum principem fruſtra ſummiſſus, Landrianum ærarij præfectum trucidaſſet, in quo expediendæ pecuniæ ratio omnis ſita erat. Fugientem cum liberis Aſcanioque fratre Comenſes receperunt, apud quos concionantem admirabili conſtantia, & de conſiliis ſuis multorumque perfidia diſſerentem, ego tum puer maximè ſum admiratus. Atque inde miſer, & à multis deſertus Lario emenſo, & ſuperato Abdua monte, quem montem Graium hodie vocant, vnde Abdua profluit, in Germaniam eſt profectus, paucisque inde diebus quum eſſet ad Bolzanum in Rhetia, Mediolanenſem arcem nefaria proditione Bernardini Curtij clientis ſui Gallo traditam cognouit, ſimulque occupatam à Venetis Cremonam, pari perfidia tradente arcem auariſſimo cuſtode, cui Bataleoni nomen fuit. Dum in Rhetia Cæſarem conueniſſet, & de reditu conſultaret, inter multas belli deliberationes, grauem ſibi pecuniæ iacturam imminere proſpexit, quòd ea à Cæſare auidius expeti, neque auxilia maturè expediri viderentur. Itaque comprobante Aſcanio, priuſquam auri inopiam ſentiret, conandum ſibi aliquid exiſtimans, Heluetiis & Griſonibus inter ſe fœderatis, & mercenariis gentibus ſe commiſit. Hi namque expeditas legiones, quibus eum reducerent, pollicebantur, quòd iam inuiſum Inſubribus Gallicum nomen eſſe cœpiſſet. Nec mora, adiuncto etiam ſibi Sequanico equitatu, ab Alpibus Rheticis deſcendens, à Comanſibus, Mediolanenſibuſque lætiſſimè receptus eſt, Lignimio nihil obſiſtente, & cum Gallicis præſidiis vltra Ticinum profecto. Sed quum Ludouicus in exe-

pugoanda Nouaria aliquot dies abſumpſiſſet, nooa Gallorum auxilia Tramulio duce ſuperuenerunt, & com his multò plores & fideliores Heluetiorum cohortes, quàm eſſeot apod Sfortiam. Ab his vſqoe adeò grandi Gallica largitione deprauati ſunt cuncti ferè Duces, qui Sfortiæ militabant, vt nullo pudore contra ſacramenti militaris fidem, eum ante receptæ Nouariæ mœnia Tramulio tradereot. Commonſtrarunt eum Heluetio habitu inter phalangis ordines gregarij militis ſpecie traductum, Rodulphus Longus Griſo, & Gaſpar Silenus Heluetios. Pari quoque perfidia Sfortiam deſeruere Sequaoi & Burgundi equites, quos mercede coniunctos adduxerat, Aloiſio ſcilicet Valdreio Baſtardoq; Roſſio ducibus, Ligninij opera atque pecunia corruptis. Perductum in Galliam rex Gallus accuratis precibus expetentem, vt victorem regem venerari ſibi liceret, ad ſe perduci vetuit, quanquam eum poſtea ex itinere prætoriani equitis inſignia, atq; arma mentitus, intentis oculis ſpectarit extra clemeotiæ pudorem, quum regię humanitatis in captiuom penitus obliuiſcendum putaret. Natura enim prædutus, & recenti ſuo effenatus carcere in Locenſem turrem, erepto ſcribendi ſolatio miſerum inexorabili ſæuitia coniecit, ita vt qoinio tandem anno vexatus, icterici morbo diuturnã miſeriam morte effuderit. Audiui ego poſtea à Petrofranciſco Pontremulo, qui in eadem cuſtodia fidus comes, perpetoo ſeruitio Sfortiæ fuerat conceſſus, eum totius infortunij ſui miſerias virili pioque animo pertuliſſe, ſæpeque dixiſſe, hanc ſibi pro veteribus delictis extremæ calamitatis pœnam à magoo Deo fuiſſe impoſitam; poſtquam conſilia ſua humanæ plena prudentiæ, oihil aliud quàm occulta vis fati præuertiſſet: ita vt in ea vnam diræ neceſſitatis cauſam referret, quòd amici & ſocij penè omnea vel ſommis obſtricti beneficiis, fidem impudentiſſimè fefelliſſent, præter vnum omnino barbarum Baiazetem, qui ex condicto Venetis terra marique arma inferens, ſibi promiſſa, quanquam ſera auxilia, in ipſam vſque Venetiam tranſmiſiſſet.

PAVLI IOVII Iunioris.

Quantam ruinam præcipiti dabis
Lapſu, ſonantis tacta Iouis manu
Turris, quæ ab excelſa minetur
Mole, Deis, medioq; cælo,
Sic concitatus, quos rapuit furor
Regni parandi atq; ambitio mala
Euexit ad ſummum cacumen,
Sæpe ruunt grauiore caſu.
Nam te quid olim conſilium iuuit?
Quid eum doloſi pectoris artibus
Aſtus iuuere, atq; in periclis
Ingenij experientis vſus?

Felix cruento SFORTIA prælio
Si concidiſſes, nec miſerabilis
Fœdum exitum vitæ vidiſſes;
Quum patria, ſolioq; auito
Expulſus, altè in carcere Gallico
Pœnas dediſti, quòd nimis improbus
Non tutor, at crudelis hoſtis
Prœripis imperium nepoti.
Ergo inſolentem pone ſuperbiam,
Qui fidis alis viribus ingenij
Fortuna ſic gaudet iocari,
Vertere quum cupit ima ſummis.

Cæſar Borgia Valentin. dux.

CÆSAREM Borgiam, qui ſanguinario ingenio, immaniqoe ſæuitia veterea tyrannos æquaſſe cenſeri poteſt, viroſo ſanguine, execrabilique ſemine progenitum ferunt; quòd faciem atro rubore ſuffuſam tuberculis, qui ſaniem leuiter expuereot redundantem, oculoſque introrſus recedentes, & atroci vipereoqoe obtutu ſcintillantes ac igneos oſtenderet; quos nec amici quidem & familiares contuendo ferre poſſent, quanquã eos inter fœminas iòcabuodus, mira commutatione ad lenitatem conuertere conſueſſet. Cæterùm artus reliqui ad decorem egregiè reſpoodebant, quum ei eſſet habile corpus, valida neruorũ compage firmiſſimum, quod tam aptè quàm impotenter ad cuoctas pedeſtris & equeſtris armaturæ, ludorumque omnium exercitationes afferebat; vtpote qui longiſſimè & peritiſſimè iaculari, in palæſtra vel robuſtiſſimum queoq; proſternere, currentem in arena taurum voo machæræ ictu decollare didiciſſet. Suſceperat eum in minori fortuna Rodericus pater, ex Vannotia Romana, quam à formæ venuſtate, & morum illecebris, miraque demum fœcunditate legitimæ propè vxoria loco habuiſſe conſtat. Vigebat adoleſcente io Cæſare peracutum & erectum ingeoium, propterea q; miſſus fuerat Piſas, vt in Gymnaſio iuri ciuili operam daret. Sed vbi pater Pontifex eſt renũciatus, in Vrbem properè rediit, galerique porporei dignitate collata in Seoarum cooptatus eſt: quem honorem poſtea faſtidiuit atque reiecit, quum ad firmiores opes magnaque imperia effreni libidine raperetur. Primom omoium permutati ingenij & fluxæ fidei documentum præbuit, qoum à Carolo Gallorum rege Neapolim contendente, cui à patre Pontifice legati ſpecie, comes & obſes datus fuerat, è Velitris Romam profugiſſet. Exinde armorum ſtudio teneri, contemoere galeri decus, & Candiano fratri, qui ductaret exercitum, inuidere cœpit, eo quidem inſanæ æmulatio-



æmulationis exitu, vt ipſo fratre Candiano, quo cum hilariter apud matrem cœnarat, iugulato, proiectoq; in Tyberim, ſetotum à ſenatorio ordine, abdicata purpura, & deſumpto militari ſago ad arma transferret, & Pontificiis copiis præficeretur; conniuente prorſus ad immane parricidij ſcelus patre Pontifice; qui & ipſe vim ſibi afferri ab efferato filio proculdubiò metuebat. Itaque ſublato principatus æmulo, quod ita ad explendas cupiditates expediret, Gallis ſe coniunxit, fecitq; ſponſalia cum Carlota Albretæ familiæ regij ſanguinis puella, apud Aquitanos pernobili. Tum enim Pontifex totus in eam incubuerat curam, vt ingentes filio opes, peramplaſq; imperij facultates, vel ſumma cum iniuria pararet: eiectis primò Vrbe Latioq; Columniæ familiæ proceribus, Vrſiniſq; demum inſigni dolo pernecatis, & excìſa propè Caietanorum familia, quum eius proceres, occupato eorum dominatu, veneno aut ferro ſuſtuliſſet. Verterat quoque eandem ſæuitiæ atq; perfidiæ rabiē in reliquos Pontificiæ ditionis regulos, quatuorq; ſimul Camertium proceres Varaniæ antiquiſſimæ ſtirpis ſtrangularat: Guidonem Feltrium Vrbino pepulerat: Ioannē Sfortiam Piſauro adempto, paratā cædem effugere coēgerat; expulſis etiam Arimino Malateſtis. Et quum Galliæ togatæ imperium affectaret, Catherinam Sfortiam Hieronymi Riarij quondam vxorem, Gallicis fretus auxiliis, Foroliuio & Forocornelio deiecerat, captamque conſtantiſſimi animi fœminam, magno probro, & parum virili ſuperbia in triumphum Romam perduxit. His tantis belli ſumptibus, quum ſacroſancti ærarij pecunia minimè ſufficeret, opulentiſſimum quenque ex aula ſacerdotem, & in his aliquot Cardinales veneno tollendos curabat, vt eorum diuitiis in Fiſcum redactis potitus, profuſiſſimè largiretur. Vna enim liberalitate qua milites ſibi obnoxios & fidos redderet, famam quærebat, ita vt quum aſciuiſſet ſibi in ſtipendium multos vndique manu promptos, & ex ſecunda claſſe Romanorum ciuium cenſu atq;

audacia præpotentes, affectare Romanæ ciuitatis imperium, Vrbem Hiſpanis inquilinis replere, & per eos nobiliſſimi ſanguinis proceres, quos eieciſſet, diu arcere è patria ſperaret. Hæc cum impio patre cogitans, attonitis in Vrbe noctu vagabatur, quum nuſquam interdiu viſeretur, quoniam lucē libenter effugeret, ne deformis & truculentæ facies ſpectaretur. Nouiſſimè tot cędium cruore nondum ſatiatus, Aſtorem Manfredum, quem Fauentia expulerat, quòd eſſet decorus adoleſcens, ſceleſtè & immaniter prius conſtupratum, & mox fracta ceruice necatum, Tyberi merſit. Hanc infamis ſeculi peſtem quū neq; Dij, neq; homines ferre poſſent, fatalis Pincernæ error ad præclaram magni numinis prouidentiam vtrunq; ſuſtulit, quum in Vaticana villa cœnantes, ex medicata Falerni vini lagæna, parataq; ad exitium nonnullis Cardinalibus conuiuia, venenum bibiſſent. Pater ſenex non diu veneni vim ferre potuit; at ipſe qui dilutius bibiſſet, atrociſſimo, ſed nō lethali morbo correptus eſt; ſic vt magnis conſeptus copiis dux acer, ſibi vſui eſſe nequiuerit, dilabentesq; copias, & duos veteres hoſtes pauciſſimis diebus Pontifices creatos viderit. Sed Iulius hominem vel mille neces meritum, quem in mole Hadriani cuſtodiri iuſſerat, ea pactione dimiſit, vt togatæ Galliæ arces reciperet. Elapſus itaq; Cæſar ab Oſtia nauigio Neapolim peruenit, vbi à Magno Conſaluo iuſſu regis comprehenſus eſt, atque in Hiſpaniam deuectus; ne vir bellicoſus, quum ad eum magnus militum cōcurſus fieret, recentis in Italia partæ pacis tranquillitatem turbaret. Ad extremum Cæſar poſt tertium annū deceptis cuſtodibus è Medinæ arce funibus ſe deiecit, beneficioq; Beneuentani reguli nactus equum, ad Ioannem Cantabriæ regem confugit. Apud hunc, armis cum Alarino regulo contendentem, militans, quodam tumultuario prælio ad Mendauiam victor, glande traiectus concidit; ſic vt non agnitus, & exutus armis qui triumphum meruerat, ad regem nudus ſarcinę modo vili iumento impoſitus, pendentibus brachiis & cruribus referretur. quo exitu ferox animus corpore excedens lætari potuit, quum ea victima nō hoſti ignoto, ſed manibus tot inſignium procerum, quos crudeliſſimè pernecaſſet, acerbiſſimis tormentis dilaniata omnino mactari debuerit. Sepultus eſt Pompelonæ, arguto Hiſpani poëtæ carmine honeſtatum, quod Latinè poſtea Antonius Vacca ad eandem ſententiam ſic vertit:

ANTONII VACCÆ.

Terræ qui modò terror vniuerſæ
Valentinus erat, ſepultus hic eſt.
Tantillo hoc ſpacio quieſcit, orbem
Bello qui potuit mouere totum.
Hoſpes qui freta longa, quiq; terras
Curris, res auidus notare dignas,
Siſte hic aduenienſ gradum, neq; vltra
Iam quoquàm properes; videre maius
Toto nil potes orbe dignumq;
Quàm quo tantus homo iacet ſepulchrum.

ANDREÆ ANGVLII.

Heu quantum fuerat ſatius, dux maximè Cæſar
Borgia, tam claris Romæ natalibus ortus
Hiſpano patre, magnarum puer indole fulgens
Virtutum, & iuuenis donatus honore Galeri
Purpurei, nunquam tam fœde inſignia tanta
Tu deſpexiſſes; regnandi dira cupido
Inuaſit, quum te rorantem ſanguine fratris,
Vel ſaltē eſt animū aggreſſus quū bellicus ardor
Ille tuum, priſcos quo æquaſti Marte Quirites,
Totq; duces, validasq; acies, totq; oppida et vrbes
Viciſti, induit mentemq; animumq; tyranni
Aut nihil, aut Cæſar demens iactare ſolebas.
Debueras pro fama æterna, pro laude perenni
Prælia tractare, vt Romæ celeberrimus olim
Mos fuit; at nō illa inhians & ſanguine & auro
Exercere, domo dominosq; expellere auita,
Totq; horrenda animo committere funera ſæuo,
Quæ pudor Hiſpano me ortū genitore, Quirini
Inq; vrbe, & tectis hiſdem tam fœda referre
Nunc prohibet; ſacri quū ſpreti iniuria honoris
Magna olim edocuit mortales fataq; ſuperq;
Cantabria miſer vt cecidiſti inglorius agro.

Nicolaus Vrſinus Petiliani Comes.

HOc honeſto caluitio deraſaq; barba, & vetere leuis armaturæ cultu, Petilianus maximè vigilantis, & verè ſtatuarij ducis ſpecimen præbebat, quum Venetis militaret & Vrſinæ familiæ decus, poſt enectum Neapolitano in carcere Virginium, illuſtri armorum ſtudio tueretur. Is plura ſtipendia vario militiæ munere Pontificibus, Florentinis, atq; Aragoniis fecit; cautiq; ſemper & egregiè conſtantis famam eſt conſecutus. Bis aliena potius perfidia, quàm ſua culpa in poteſtatem hoſtium deuenit; ſemel ad Ceſenam Ferdinando Aragonio militans, quum fortè ad vrbis Decuriones pro expediendis commeatibus aſcendiſſet; eum namque inermem & nihil tale ſuſpicantem Guido Guerra vir factioſus & inſolens comprehendit, fruſtra reclamante Ceſenatium ſenatu; ſed ab ea vi temerè illata, Guido qui Gallis adhæſerat, eum habuit euentum,



euentum, vt ab Aragoniis in vrbem irrumpentibus continuò pelleretur. Iterum verò ad Nolam quò ipſe & Virginius eum Aragoniis copiis, ingruente ad Capuam Carolo ſeſe contulerant. Ibi enim dedentibus vrbem Nolanis, ea conditione vt duces copiæque regiæ incolumes forent, Arſijs Gallus contra fidem pactionis ipſos duces mano tepit, & copias hoſtiliter diripuit. Eo modo captiuos quum in Galliam à Carolo perduceretur, è medio Tarrenſis pugnæ tumultu ad Venetam aciem profugit; ſic vt ſeuero vehementique ſuo hortatu, nutantes copias, & fœdam proclinatas in fugam opportunè retentaret, reſtitutiſque animis ad conſeruandos ordines egregiè confirmaret. Qua cohortatione ſumma procul dubio clades auerſa eſt, & grauioris ignominiæ dedecus Italo militi ademptum tanta cum laude, vt mox à Legatis Venetis & Sfortianis ſeruati exercitus gratiæ certatim agerētur. Exinde Veneto conductus ſtipendio, in obſidione oppugnationeque Nouariæ ſtrenuam nauans operam, Gallici tormenti pila iuxta tenes ad dubiæ ſalutis euentum vulneratus eſt. Poſt id verò bellum proſperè confectō, Veneti collecta authoritate florentem, in Franciſci principis Mantoani diſcedentis locum, Imperatorem creárunt: qui honos perpetua cum dignitate nominis, vſque ad vitæ exitum ei permanſit. Eius ductu Germanorum copiæ iuſſu Cæſaris per Atheſis vallem irrumpentes, quum Gallorum auxilia Triuultio duce, & Hiſpanorum cohortes contra Germanos Venetis acceſſiſſent, poſt expugnatū Petræ Caſtellum repreſſæ ſunt. Nec multo pòſt diræ coniurationis bellum in Venetos eſt exortum, conſpirantibus in vnum cunctis Europæ regibus ad excidium Veneti nominis. Cuius atrociſſimi turbinis procellam Venetus diu ferre nequiuit, amiſſo ſcilicet ad Abduā exercitu, quo die aduerſus Gallum regem Petilianus viſo vſui vel eximiè cautus & fortis imperator eſſe non potuit, quum in id malè exploratū pugnæ diſcrimen ab inconſulto præproperoq; collegā Liuiano, vel renitens &

nolens raperetur. Ab ea clade Venetus cunctis propè copiis & vrbibus exutus eſt. Nam ſingulæ ciuitates aduentantis cum terrore victoria regis, nec imperium, nec ipſam vrgentem famam ſuſtinentes, exemplo rebellabant. Solus Petilianus è ſuorum ſtrage ſe recipiens, vt iterum operam præſtaret, animũ non deſpondit; ſuaſitq; patritiis Venetis, vt de Republica non deſperarent: poſitis nanq; caſtris ad Meſtrium oppidum, & collectis profligati exercitus copiis, conſtanti animo ſubſtitit; amiſſoq; Patauio, vt Taruiſium in poteſtate retineretur, immiſſo præſidio curauit. Neque diu pòſt, non ſemper immitis Fortuna, inflictarum pertæſa cladium, ita commutata eſt, vt præ pudore Venetis viam aperiret, qua Patauium reciperent. Excubante ſiquidem in eam curam Petiliano, Andreas Grittus Venetus legatus, è Taruiſio cum expeditis copiis noctu mouens, eius portæ, quæ Cauda longa vocatur, pontem, fœni plauſtro de induſtria obſeſſum occupauit; oppreſſiſque præſidij Germanis, vrbe atque arce potitus eſt. Qua contumelia ſingulariq; iactura accenſus Cæſar, intra paucos dies è Germania deſcendit; caſtrametatusq; ad Fanum beatæ Helenę, Patauium ingentibus tormentis expugnare adortus eſt: ceſſiſſetq; ea vrbs amplitudine & vetuſtate pernobilis, proculdubio Cæſari non ſuis modò è Germania magni roboris copiis; verùm etiam Gallorum & Hiſpanorum auxiliis confirmato, niſi Petilianus ſupremo Romanæ virtutis opere edito, murum perruptum hoſtilibus tormentis, iamq; ad ingreſſum audaciæ hoſtium patentem, memorabili fortitudine defendiſſet. Cæſar enim alioqui bellicoſus, & in dubiis auſibus plerunque pertinax, vbi militare decus emineret, poſtquam Hiſpanos fortiter repulſos, & fœda miſſilium ignium, omniumq; telorum clade obrutos vidit, ab vltimi certaminis alea temperandum multis de cauſis iudicans, irrito conatu eluſus & inglorius in Germaniam rediit. Neq; fata Petilianum partæ gloriæ ſuæ diu ſuperſtitem eſſe voluerunt; nam ſeptuagenario maiorẽ diuturnæ vigiliæ, immoderatuſq; labor, adminiſtrandis regendiſq; præſidiis ſuſceptus, facilè confecerunt; ſic vt eum lenta febris, & concitata aluus ad Leonicum Vicentini agri oppidum non multis diebus extinguerent. Senatus tanquam ſummæ fidei atque prudentiæ ducem non temerè luxiſſe viſus eſt, quando ei poſtea parem fruſtra deſiderârit; ob idque ei honoris cauſa è ligno equeſtrem ſtatuam erigi iuſſiſſet; eo tamen decreto, vt ei tranquilliore Reipublicæ tempore, ænea inaurata poneretur; vel ob id perenne decus merito, quòd pro externis regibus (vti Romanũ decebat) nuſquã arma ferens, pro gloria tantùm aut ſalute Italici nominis omni tẽpore dimicârit.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Vrſini venerare ducis picta ora manúſque
Erydanũ quicũq; bibis; Tyberímue, Atheſimue,
Tyrrheno quicunque mari, Hadriacóue potens
Allueris; celſi aut iuga ſuſpicis Appennini.
Ille etenim Auſonios cùm ſe effudiſſet in agros
Horrida tempeſtas, totámque inuolueret armis
Cerneret Italiam; & trepidantes pectore partes
Italia Venetos decus, & cùm maximus hoſtis
Fulminibus claram Patauí contunderet vrbem
Exitium in magnum ſtetit imperterritus ille
Huc illuc aciem voluens, vrbémque pererrans,
Romulidûm priſca fractus qua Barbarus arte
Viq; animi inuicta, Auſoniis exceſſit ab oris.
Salue ò bellipotens, tot qui vnus millia contra
Sublapſam nobis vigilando reſtituis rem.
Qui fera Gallorum, & Germana robora pubis,
Innumeras acies qui comprimis Hiſpanorum,
Et coniuratos Itala in præcordia reges.

Franciſcus Alidoſius Cardinalis Papienſis.

NON ineptum fore putauerim, ad inſtituendam rectæ atque honeſtæ vitæ diſciplinam in ſacratis viris, ſi ad exemplum poſteritatis Franciſci Alidoſij Cardinalis vita improba, & non ſerò ſubſecutus peruerſos mores inuſitatus interitus exprimatur. Sicvt eius nobis hæc imago ex viuo vultu ducta magnæ ſit admirationi, quòd tantam in ſe decori & liberalis aſpectus dignitatem prę ſe ferre videatur; vt hinc coniectari liceat deprauati animi labem illuſtris formæ ſpecie aliquandiu poſſe contegi, abſcondiq; facilè vel peritiſſimis phyſiognomiæ artis magiſtris. Ortus erat ex nobili Alidoſiorum familia, quæ in Æmilia via Foro cornelij principatu olim potita eſt; educatuſq; liberaliter, ſed aliquanto licentius, quàm exuenti pueritiam ad tuendum pudorem expediret. Adoleſcens nanque roſeo ingenuoque ore conſpicuus, Iuliano Ruuereo adhæſit, qui poſtea pontifex Iulius Secundus appellatus eſt. Apud hunc multis & arcanis, expediti ingenij & parati corporis obſequiis, quantam nemo alius inter æquales, gratiam promeruit; quanquam eam aduerſus proſtratæ pudicitiæ rumor vehementer eleuaret, quòd inuerecunda conſuetudine, aulæ principes ſibi conciliaſſe crederetur; vnde illi purpurei galeri honos maturè collatus eſt, permagnæque illi ex ſacerdotiis diuitiæ, nunquam fruſtra petenti, affluenter obuenerint; ſed quibus coniunctæ (vti mox apparuit) inſitæq; eſſent familiares ſuperbo eius ingenio peſtes, cùm libidinis & gulæ, tum procacitatis & aleæ, maligniq; liuoris; quæ hominem

natura



natura irriſorem, & ab æquo & bono diſſidentem, ad ſermones contumelioſos & impuros, impudentibuſque mendaciis refertos impellebant; vt ex commodo proferendæ ambitionis & voluptatis inſtrumenta pararentur. Mirè enim ſibi placebat, quum pleroſque eius ordinis ſplendoris & munificentiæ gratiæque nomine prorſus anteiret; poſtquam ei literarum & veræ virtutis ornamenta deeſſent, & non obſcurè Forocornelij dominatum optimo iure ſe petere à nô Ingrato Pontifice profiteretur, quòd eam vrbem olim Alidoſij maiores obtinuiſſent. Cæterùm in ea re Iulium ſpe ſua duriorem inueniebat, occupatum ſcilicet Gallico bello, & concilij à Gallo rege indicti offenſionibus circũmuentum, nec quicquam aliud coquentem, quàm vt Pontificij imperij opes augeret, ſtudio religionis, amoreq; patriæ communis, quam in libertatem aſſerere aduerſus externas gentes magnopere contendebat. Verùm Fortuna generoſis atq; ſanctiſſimis conſiliis aduerſa, ita Iulij cœpta perturbauit, vt vndiq; victor Gallus, impotentibus fretus armis maximè vrgeret. Quo rerum ſucceſſu Alidoſium peruerſè potius lætatum, quàm malo publico conſternatum ferunt, vtpote qui priſtinæ innixus cupiditati, Forocornelij vrbem beneficio Galli victoris, quàm Iulij munere adipiſci mallet; proptereaq; perfidioſis artibus, importuna ad ſuſtinendum gerendumq; bellum impedimenta, Franciſco Mariæ Feltrio, qui Pontificiis præerat copiis, afferre diceretur, vt Gallis incumbentibus victoriam aperiret. Erat enim Bononiæ in munere legationis expediendis caſtrenſibus rebus atq; pecuniis, obſcuro quodam aſtu ſemper aduerſus, & vſque adeò auaritia, libidine atq; ſæuitia infamis, vt à Bononienſibus Verre Tulliano rapacior & ſæuior vocaretur; ob id præſertim quum inſontes nec vllo iudicio cõuictos, ſimpliciſſimo tantùm liberoque ore locutos patritios quatuor, ad inanem ciuitatis terrorem ſtrangulaſſet; eoq; acerbiùs, quòd nulla Pontificij iuſſus in eorum necem documẽta extarent. Fuêre ij Albertus Ca-

ſtellius, Innocentius Aringherius, Selluſtius Guidottus, & Bartholomæus Magnanius, qui nunquam de prodenda vrbe ſomniaſſent. Itaque alienato populo, & Gallis appropinquantibus, Triuultio ſummo duce, Feltrienæ copiæ, & Veneta item auxilia his ſub vrbe coniuncta, primo repentinoque impetu fœdè profligata ſunt; ita vt irrumpentes Bentiuoli veteres tyranni in vrbem reciperentur, aperiente Galeriam portam Laurentio Arioſto, quem Alidoſius Bentiuolæ factionis ſtudioſum cohortibus conſcriptis portarum cuſtodiæ, perfidioſè aut imperitè præfeceret. Erat tum Rhauennæ Iulius Pontifex, ad quem Feltrius amiſſis copiis peruenerat, quum eo etiam Alidoſius vrbe atque arce deſertis, ſe in fugam eiiciens, conuolaſſet; vt ſceleſti admiſſi erroris veniam incuſata fortuna deprecaretur. Verùm hoc meditanti ſurda fata & ſuperi ſcelerum vindices non arriſerunt, eum (ſiquidem mula vectum, indutumque atri coloris penula, Hiſpanicoque pileo, depoſitis purpuræ ſenatoriæ inſignibus, Feltrius pedes ad Pontificem ire pergentem, iuxta Vitalis ædem adeptus, mucrone per ilia grauiter adacto) è mula deturbauit. Quum cadenti Mondulphus equitum præfectus latiore ſica malam cum auricula diſcidiſſet, Philippus demum Auria repente lectus Feltrio, iacentem impreſſo ad præcordia gladio humi confixit; nihil ſe commouentibus prætorianis aliquot equitibus, qui ſtupente atque attonito Guidone Vaino, ipſorum duce prætoriique præfecto, neque animos, neque arma ad ferendam cadenti opem expedire potuerunt. Iulius ad nuncium tanti patrati facinoris exclamans, neuter inquit eorum me fefellit; quod ominabar enim, nôn ſerò euenturum ſciebam; ſed me fratris filij diſpudet, quòd dextram ſacrato ſanguine polluerit, quum priuato indulgere odio, quàm publicæ ſaluti, immitis patrui deſertor maluiſſe videri poſſit. Sed Triuultius hoſtis egregiè pius & prudens, Iulium Rhauennam tumultuoſe excedentem perſequi noluit, recepta ſcilicet Bononia contentus, quam Gallicis adiutus armis Pontifex ante quinque annos acquiſiſſet. Eius patratæ cædis nomen diuerſi iudicij famam tulit, quum alij ad ſacroſancti ordinis immaniter violati contumeliam, execrabilis inuſitatæque cædis facinus deteſtarentur, quo Feltrius ſceleſto exemplo aditum ad Cardinalium cædem patefeciſſe videtur; Alij porrò extra aulæ adulationem poſiti, hominem impenſè celebrarent, qui æquiſſimo iure, ſacrati ſenatus probrum & purpuræ dedecus, tanquam planè monſtrum, generoſa & verè Herculea manu ſuſtuliſſet.

PAVLI IOVII Iunioris.

Improbior Caco, Lernæâq; immanior hydra,
Geryone aſperior;
Ille eſt, Auſoniæ non enarrabilis aulæ
Peſtis & opprobrium
Iam tum vulgatum cunctis Alidoſius oris;
Quem tamen impauidus
Suſtulit Herculeo confoſſum Feltrius ictu,
Scilicet vt meritò
Sublatus terris Stygias inuiſeret vmbras
Tergeminúmque canem,
Perpetuas illic pœnas, & ſæua daturus
Supplicia, heu miſerum,
Te pudor & pietas, & religionis honores
Deſeruêre ſimul,
Pro quibus inuidiam & rabiē exercere ſolebas,
Imperium patriæ.
Affectans, tumidè dum te victoria Galli
Erigit, atque putas
Illius auſpiciis cuncta exoptata referre:
Sed vetuêre Dei.
At vos iam dudum cæſo gaudete Tyranno
Patritiorum animæ:
Et tu cum placido lætare Bononia Rheno.
Nam quis erit ſcelerum
Tantorum inuentor, qui triſtes improbus iras
Effugiat ſuperûm?

Baiazetes II. Turcar. Imp.

BAIAZETEM, qui Othomannorum principum octauus fuit, Græcorum ſenum potius quàm Turcarum more prolixa barba vſum fuiſſe conſtat, cùm ex hac imagine veriſſima, tum etiam ex grauis nec infaceti ſcommatis Selymi filij dicto. Hic enim, quum fortè Hiſmaelis Perſarum regis legato familiariter cauſam quærenti; cur ſubtonſa ad mentum barba vteretur, quando promiſſa potius magnos reges deceret, ſicuti Vſumcaſſanes, & Sulthanus Campſon, paterq; ipſius Baiazetes nutrire conſueuiſſent; illico reſpondit, ſe nolle ab ea inutili atq; importuna denſæ barbæ anſa expoſitum videri, vt corripi & circumduci poſſet à purpuratis ſuis, quorum improbam vim pater inde correptus & pertractus vnquam effugere nequiuiſſet. Erat enim Baiazetes non pertinacis interdum, ſed valde obſequentis ingenij; ſic vt è media purpuratorum conſultatione nonnunquam inuitus ad ea quæ nollet actionum conſilia ſæpiſſimè raperetur; quanquam in eo non deeſſet bellicus vigor, conſtantiæ laudem affectans, & iudicium in expendendis rebus æquo & temperato principe dignum; vtpote qui Scythicæ ſtirpis inſolentiam atq; duritiem, & natura inſitam genti violentiam, multa præcellentium ſtudiorum grauitate, & ex hiſtoriis ſacris aptiſſima exemplorū vbertate temperaret. Natura ſiquidem tranquillitati



quilitati & ſapientiæ deditus, Peripatetici Auerrois opinionibus oblectabatur, placitaque Mahometanæ legis, diligentiùs quàm regem bellicæ gloriæ auidum deceret, rimari credebatur. His cogitationibus occupatus, quum pater Mahometes mortuus eſſe nũciaretur, atq; ipſe tum eſſet in Cappadocia, ab ipſo ſperati imperij limine, à Prætorianis purpuratorum malignitate concitatis, penè excluſus eſt, Corcutho nepote in Regiam ſedem ſublato. Sed non multo pòſt, cùm ipſa pueri imbecillitas, tum obortus inde iuſtus pudor, imperium auo debitum & ereptum, prætorianis largitione pacatis facilè reddiderunt, eoq; facilius quòd Gemes Baiazetis frater ad imperium aſpirans, comparatis copiis aduentaret. Verùm Fortuna Gemem tribus victum præliis ita perculit, vt Rhodum confugere cogeretur, captuſq; ibi Romano Pontifici cuſtodiendus Romam duceretur. Exinde Baiazetes inteſtino bello liberatus, more maiorum in Chriſtianos arma conuertit: quorum impetu ferè perpetuo Valachos ad Iſtri oſtia adempto Moncaſtra multis incommodis afflixit, ingentiq; pugna edita, Illyriorum Pannoniorumq; & Croatorum copias pro communi ſalute in vnum coeuntes, apertiſq; in campis contendere auſas, per Cadum baſſam eunuchum non longè à Sauo trucidauit: neq; vſquam prætei quam ad Tarſum vincentibus egregiè Mamaluchis, aduerſam belli fortunam expertus eſt. Exorto demum Veneto bello non terreſtri modò, ſed nauali apparatu patre validior, ita irrupit, vt Schenderbaſſa luctuoſa incurſione, vltra Tiliauentum in Euganeos penetraret, & Deuthes præfectus claſſem Venetam Grimano duce ad Sporadas inſulas in fugam conijceret, Venetaſq; opes exoleſcente eorum diſciplina ſibi in poſterum mari contemnendas oſtenderet: quum anno ſequenti Barbarus ipſe audacior factus, Peloponneſum intrans, expugnata fortiter Methone, & ad eundem victoriæ terrorem, Corone, Pileo, Criſſeo Naupactoq; in deditionẽ acceptis, & paulò antè occupato Dyrrhachio, terra mariq;

victor euaſiſſet. Sed Hiſpaniæ Galliæq; regibus in publica religionis cauſa Veneto opem ferenti-
bus, ea conditione pax à Baiazete impetrata eſt, vt recepta dudum Cephalæuia, Veneti (vti antea
fuerat) eſſet ditionis: & Leucas, Nerythuſq; inſula, quam Piſaurus Venetus nauiter expugnârat,
Turcis redderetur. Eius autem conciliandæ pacis Grittus author eo Barbarum facilius perſuaſit,
quoniã in Perſide Hyſmaël Sophus ex progenie Vſſumcaſſanis ſeſe regem effecerat, inuecta no-
uæ religionis opinione, quam ingenti fama ſuperſtitioſiſſimi quique, earum gentiũ credulitate
nouæ legis perſuaſi, ardentiſſimè ſequerêtur; vſque adeò ſupra religionis cauſam felicibus armis
formidoloſus, vt Othomânico imperio hoſtis immineret. Nam eius ellentes ſectatoreſq; in Cap-
padociæ fines, trahendorum in cauſam populorum nomine penetrârant; binoſq; iam Baſſas Ca-
ragium & Halim, geminoſq; exercitus duobus oppreſſis ducibus occidione deleuerant. Huius
belli timor eò Baiazetem ſenem perpulit, vt de ſucceſſore deligendo cogitaret, purpuratorumq;
perfidiâ Selymus filiorum natu poſtremus, quem paulò antè prælio ſuperatum parricidam ap-
pellârat, fraude & dolis patre eiecto Conſtantinopolitano imperio potiretur, & ſenem patrem,
vir ſæuus atque impius, exutum regno veneno tolli iuberet. Per hunc modum Baiazetes ad Di-
motocum vicum, hortorum amœnitate nobilem, iuxta Ponticum littus ire pergens, quum re-
gnaſſet annos triginta duos, ærumnoſam vitam exoptata morte commutauit; eo quidem ſeipſo
minus miſer, quòd Acomatis & Corcuthi filiorum Nepotumque aliquot regis indole iuuenum,
atrociſſimam necem nõ viderit, quum vixiſſet annos ſeptuaginta tres, ſub id fermè tempus, quo
Iulius Pontifex, pro ſalute dignitateque Pontificij nominis aduerſus Gallos concilium excitan-
tes, controuerſiam armis finiendam ſuſceperat.

IANI VITALIS.

Dum verũ exquiris cauſas, & dum prius Hunnos
Carmannos, Cilices, Sauromataſq; domas,
Baiazete, domi proles tua te petit armis,
Et te per fraudes amouet imperio;
Adijcit inde nouum ſceleri ſcelus, & tibi miſcet
Pocula lethiferis illita graminibus.
Intempeſtiuos crudelis vipera fœtus
Per ſua ſic tandem funera, rupta parit.
Quid tutum eſt cui ſint ingentia regna tyranno,
Si timeat natos, progenìemq; ſuam?

Gaſto Foiſſeius.

QVis vel imperitus ex humano vultu interni moris coniector in hac decora im-
berbis iuuenis facie, diuerſas inter ſe pugnantes partes non admiretur? Quan-
do hinc diffuſus per genas argenteus fulgor, ad maturæ frugis pallorem ſenſim
euadens, vſque adeò generoſum os cõmendet, vt vehementer ſpectantes alliciat.
Illinc verò radiantes, cauiq; oculi, præferocis animi indices, contuentes abſter-
reant. Hac enim ſpecie ſpirantem bellicam vim Gaſtonem Foiſſeium ſæpe vidi-
mus, quum feruido ingenio arma quatiẽs, inſignes victorias & triumphos agi-
taret. Is ab auunculo rege Ludouico, quem oris atq; animi indole referebat, in Italiam cum impe-
rio miſſus, tanta vi celeritateque, ſua atque aliena arma exercuit, vt prius Dux quàm miles; antè
triumphator quàm acclamatus Imperator extiterit, ſummis profectò nobilioris ſeculi ducibus
præferendus; niſi in ipſo victoriarum curſu adoleſcens plenus gloria cecidiſſet. Incredibili nanq;
celeritate ad parandam ei inuſitatam laudem & immaturum vitæ exitum properantibus fatis, ir-
rumpentes in Inſubrum agros hoſtes Heluetios acerrimè ſuſtinuit, & in patriam repreſſit. Bono-
niam per lutulenta itinera præduræq; hyemis glaciem raptato exercitu, formidoloſa Hiſpano-
rum obſidione atq; oppugnatione liberauit: ignéq; rapidior inde digreſſus, Venetas copias ad A-
theſim fuſo Baleono duce protriuit: atq; eodem curſu per arcem Brixiam aggreſſus, præſidij Ve-
neti, Brixianiq; populi cruentiſſima ſtrage edita, rebellantem vrbem recepit atq; diripuit; ſic vt
mox tanta ſubnixus victoria, rurſus ad Hiſpanos verteretur, vt Rhauennatium campos, inſigni
certè victoria, ſed fatali ſuo interitu nobilitaret. Inflammatus nanq; immoderato ardore delendi
hoſtis, quum iam planè victor, ſtratis aduerſariorũ alis & legionibus incitato equo cum paucis,
recipientes ſeſe hoſtes, perſequeretur, ſub aggere profluentis amniculi confoſſus interiit; eo qui-
dem euentu, vt morte ſuâ ſeruaſſe reliquos hoſtes, & rem Romanã in ſummũ adductã diſcrimen;
metu atq; periculo liberaſſe iudicetur. Verùm ab ea mox cruenta exitialique victoria Galli, exe-
crante eos damnáteq; impietatis Iulio Pontifice, prementibuſq; iterum Heluetiis, Italiæ poſſeſ-
ſione deiecti ſunt. Ob eas res geſtas Matthæus Sedunenſis cardinalis, Heluetiis legionibus præ-
poſitus, vt irato Pontifici obtemperare videretur, Gaſtonem Mediolani aurata in arce magnifi-
centiſſimè tumulatum ab excelſa teſtudine templi maximi detrahi iuſſit, quòd oſſa infenſiſſimi
& ſacris interdicti hoſtis, indigna eo ſuperbæ pompæ ſpectaculo iudicaret; Quando ad exor-
nandum impiæ victoriæ trophæum ſacroſancti Pontificis vexilla ad ignominiam tholo ſuſpen-
ſa ſpectarentur.

ANTONII



ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Funera quis memorāda canat, cladeſq; Rhauēna,
Et tua ſumme ducum facta, obitumq; ſimul?
Ingentes cùm tu incedens per corporum aceruos,
Iam victor ſtrage concidis in media.

Gallica ſenſère Heſperij, quàm viuida virtus
Senſère, vltrices cùm cecidère manu.
Sic obitu iuuenis Decios imitaris, & armis
Sic geminos belli fulmina Scipiadas.

Ludouicus Galliæ Rex.

IN LVDOVICO Galliæ rege, eius nominis duodecimo, flagrantiſſimum armorum ſtudium enituit, quo in vtranque fortunam diuerſo euentu longè clariſſimus extitiſſe videtur; ſed qui in omni vita proferendi imperij, quàm præclari nominis auidior à pleriſque fit exiſtimatus, quòd contra inſitum generoſis Gallorum regibus morem parum pius, & ſæuus, pecuniæq; tenax haberetur; quanquam ipſe eo nomine quòd Romanum Pontificem impugnaret, impiua Cæſarum exēplo dici nollet, & ſæuitiem plerunq; tuendo regno neceſſariam eſſe diceret, nimiaq; auri profuſione regni vires à ſano rege minimè eneruādas arbitraretur. Eum nanq; nulli ſumptus à ſuſcepto ſemel bello nunquā deterrebant, quum parſimonia potius, quàm populorū expilatione gauderet. Proinde viri militares eum tanquā illiberalem, minimeq; largitorem ex animo non amarent, & ex aduerſo populi eum tanquā innoxium, & licentiā militarem edictis & pœnis coercere ſolitum impenſè venerarentur. Cæterùm ei vel minus benignè



quàm aulæ luxos expeteret, recti atq; æqui erga omnes mortalium claſſes præclarum ius inerat, quando nihil debere, potius quàm multa largiri ſapientẽ regem oportere prædicaret. Neq; enim quiſquam vel infimi ordinis creditor diu cunctantẽ quæſtorem expectauit: nam regij huiuſmodi expediendæ pecuniæ miniſtri, vſque adeò exigentibus prompti aderant ad abolenda mala nomina, vt militi præſertim ſtipendiorum ſuorũ ſtatis temporibus certiſſimus eſſet prouentus: qui tamen donatiui extraordinariæq; munificentiæ auidi, tanquã impunitis ſuperioris ſeculi rapinis aſſueti, noui lucri ſpem ſibi ereptam, regia, eaq; planè ignobili moderatione quærebãtur. Viſus quoq; eſt natura ſæuior, aut certè æquo ſeuerior, quũ vlciſci quàm parcere mallet, & penè totam, magnis expetitã regibus clementiæ laudem, tanquã ſæpe noxiam aut inanem repudiaret. Tum enim aut ineptè aut parum generoſè ſeſe inexorabilem & immitẽ oſtendit, quum Ludouicum Sfortiam pulſum dominatu, infamiq; proditione captũ, & cõiectum in carcerẽ, erepto ſcribendi ſolatio, miſerũ mori coëgiſſet, tantiq; modò nominis principem conſpectu ſuo indignum arbitraretur. Ab eadem etiam belli felicitate Federicum regem Neapoli eiectum, & ad ſe cum inuidia Hiſpani regis in Galliam confugientẽ, ad pedeſq; proiectũ, nullo vel mediocris vrbis principatu collato, in ſpem honeſtioris vitę erigendũ putauit; quũ nõ multo pòſt Federicus & exul & miſer, ex dolore irritæ ſpei fato conceſſerit; ſæpe dolens & in luctu gemens, quòd opinione ſua eſſet deceptus, quum infidelis propinqui regis malignitatem optima ratione deteſtatus, apud verum hoſtem clementiam omnino quærendam iudicaſſet. Implacabilis quoque ſæuitiæ non multo pòſt damnatus eſt, quum Auogarium, teneræ adhuc ætatis adoleſcentem, regia in aula aliquandiu nutritum, eius Aloiſij filium, qui Brixiam Gallis ademerat, proptereaque à victore Foiſſeio diſſectus in fruſta, admiſſi ſceleris pœnas dederat, tanquam obſidem paternæ fidei,

eadem

eadem ſecuri percuti iuſſiſſet. Verùm hæc exempla inhumanitatis atque ſæuitiæ confirmando Imperio opportuna putabantur, in Italicas præſertim gentes, quæ metu potius quàm vllis lenitatis officiis, tanquam ſubactæ armis in fide contineri poſſe crederentur. Qua in re Gallos poſtea deceptos fuiſſe compertum eſt, ipſa ad euentum belli docente Fortuna. Nam Ludouicus, qui ſine vulnere Sfortiano potitus imperio, Aragonij nominis leges ſuſtulerat, & Gennenſes populari defectione antiquam repetentes libertatem, terra mariq; domuerat, formidandamque liberis populis arcem eorum humeris impoſuerat, & Venetos vna acie cruentiſſima ad Abduam debellarat, Iuliumque Pontificem ſummis illatis cladibus, & erepta Bononia, ipſa propè vrbe Roma depulerat, in exitu victoriarum ſuarum hæſit, viditq; ſe Neapolitano deiectum regno, & expulſum Mediolanenſi imperio; Gallos præſides Genua eiectos, receptamq; Bononiã, ac obiter Venetos in bonam ſpem veteris inſtaurandi imperij perductos; quum Britannicis pariter, ac Heluetiis Hiſpanicisq; armis in Gallia circumuentus, qui externis terrori fuerat, ſeſe ægerrimè patria in terra tueretur. Cuncti nanque veteres eius hoſtes pro cauſa religionis, dignitateque exagitati Pontificis, aduerſus Gallos ex cenſura Chriſtiana impietatis damnatos, arma deſumpſerant tanto impetu, vt ea vis publica ad ipſos etiam veteres Gallorum ſocios, vti eodem impietatis ſcelere contaminatos, recideret. Ioannes ſiquidem rex Nauarræ, oppugnantibus Hiſpanis, regno excidit: & Iacobus Scotiæ rex, egreſſus fines, vt Henricum è continenti in Britanniam retrahere conaretur, conſerta improſperè ad Tuedum pugna, victus interfectuſque eſt: & Florentini in Gallorum gratiam concilio Piſis ſedem concedere præbereque auſi, reductis à Iulio in patriam Mediceis veteribus dominis, amiſſa libertate ſtultæ temeritatis pœnas dederunt. Sed Ludouicus demum ſe propè à Fortuna mulctatum cernens, ad ſanitatem ita rediit, vt ab infeſtis hoſtibus vel iniqua conditione pacem redimeret, & ei à rege Henrico ſoror, amabilis puella venuſtaris, in matrimonium traderetur. Verùm ab his nuptiis rex iam ſenex, & diu pertinaci & ſæuo vexatus morbo, ex nuptiali face ſibi rogum ſuccendit, quum regnaſſet annos qoindecim, vixiſſet propè ſexaginta: dignus profectò ex cumulatis toties victoriis ſupra cunctos ætatis ſuæ reges, præalto atque ornatiſſimo trophæo, niſi vetus Chriſtianiſſimi cognomentum ab inconſulta ſuperbaque diſſenſione, quum Romani Pontificis dignitatem impotentibus armis conuellendam ſuſciperet, declaratus ſacer & impius amiſiſſet.

IOANNIS BELLAY Cardinalis Pariſienſis.

Proſtratis Venetis, victo Ligure, Inſubre capto,
Et Roma afflictis, Heſperiæq; opibus:
Palma tibi Ludouice ingens accreuerat, hãc ſors
Abſtulit, at non ſic abſtulit illa animum;
Nec fecit (neq; enim ſunt hæc ſua) Gallia ne non
Vtraque, ſe patria diceret eſſe patrem.

Conſaluus Ferdinandus Magnus dux.

HAc præclara planeque heroica, & verè maximo duce digniſſima facie ſeſe Neapolitanis oſtentabat Conſaluus Ferdinandus, quum plures victorias cõtinenter adeptus, Gallicum bellum ſecundiſſimè confeciſſet; triumphalique laureà (niſi eam ſingulari modeſtia reiiceret) militari iudicio acclamationeque populi exornandus cenſeretur. Cui ideo breuius atque perſtrictius Elogium optimo iure ſupponendum arbitramur, quòd eius vitam & res geſtas peculiari libro edito ſcripſerimus. Neq; enim anguſta papyro ſatis honeſtè capi poteſt hic Imperator, meritò cognomine conſenſuq; omnium ferè gentium Magnus appellatus, qui noſtræ tempeſtatis vniuerſos ferè Duces magnitudine animi, bellica virtute, totiuſque ciuilis humanitatis atque prudentiæ præconio ſine controuerſia ſuperauit. Sic vt enim tanquã ſummi nominis exiſtimatione clariſſimum ducem, Ludouicus Galliæ rex, vel in hoſte veræ virtutis admirator, Ferdinando Hiſpaniæ regi inuidere teſtatus ſit; quum duobus his regibus apud Sauonam vnà cœnantibus, Conſaluus ipſe honoris causã conuiua tertius acceſſiſſet, & à Gallo demum rege poſt accumulatas laudes, aureà torque è collo regio in eius ceruicem iniecta donaretur.

PETRI GRAVINAE Neap.

Te prius accepit, quàm fecerit inclyta Magnum
Sors tua, te virtus vindicat vna ſibi:
Nec Fortuna tua tribuit cognomina laudi,
Te duce, ſed potiùs ſors bona nomen habet,
Cui tantum hoc debes, quòd te comitata priorem
Non dux, ſed Magnum eſt fida ſecuta ducem;
Abs te quicquid habes, ſibi prouenit; omnia tecum
Magne tenes, ante hæc maxima, magnus eras.
Felix ipſe tuo, non ſortis nomine felix,
Qui geris æternum non aliunde decus.



Bartholomeus Liuianus.

IN BARTHOLOMÆO Liuiano, ſicuti nos vidimus, & ex hac vera imagine coniectari licet, quanquã ab humili corporis ſtatura, ac ignobili ſubagreſtis acerbique oris ductu nullum ipſo dignum perſonæ decus emineret; viuidi tamen & peracres oculi, innatæ virtutis indices, quantum excelſo efficaciq; ingenio valeret, facilè oſtendebant. Neq; enim illuſtri ſanguine, neq; opulentis parentibus, vti apud Albianum tenue Tuſclæ oppidum natus erat; ſed aſcitus à Virginio Vrſino tanquã impiger, & maximè fidus cliens adoptiua nobilitate præſtantiq; militiæ ſtudio clarus, ad ſummos honores aſcenderat. Nactos ſiquidem valde opulentũ, ingentiſq; famæ auidum Romanæ militiæ magiſtrum, pertinaci induſtria, ſingulariq; labore, & incredibili vigilantia, aditum ſibi ad militaris imperij nomen patefecit. Nam poſt Gallos ad Atellam Apolam, Ferdinandi Aragonij & Conſalui Magni virtute debellatos, poſtquã Virginium captum vidit, è cuſtodia per feneſtram euadens, variis demum ſeſe bellis immiſcuit, quum Braccianum Virginij oppidum aduerſus Pontificias copias conſtantiſſimè defendiſſet; exortoq; bello inter Columnios proceres & Vrſinos, Carolo Virginij filio ſtrenuã nauaſſet operam, vel multum aduerſante Fortuna, in eo præſertim prælio, quo ad montem Cælium Vrſini intercepto ab hoſte Carolo ſuperati ſunt. Adhæſit demum Magno Conſaluo cum reliquis Vrſinis proceribus, quum eius factionis copiæ ſpernerentur à Gallis, impenſè tum Cæſari Borgiæ fauentibus: hunc quippe Vrſini omnes vno conſenſo ad vlciſcendam iniuriam parati atque intenti quæritabant, qui tot familiæ proceres immaniter enecaſſet. Itaque Conſaluus præcellenti atque præcipua

Liuiani



Liuiani virture vſus, poſt deleros ad Lyrim Gallos eum Sancti Marci vrbe in Brutiis donauir: fa-
maq; eſt eum non mulio pòſt ipſius Conſalui & Aſcanij Sfortiæ conſilio atque pecunia inſtru-
ctum, Piſas coacto exerciru penetrare; atq; inde Gallis, vt eos Mediolano depelleret, arma infer-
re cupiuiſſe. Sed progredien rem ad Campiliam, non procul à Volaterranis vadis, Florentinorum
copiæ, M. Anronio Columnio Iacoboque Sabello io prima acie acerrimè dimicantibus, eum fu-
derunt. Conrulit ſe inde ad Venetos, trucidatiſque ad Cadubrium tumulruario in prælio Ger-
manis, & aliquot eorom oppidis, Tergeſtoque anriqua vrbe Maximiliano Cæſari ademptis tan-
tùm inclaruit, vt Petiliano imperatori, æquato propè honore ex decreto ſenatus iungeretur. Ve-
rùm ea bellici honoris incrementa, cùm ipſi, tum Reipublicæ inauſpicata fuére, quum ingruen-
te Ludouico rege Galliæ, Liuianus vel reluctante Petiliano, manus conſerere properaſſet. Ab ea
ſiquidem infelici pugna ad Abduam vſque adeò funeſta clades cõtracta eſt, vt inde Venetum im-
perium amiſſis vrbibus penè totum ſit euerſum; ipſe verò vulneratus & captus in Gallicum car-
cerem ſit coniectus, in quo memorabili aſtu, rerum ſuarum commentarios perſcripſit, quos legi-
mus, in ſcabra vilique papyro, & latrinis tantùm dicata, diligenter exaratos. Nam poſtquam à cu-
ſtodibus ſcribendi facultatem impetrare non poterat, ex ſurculis ſcoparum calamos fabrefecit,
intritoque carbone, & ſuperinſperſo vino, atramentum parauit. In his legere fuit, ſe cæſo matris
vtero in lucem editum fuiſſe, quum Martis aſtrum directum cœli verticē obtineret; vnde ſibi ab
Aſtrologis prædictos militaris imperij honores, & certa capitis & frontis vulnera, quæ vitare ne-
quiſſet, denunciata fuiſſe aſſeuerat. Exacto triennio carcere emiſſus, & à Venetis Gallo coocilia-
tis, in demortui Periliani locū ſuffectus eſt, moxq; iterum improſperè cum Cæſarianis ad Vicen-
tiam conflixit, vſque adeò triſti fœdoq; euentu, vt funeſtiſſima clades acciperetur; ipſeq; traoato

flumine, in quo nonnulli Duces ex fuga perierant, Patauium ægrè perfugeret. Quod dedecus atque incommodum acceptum, aliquot poſtea opportunis expeditionibus contra Germanos & Hiſpanos ad Portonum atq; Rhodigium ſuſceptis, egregia cum laude reſarciuit. Nouiſſimum eius operum fuit Abduæ traiectus, præſtitumque Franciſco regi inſigne ſtudium & auxilium, ea in pugna qua Heluetij iuxta Mediolanum ſuperati ſunt. In eos enim cõtionato per noctem prælio fatigatos & perturbatos, ſed adhuc acerrimè reſiſtentes, quum recentem equitatum ſuum induxiſſet; ruſticanamque domum, qua hoſtes mira conſtantia ſe tuebantur, incendi iuſſiſſet, aduentaretque peditatus, tandem hoſtis ferocia victa protritaque eſt. Sed ea victoria minus læta Liuiano obuenit, quòd Cepinius Pitiliani filius in eo tumultu cecidiſſet; ipſe verò iam ſenex & thoracatus, cùm pugnæ feruore, tum ardore Solis vehementer ſuccenſus, lethalis morbi initia concepiſſet. Nam non multos poſt dies oborta febre, atq; inteſtinis in herniã defluentibus, ſexagenario maior ad Vicum Ghedas ſupra Ollium amnem ereptus eſt. Poſt mortem autem, longa omnis decedit inuidia, maximè acer & pugnax, vigilantiſq; item & integra fide præclarus Dux exiſtimatus eſt: ſed qui, teſte Gritto, Reipublicæ Venetæ parum eſſet opportunus, quæ cautum potius & cunctatorem Ducem expoſtulet, quàm feruidum bellatorem: vtpote cui minimè grauis ſit vllus trahendo bello ſumptus, quando liberæ ciuitatis is omnino mos ſit, non inſalubriter inſtitutus, vt incertos & ancipites præliorum caſus non ineptè reformidet.

PAVLI IOVII Iunioris.

Cæſar eras quondam exectus iam matre perẽpta,
Infans vitales blandè dum luminis auras
Haurires, cælum medium Mauorte tenente.
Mox quia te cunctis clarũ tua maxima virtus
Fecit, & æterna vexit ſuper æthera fama,
Quòd te magnanimũ, ꝙ fortẽ pectore, & armis
Contra mille acies, atq; agmina millia contra
Hadriaci ſenſere patres, Venetumq; Senatus;
Certè non aliud tibi, quàm de Cæſare nomen
Sumere debueras; quis enim te dignior illo?
Quum toties validum bello deieceris hoſtem,
Et toties referas Veneto victore triumphum.
Teſtis erit Germana ſuo cum Cæſare pubes
Fulminea diſiecta manu, longèque fugati
Finibus Inſubrum Heluetij gens effera ſeſſes.
Improbus at ſi aliquis tibi fortè obiecerit illud,
Vt te pugnandi cupidum nimis impiger olim
Vicerit, iniquè ſuo ſeruârit carcere Gallus;
Neſciet heu demens quantum ſibi vendicat ipſa
Fortuna omnipotens; nõ hoc obiecerit vnquam
Qui ſapiens, rerum dominam cognouerit illam.

Campſo Gaurus, Aegypti Syriæqúe Sulthanus.

IN Neminem, vt videri poteſt, vel ab initio blandiùs, vel in exitu acerbiùs & petulantiùs Fortuna iocata eſt, vti impudens & lubrica ſpectatæ probitatis obtrectatrix, quàm in ipſo CAMPSONA Gauro Memphitico rege. Is enim è Scythicis prædonis puer eductus, & manceps educatus in ergaſtulo apud Memphim, Mamaluchorum diſciplinã, & cuncta per ætatem militiæ munera nequaquam ſegniter apprehendit; tanto bonæ famæ ſucceſſu, vt nullo correptus ambitu, & aureæ mediocritatis fructu contentus, mediis in claſſibus conſeneſcere, honeſtiq; nominis potius quàm præclari primatis dignitatẽ tueri velle videretur. Sed defuncto Caitbeio, occiſoq; ſubinde Mahomete eius filio, quum per inteſtina bella proceres de Imperij hæreditate ad interitum propè totius ordinis dimicarent, nec ij vllum cruentæ controuerſiæ exitum viderent, qui primæ claſſis decus ſuſtentabant (vt plerunque fit) regem elegerunt, quem nemo timeret, nec quiſquam haberet odio, aut innoxiæ tantum probitatis fama cognitum impenſiùs adamaret, & coleret. Itaq; Campſon hoc innocentiæ ſuæ titulo extra inuidiam omnemq; ambitus ſuſpicionem poſitus, cogentibus proceribus vltrò delatum, inuito ſimilis Imperiũ excepit; eâq; illud moderatione dignitateq; tutatus eſt, vt Mamaluchi ſimultates deponerent, augerentur vectigalia; partaq; rerum tranquillitate, ab Othomanis regibus ſuſpiceretur; & ab Hiſmaële Perſarum rege coleretur, tanquam intermedius maximarum opum, ſummaq; nominis authoritate rex ampliſſimus. Hoc enim inſtituto Campſon non imprudenter vtebatur, quo effrenatas vtrinq; & nunquam ſatis perdomitas duorum præpotentum regum voluntates & vires, deterrendo & coërcendo in dubio colendæ pacis officio contineret. Sed ab hoc non ſemper ſalubri conſilio, quam parabant immitia fata, ad res perturbandas viam inuenerunt. Deuouerat ſe bello Perſico Selymus, vt Hiſmaëlem in Calderanis nuper campis ſuperatum, funditùs euerteret. Obſtabat Selymi audaciæ æquiſſimus belli arbiter & ſpectator Campſon, ab ea æquitatis ratione prorſus infelix. Nam vti periculo proximus, permotuſq; recenti adhuc exemplo Tarſenſis pugnæ, & ſuperiore Vſſumcaſſanis audacia, qui nunquam flumen ipſum Euphratem imperij ſui limitem



mitem eſſe pati voluiſſet, in neutram inclinabat partẽ, & ſe vtrinq; totius belli diſceptatorem & iudicem exoptari & deligi cupiebat. Verùm Selymus ſuperbo ingenio intetdicentis arma vaniſſimi ſenis minas & vires contemnens, eaſq; ferro retundendas eſſe exiſtimans, poſtpoſito Perſa, magnæ ſibi gloriæ futurũ duxit, ſi ſuperato Amano monte in Syriam inexpectatus interrumperet. Ab eo nuncio percitus ira Campſon, & ſuorum perfidię ignarus, permotis à Damaſco caſtris, in Comagene ad Singam amnẽ Selymo obuius fuit, & extemplò cum hoſte collatis ſignis conflixit; eo victoriæ euentu, vt Cayerbeio Alepiano Præfecto inſigni perfidia Campſonem non deſerente modò, ſed infeſtis perſequente armis, Mamaluchi, quanquã eximiè fortes, amiſſis Ducibus funderentur; & Campſon ipſe fugientiũ ſuorũ incurſu (vti erat ætate multoq; abdomine grauis, ingentiq; præpeditus hernia) in multo puluere, nemine agnoſcẽte, cadenteq; equo proculcatus interiret. Repertum cadauer, triduoq; oſtentatum Syris, ſubitam rerũ commutationẽ admirantibus non Syriæ modò, ſed Iudææ atq; Ægypti occupandi Selymo victori ianuam aperuit.

IANI VITALIS.

Fortuna cæca & ſurda verè diceris,
Et mente vana prædita,
Ad alta tollis ſcamna in imo conditos,
Vt mox cadant profundius,
Moroſa tu mortalium appetentium
Votum omne fulmine ocyus
Fugas, deinde te nihil petentibus
Benignitate prodigis.
Campſon vt ille Gaurius nil ambiens,
Nil te proterua flagitans,
Inuitus imperator ora Aegyptia
Tumultuoſa militum,
Ex fece plebis factus, inſolentia
Supra volabat nubila,

Inter receptus altiora ſydera,
Mox excidens altiſſimus
Abſumptus armis hinc & hinc rebellibus
Grauis ſenectæ pondere,

Fit ludus atrox impotentis aleæ,
Tuaq; pertinaciæ;
Amiſit & cum vita opes, quas maximo
Cum regno habebat maximas.

Tomumbeius vltimus Aegypti Syriæque Sulthanus.



DAMNATIS herclè auſpiciis, & iam fatali ruina concidente Mamaluchorum imperio, Tomumbeius imperium excepit, vt labantibus & ferè perditis rebus ſuccurreret: ita verò attollentibus cunctis procerum ordinibus annuit, vt ſe tanquam indignum excuſaret, parumq; paratum ad pericoloſiſſimi belli vim ſuſtinendam; ſic vt amore patriæ potius, publicæque ſalutis & dignitatis cauſa, quàm vllo ambitu diadema ſuſcipere videretur. Eum namq; longè optimum atq; fortiſſimum credebant, qui reparando bello cæteris omnibus aptior, & ad defendendam communem iniuriam, magnitudine animi, militariq; auſu promptior cenſeretur. In hunc præcellenti virtute ſita, militumq; omniũ ſtudio nixum, & Diis inuitis arma expedientem, Fortuna admirabili excitato ludo, infeſta iacula contorſit, vſque adeò atrociter, vt peculiari decreto præſtantiſſimi hominis virtutem ſibi omnino excindendam ſuſciperet: qua cadente, ipſum vnà concideret Sulthanorum imperium, propter elatæ gentis ſuperbiam ſæuamq; tyrannidem cunctis hominibus, præſertimque Ægyptiis intolerandum & inuiſum. Itaque

Tomumbeius

Tomumbeius explicatis conſiliis aduentanti Selymo, ad Matarean ſua caſtra oppoſuit, fruſtrà tormentis, cæciſq; foſſarũ inſidiis permunita: magnoq; ſtatim ardore & pari ſpe victoriæ vtrinq; claſſice recinerunt. Sed admirandæ pugnaciſſimi regis fortitudini, ne Selymus deleretur, obſtitit illa eadem perfidia, quæ Campſonem oppreſſerat. Nam tranſfugæ cuncta ea quæ Mamaluchi inſidioſè paraſſent, ita Turcis indicârant, vt longè omnium iniquiſſimo & cruentiſſimo prœlio certaretur, & Tomumbeius munimentorum ſuorum ſpe deiectus, numeroſi hoſtis tormenta non diu ſuſtineret. Amiſſis enim illuſtribus præfectis, & flore equitum multa cæde perturbato, intra vrbẽ Memphim eo animo ſe recipit, vt per obſeptas magnis trabibus regiones, de imperio, & de liberis ac vxoribus egregio conatu decertaret. Verum Selymus, cui fide comes & nuſquam abſcedens Fortuna aderat, fortiter aggreſſus vrbem, cuncta perrupit; & continuata per triduum dimicatione, magnam partem Mamaluchorũ vel pertinaciſſimè repugnantiũ trucidauit, fruſtraq; reliquos, ad Deorum inanium templa confugientes, & ſub fide deditos interfici iuſſit. Nec tanta accepta clade Tomumbeium vltra Nilum ſe recipientem, & nouas comparantẽ copias Fortuna perſequi deſiit, vti nondum tot illatis iniuriis exaturare, ſcilicet vt in regem ob ingenti inuictaq; virtute conſtantiſſimum, impotentis ſuæ libidinis totam iracundiam effunderet. Ipſa namq; iterata reparatis copiis, & ad Nili ripam pontemq; ſupremo audaciæ conatu edito confligentem perculit; quærentemq; latebras per paludem calamis obſitam, prodentibus incolis, Selymo victori captum vinctumq; tradidit; vt de rege ſummæ, ſed infauſtæ virtutis clariſſimo, ſpectaculũ verè deforme, Scythicumq; prorſus ederetur. In eũ ſiquidem Selymus abdicata omni vel regiæ clementiæ, vel iuſtæ humanitatis laude, quæ ſingularis fero eius ingenio proponebatur, crudeliſſimè ſtatuit, quum diu in quæſtione de theſauris acerbiſſimè tortum, impoſitumq; vili camelo, & per vrbem circumductum, ad Baſuelam Syriæ portã laqueo necari, vncoq; ferreo ſuſpendi iuſſerit; vt Ægyptij ſe victorem eſſe faterẽtur, qui ſublatis duobus ſupremis regibus, Sulthanorum imperio finem attuliſſet.

AONII PALEARII Verulani.

Non fuit in toto Rex aquè oriente beatus,
Nec magis in toto Rex oriente miſer,
Quàm dolor Aegyptij, olim Tomumbeius, auro
Ingenti, atq; armis, & ditione potens;
Captus ab hoſte fero, miſerum ſimul atq; beatum
Exemplo potis eſt commonuiſſe ſuo;
Quid rides temerè? Quid fles? vis te cohibere?
Et natum poſt hac te meminiſſe hominem;
Mi trabeam induto, gemmis, auroq; corona
Cingebat fulgens, & diadema caput:
Mi quondam ornabant pretioſa monilia collum;
Nunc fractam vili reſpice fune gulam.

Iacobus Triuultius.

NATVRAM non ſæpe cuiquam ſua dona cumulatè largiri ſolitam, præclaro Iacobi Triuultij exemplo intueri licet; quippe quæ ei parũ liberalis & decori oris rictum, eumq; à ſimo naſo in obtuſam cuſpidẽ prominente, prorſus ignobilem dederit; atq; itẽ iuſto humiliore (quanquam quadratæ) & ferendis armis habili ſtaturæ eſſe voluerit; ita vt ingẽtis ſpiritus vigorẽ qui pleniſſimè inerat, nequaquẽ generoſa vultus ſpecie, perſonæq; dignitate ſubleuaret. Natus eſt Mediolani, patre nõ admodum opulento, ſed maioribus claris; diuerſa remẽ fama. Nam Antonius Triuultius inter percuſſores Iohannis Mariæ Mediolani Principis annumeratus, eius parricidij nomine damnatus eſt. Ex aduerſo autem Eraſmus apud Philippum interfecti fratrem & ſucceſſorem forti fideliq; ſtudio non præclaros modò militiæ honores, ſed ipſius etiam Principis conſanguineam cũ dote opulenta in matrimonio habere promeruit. Poſt hunc Eraſmum, Antonius & Ambroſius, Franciſco Sfortiæ, Philippi ſoceri imperium & hæreditatem adeunti, ſemper aduerſati ſunt. Ipſe verò Iacobus tanquam acer, & ex Guelpha factione validus hoſtis, ſecus ac Renatus frater, à Ludouico ſemper diſſenſit; & quòd dominatum fratris filio ereptum ferre non poſſet, foris ſeſe grauiter variis bellis exercuit: In Etruria primò, & demùm contra Auximates, atq; inde ad Aragonios reges ſe contulit, quos Ludouico infenſiſſimos eſſe cognouerat. Ab hac noua amicitia conciliante Ferdinando rege, Alfonſi Aualí, regiâ gratiâ præpotentis ſororem in matrimoniũ duxit. Verùm ingruente in Italiam Carolo Galliæ rege, profectus in Galliam togatam cũ Ferdinando iuniore nulla re memorabili aduerſus Gallos geſta, cum ipſo Ferdinando Romam et; inde Neapolim ſe recepit: viſuſq; eſt parũ opportuno tempore miſſionem impetraſſe, & ad victorẽ Gallum illicò certæ militiæ conditione conceſſiſſe; propterea quòd audiſſet, Ludouicum Sfortiam cum cæteris regibus omnia Caroli felicitate perculſis, noua fœdera aduerſus Gallos percuſſiſſe: ſummo namq; voto, vt his ſe applicaret, Sfortiani omnia hoſtes quærebat. Itaq; redeunti Carolo, Tarrenſi in pugna ante primã aciem, operam tam fortem quàm felicem præſtitit, & famam ſtrenui peritiſſimiq; Ducis conſecutus eſt. Defuncto autem Carolo, Ludouicus Aurelianus ſucceſſor, eum Aſtæ vrbi cum ala equitum præfecit, Itaque mox ſubſcri-



bente votis Fortuna, maximum eius operum fuit, Ludouicum Sforriam Mediolanenſi imperio
depuliſſe, (nec multo pôſt eum etiam captiuum in Galliam perduxiſſe; vnde ei liberalitate regia
magnas opes vel graui cum inuidia obueniſſe conſtat, quãdo ab his meritis Mareſcalchus (quod
eſt apud Gallos Equitum magiſter) ſit appellatus, & ob hoc inſignis dignitatis munere, memo-
rabiles ſæpe victorias Gallico nomini pepererit. Quarum omnium nobiliſſima proculdubiò fuit
ea, qua Feltrium Baleonumq;, ad Bononiæ mœnia caſtrametatos, ſine ſuorũ vulnere profligauit,
Bononiamq; Bentiuolis reſtituit. Quæ victoria prudẽtiæ & felicitatis nomine eo plenior & cla-
rior extitiſſe viſa eſt; quòd non multo pôſt Gaſto Foiſſeius ad ingẽtem aſpirans laudem, cũ ſum-
ma Gallorum clade iacturaque totius Italici principatus, ad Rhauennam in ipſa funeſta victoria
concidiſſet. Sed qui nuſquam prælio fuerat ſuperatus, ad Nouariam inuſitatæ Heluetiorum au-
daciæ ita ceſſit; vt vindicaſſe iniuriam biennio pôſt ad Mediolanum cenſeatur, quum Heluetio-
rum legiones; ipſo apud Franciſcum regem depugnante, perdomitæ ſuperatæq; ſint, & Medio-
lanum vix toto vertente anno aduerſus Maximiliani Cæſaris impetum peculiari ipſius conſilio
conſtantiſſimè fuerit defenſum. Cæterũm non multo pôſt Triuultium ſua illuſtri laude, & ciuili
parſimonia gaudentem, & (vti erat elegantiũ literarum appetentiſſimus) publice Gymnaſia ad-
micante iuuentute frequentantem, vehemẽter exagitauit inuidia, inhiante ſcilicet eius oppidis
Lotrechio, qui ſumma regis gratia ſubnixus, Mediolani erat in præfectura. Qua de re, vti indi-
gna ſuis meritis exacerbatus, noua fœdera cum Griſonibus Heluetiorum ſocijs, ſibiq; ad Meſo-
chium caſtellum antiquæ ſuæ ditionis finitimis renouauit, vt dignitatẽ ſuam tueretur aduerſus
immodicas Lotrechij cupiditates, quæ ad eripiẽdum Vlglebanum voluptarij ſeceſſus vrbem ex-
tendebantur. Hanc nouam renouati fœderis pactionẽ, obtrectatores vſque adeò Regi ſuſpectam
fecerunt, vt ſenex ſeptuagenario maior vocatus in Galliam, tanquam ad dicendam cauſam me-
dia

dia hyeme per Alpium niues contẽdere cogeretur; quos in re vel ob id minus benignũ quàm ſperaſſet Franciſcum regem inuenit, eo quidem acriore animi cum dolore, quòd ab ipſo patre Camillum filium ſpurium perfidioſè atque impiè defeciſſe reperiebat. His conflictatus curis, indignabundus ſenex apud Carnutes exorta ſtranguria facilè interiit: vir profectò Italorũ ducum celeberrimus & optimus, niſi grauiſſimam & propè perennem inuidiam, quom externæ gentis iugum patriæ primus imponeret, cũ execrabili ſeruientium ciuium deteſtatione ſubiiſſet. Tumulatus eſt Mediolani apud ædem Nazariam, ſuæ tribus ſumptuoſiſſimo ſepulchro ab ſe condito, quod poſtea Iacobus nepos eius & hæres, accumulatis ornamentis luculentius feciſſe vidimus.

PARTHENII PARAVICINI.

Non violam, aut Paphium florẽ, mollemue Hyacinthum
Spargite, non magni poſcunt hæc munera manes;
Sed galeas, clypeosq́, enſesq́, & Martia dona
Ferte, & honorato feretrum præcingite lauro,
Hoc ducis egregij funus, ſacraq́ Triuultij
Inferia, quo fama Italûm, Mauorſque Latinus
Extulerat caput, & priſcũ affectabat honorem.
Armorum proceres celebrẽ longo ordine põpam
Ducant, & tanto perſoluant iuſta ſepulchro,
Concuſſisq́ frequens exercitus aſſonet armis.
Tum vos Scipiadæ manes, vmbraq́ Camilli,
Vos Decij, Fabijq́ duces, & clara Quirini
Progenies, vbi nox furuas extenderit alas
Ferte pedẽ, & cineres venerati & nobile buſtum
Magnanimi excipite Herois, fauſtoq́ ſequentes
Agmine, ad Elyſios vmbram deducite campos;
Hos Mauors illi, Pallasq́ indicit honores.

RAINERII.

Inſubrum columen Triuultius hac tulit ora,
Quem ad magnũ Bellona edidit Erydanum,
Mauorti permixta Deo; treis pectore vultus
Treisq́ animos habuit, tergeminasq́ manus,
Ter letho ſternendus erat, ſed dente maligno
Vna ducem inuictum ſuſtulit inuidia.

HIERONYMI VVLPII.

Sunt tumuli Iacobe tui certamina, capta
Vrbes, captiui, regna, trophæa, duces.
Hos tumulos tibi tu propria virtute paraſti,
Nos tibi pro titulis carmina bina damus.
Vicerat hic hoſtes animus; at nomine mortem
Vicit, & inuictus vixit, & interijt.

Triſtanus Acunius Luſitanus.

HAC honeſta canitie viridis adhoc ſenectæ, cultuq; nobilibus margaritis picto, ac internitente paſſim inſignium gemmarũ fulgore; ſupra quàm dici poſſet ornatiſſimo, Triſtanum Acunium, Emanuelis Luſitaniæ Regis legatum vidimus; quum Flumentana porta præeunte Elephãto in Vrbem inueheretur. Indicæ victoriæ ſuæ trophæa oſtentans, donaq; afferens Leoni Pontifici, vt ſupremæ fortunæ decus præclara magni numinis prouidẽtia ad felicitatem ſeculi collatum gratularetur, quando eum etiam tanquam ſacrorum principem ritè creatum, religioſè atque ſuppliciter venerari iubebatur. Munera fuêre planetæ, & pluuiales Dalmaticæq; veſtes, vnis ſolennibus ſacris dicatæ, quas innumerabiles, margaritæ Phrygiis operibus interrextæ mirabiliter adornabant. Prorex ſiquidem in India Triſtanus multas ſibi pretioſiores diuitias congeſſerat, præclaris rebus cùm grauitate pręſtantis ingenij, tũ bellicoſa manu geſtis; adapertis ſcilicet, aut inſtitutis Indicæ negotiationis emporiis vltra Calecuthũ vſq; ad opulẽtiſſima Cambaiæ, Narſingæ, & Bengalæ regna; paſſimq; per orã amicitias iunxerat, tributaq; aromarum imponens, vltra Gangem Luſitani nominis famã propagârat. His rebus geſtis redeuntẽ ad triumphum, ſuperantemq; extremum Æthiopiæ promontorium, quod nautæ Bonæ ſpei vocant, rapidiſſimi Aquilones vltra circulum Antarcticũ tanta vi propulerũt, vt in vaſto pelago longiſſimi tractus terras adierit, quas non ingentis inſulæ, verùm eius continentis immenſæ regionis, quæ ad Peruana & Cuſcana regna connectitur, eſſe crederet; quã nemo tamen præter eum hactenus inuenerit; non ſecus ac Magalano accidiſſe videmus; qui per ãguſtas quaſdã fauces in occidentalem Oceanum, circuito toto terrarum orbe, ſtupẽda nauigatione penetrauit. Sed Elephantos aurea inſtratus ſtragula, & turrito ephippio Indos homines geſtans in ſe admirãtis populi ora conuerterit, quum extenta proboſcide, eaq; nemini noxia, & paſſu ad modulos tibiarum temperato iocundiſſimè laſciuiret. Obſtupuêre in tantę molis bellua Romanus in primis populus, & ſuburbanæ gentes, tam docilę ingenium, humanisq; adeò ſenſibus propinquum; quòd magiſtri ſceptro ve teretis imperantis vocibus parẽret; venerariq; principem; & auguſtiore habitu homines certo geſtu videretur, circumfuſæq; puerorum turbæ adulari didiciſſet. Cæterùm Elephas publicæ hilaritatis oblectamentũ, vix toto biennio Romani cœli lucem vel diuerſę paſtionis intemperiem



perierrs potuit, quum fluente aluo pauciſſimis diebus interiret. Eius mortem plebs tota non ſecus ac Incomparabilis ciuis diu luxit, quòd communis omniũ voluptas quæ ad famam dignitatemq; Vrbis pertineret, immaturo alioquin viuaciſſimæ beſtiæ interitu, erepta videretur. Ob id Leo Pontifex non obſcurè præproperis extincti fatis ſubiratus, vt populi deſideriũ, quanquam inani picturæ ſolatio deliniret, Elephantum ſimillima effigie, menſuraq; membrorum iuxta turrem Vaticanæ portæ pingi iuſſit, cui & hoc quoque Epigramma inſcriptum eſt.

BEROALDI Iunioris.

Monte ſub hoc Elephas ingenti contegor ingens
Quem Rex Emanuel deuicto oriente, Leoni
Captiuum miſit decimo; quem Romula pubes
Mirata eſt, animal non longo tempore viſum
Vidit & humanos in bruto pectore ſenſus.
Inuidit Latij ſedem mihi Parca beati,
Nec paſſa eſt ternos domino famulariter annos.
At quæ ſors rapuit naturæ debita noſtra,
Tempora, vos ſuperi magno accumulate Leoni.

At Rex Emanuel ad extendendam ſubactæ ab ſe Indiæ laudem, dignũ fama ſua ratus, ſi recentis muneris gratiam nouo munificentiæ officio cumularet, Rhinocerotem etiam miſit, qui ex itinere longiſſimæ nauigationis, in littus prouinciæ Narbonenſis expoſitus, inſigni Galliæ ſpectaculo fuit. Erat hæc bellua paulò humilior elephãto, ſi altitudinẽ ſpectes, ſed longitudine propè par, noſtratis bubali formam referens: nam vngulas habet biſulcas, verùm tergore buxei coloris, eoq; ab impenetrabili duritie duplicato, tanquã perpetuo thorace protegitur; armaturq; pedali oſſeo cornu ſupra nares eminẽte, quo ferire ſub vtero, atque trãſfodere elephantem peculiarem ſuum & interneciuũ hoſtem ſolet, ſi tamen iniectæ ad collũ & ocyſſimè ſtrangulãtis proboſcidie

boſcidis vim effugiat; nam in congreſſu perpetuæ ſimultati, aut parta victoria, aut certè decorâ morte ſatisfacit. Sed hanc inuſitatæ feritatis belluam, quæ in arena Amphitheatri elephanto ad ſtupendum certamen committi debuerat, Neptunus Italiæ inuidit, & rapuit, quum nauigium, quo aduehebatur, Liguſticis ſcopulis illiſum, impotentis tempeſtatis turbine merſum periiſſet; eò grauiore omnium dolore, quòd bellua Gangem & Indum altiſſimos terræ patriæ fluuios tranare ſolita, in ipſum littus ſupra portum Veneris, vel arduis ſaxis aſperrimum enatare potuiſſe crederetur, niſi compeditus catenis ingentibus, nihil proficiente euadendi conatu ſuperbo, maris Deo ceſſiſſet. Ferunt hunc Rhinocerotem quum ab Oceano Vlyxponenſi in portu exponeretur, aſpectu atq; odore ſuo elephantum Romano grandiorem, qui tum erat in Regia, vſqueadeò truculenter terruiſſe, vt elephas ipſo naturæ miraculo præcipuus hoſtis, concepto incredibili pauore, ſeptum caueæ ferreis ingentibus clatris permunitum, humerorum & capitis præcipiti impulſu perruperit, & in longam ſe proripiens fugam, terribilique barritu edito, ſtridens & furens cuncta obuia proſtrauerit. Vtriuſque belluæ imagines ex vera naturaliq; magnitudine picturis expreſſæ, in ipſo Muſæi noſtri atrio ſpectantur, cum hac inſcriptione ſingulis verſiculis animantium naturam demonſtrante.

Humanos Elephas retinet ſub pectore ſenſus,
Rhinoceros nunquam victus ab hoſte redit.

ANTONII SANFELICII de Rhinocerote.

Rhinoceros ego ſum fuſco deuectus ab Indo
Hinc, vbi veſtibulum lucis portaq; diei,
Heſperia claſſem aſcendi temeraria velis
Auſa nouas terras, aliumq; inuiſere Solem.
Spectârat quondã vrbs noſtros in munere circi
Congreſſus, hoſtemq; elephantum obiecit arena.
Hic patrias iras, æternaq; prælia mecum
Exercet fidens immani corpore moles.
At loricamur triplici nos tergore, & arma
Prævalidus mucro, atq; inuicta cuſpide cornu.
Ipſe cadit Barrus, dum telum figitur aluo
Expugnat vires ſtultas prudentia ſolers.

FINIS LIBRI QVARTI.

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN QVINTVM LIBRVM ELOGIORVM SVORVM


PRAEFATIO

Ad COSMVM MEDICEM Florent. Ducem.

HEroum, quos inclyta virtus noſtro ſeculo clariſſimos fecit, quintus hic liber Elogia continebit, eritq;, vti reor, ſuperioribus multò iocundior: quoniam illorũ laudes ardentiſſimæ virtutis auſpicijs partas exprimat, quorũ ex rebus præclarè geſtis recentiſſimam hodie memoriam retinemus. Mirificè ſiquidem iuuat eos ex veris imaginibus repræſentatos, rurſus vti adhuc ſuperſtites oculis intueri, & benigna cogitatione ſuſpicere, tanquã defunctos, atq; omni prorſus inuidia carentes; quos ipſi de facie nouerimus, gerentesq; bella varijs periculis atq; victorijs inclaruiſſe viderimus. Habet enim in ſe hoc illuſtris & excellens virtus, vt ea præditos & cæteris præſtantes, vel apud ipſos hoſtes ac inimicos, in admirationẽ rediuiua cũ laude perducat, iniiciatq; elegantioribus ingenijs, quendam honeſtæ cupiditatis aculeum, agnoſcendis ſcilicet eorum formis & vultibus, qui res literarũ memoria dignas, forti conſilio & pugnaci dextra confecerint. Quandoquidem res magnæ & memorabiles plerunq; ex varia tot caſuum reputatione, à legentibus ſcripta, aut picta ora ſpectantibus voluptatẽ & dolorem; proq; habitu præduri vel mollioris animi, interdum ex indignitate improbè atrociterq; factorum, miſerationem & lacrymas eliciant. Tu verò, magnanime Coſme, pro natura ingenij tui, quod nihil niſi perilluſtre atq; honeſtiſſimum reſpicit, rectè ſtudioſeq; feceris; ſi quæ legendo ex moribus tot inſignium Ducũ exempla accuratè notabis, ea felici delectu imitanda ſuſcipies, & quod proprium ingenuæ verecundæq; tuæ probitatis eſſe videmus, ſingula vitia; quæ temperati moris modum exceſſerint, repudianda penitùs, vitandáque cenſebis. Vale.

ELOGIORVM LIBER QVINTVS.

Franciſcus Gonzaga Mantuanus Princeps.



HIC eſt ille Franciſcus Gonzaga Mantuanus Princeps, qui ab illuſtri inuſitataque animi magnitudine, & immenſo ardore pugnacis ingenij à Venetis delectus Imperator, primus noſtro ſeculo cruenta Tarrenſi acie Italicæ atq; externæ virtutis glorioſo congreſſu, quanquam infauſto, periculum fecit. Conſtat enim eo prælio plus ſanguinis fuſum, quàm duobus antea ſeculis; ab eoq; incommodo didiciſſe Italos, nequaquam feruidis animis, ſed ſtabili conſilio, & certa arte diſciplinæ militaris exercenda eſſe arma; cum his præſertim gentibus, quæ ordines ſeruare, diuerſas repentè acies efficere, nihil vulnera & mortem, aut denique ænea tormenta reformidare conſueſſent. His enim documentis, qui tum prælio victus videri potuit, gemino demum bello victor extitit cum inſigni gloria, recepta ſcilicet Nouaria, & Gallis omnibus Neapolitano Regno pulſis. Non arriſit ei demum fortuna, quum pro Gallis conuerſo ſtudio militaret. Eius ſiquidem impigræ virtutis vim & conatum omnem, contumelioſi quidam Gallorum Duces, adeò importunè atque impudenter præpedi-

præpediuerunt, vt mox cùm ſuperbiæ, tum imperitiæ ſuæ ad Lyrim amnem pœnas darent. Aliquanto autem pòſt, quum Veneto bello ſeſe immiſcuiſſet, & cum ala Gallorum in Patauinum agrum ad Cæſaris caſtra contenderet, noctu apud Inſulam Scaligeram Veronenſis agri pagum, Græcorum equitum multitudine circumuentus, in poteſtatem Lucij Maluetij deuenit, diuque ſeruatus Venetis in cuſtodia, tandem Iulij Pontificis beneficio liberatus eſt, quum Federicum filium fidei obſidem Romam miſiſſet. Fuit Franciſcus ingenio liberali, aperto, nuſquam fallaci, & denique nuſquam maligno, ſed qui ſermone iocoſo fœminarum pudori intemperanter illuderet. Verùm qui vaga Venere oblectabatur, fœdum atque lethalem morbum, vt tum ea ſæua tempora produxerant, facilè tulit, quo miſer ante diem inter varios cruciatus expiraret. Per omnem autem vitam, quod vix ex cenſu credi poterat, cùm Regia hoſpitalitate ac eximio totius aulæ cultu, tum rerum omnium ornamentis, & magnificentia operum, ſplendidorum etiam Regum æquabat decus. Sed ſupra omnes eiùs ætatis Regulos, equorum copia, delectu, varietate, nemine æmulari auſo, ſummam proculdubiò gloriam promeruit: quandoquidem equarum greges aleret ad ſobolem propagandam, accitis vſque ab vltima Hiſpania atque Numidia; Hiberniaque item, equabus, & admiſſariis. Eo namque tempore quotannis per Italiam liberis in vrbibus inſtituta erant, more veterum Græcorum certamina, equorum pernicitate & curſu contendentium; vnde celeberrima laus cum opimo præmio expetita multis; vnis verò ſemper Gonzagæ equis promerita pararetur. Generoſos autem & ad arma natos ſonipedes, neque plures quiſquam, neque nobiliores habuit, aut eos accuratiore diſciplina perdomuit. Quorum armentorum inſtitutа animaduerſis diſparis coniugij variæq; fœturę prouentibus, aliqua ex parte Federicum filium poſtea emendaturum vidimus; niſi inſatiabili ædificandi ſtudio allectus, aliò ſumptum tranſtuliſſet. Cæterùm Franciſcus his lectiſſimis equis, qui variè permutato ſemine nouæ atque pulcherrimæ ſobolis videri poterant, indefeſſo munificentiæ ſtudio, externarum gentium Principes ſibi conciliauit, vnaq; præſertim Othomannorum amicitia clarus excelluit, quum inde Thracum & Cilicum lectiſſimos, ad progeniem & bellicos vſus impetrârit. Sobole filiorum omnino felix exceſſit è vita, quum ex Iſabella Alfonſi Ateſtini ſorore tres liberos reliquiſſet, Federicum primo editum partu, matura iam paternę virtutis indole ad ſummos militiæ honores vadentem, & Herculem lectiſſimis moribus & literis inſtitutum, paratamque ſibi & familiæ debitam ſacrati cultus purpuram promerentem, & denique Ferdinandum militare decus in Gonzaga domo, clarioribus ſuperadditis victoriarũ trophæis ad ſummam gloriam euecturũ.

LAELII CAPILVPI Mantuani Cento ex Virgilio.

O decus Italiæ, quondam dum vita manebat.
Sceptra tenens, tardis ingens vbi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas,
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis
Dum memor ipſe mei, dũ ſpiritus hos reget artus.
Salue vera Iouis proles, tu maximus ille es
Vnus qui nobis magno turbante tumultu
Ante annos animumq; gerens curamq; virilem,
Vltrò animos tollis dictis & pectore firmo,
Arduus arma tenens, fulgentes ære cateruas
More furens torrentis aquæ, Gallumq; rebellem
Sternis humi, campiq; ingentes oſſibus albent.
Parthenope meritis tantis non immemor vnquam
(Dextera cauſa tua eſt) ſolio conſedit auito.
Quid memorem ſpolia illa tuis pendentia tectis
Tam vulgata? quibus cælo te laudibus æquem
Flos veterũ, virtuſq; virûm? cui cura nitentes
Paſcere equos, merita expectent qui præmia palmæ
Europa atq; Aſia, tanta eſt victoria curæ.
Tu decus omne tuis tu ſeruantiſſimus æqui
Omnibus exhauſtos iam caſibus, omnium egenos
Vrbe domo ſocias, tua terris didita fama.
Munera præterea ex auro ſolidoq; elephanto
Coniunxère tibi (cuncti ſe ſcire fatentur)
Regnatorem Aſiæ, genus inſuperabile bello,
Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.
Salue ſancte parens, Italûm fortiſſime ductor
Felix prole virûm, ſi quid mea carmina poſſunt,
Semper honos, nomenq; tuũ, laudeſq; manebunt.

IOAN. BAPTISTAE POSSEVINI Mantuani.

Inuicti effigiem Gonzaga nobilis arte
Eximia expreſſit ſpirantem pictor; at illi
Non potuit duris partum decus addere bellis,
Non præſens animis robur, Populiſue regendis
Iuſtitiam, & largæ præſtantia munera dextra.
Ceu quondam radijs exutum ardentibus ora
Mortali vultu, gradientem montibus Ida
Phœbe manus te docta ſacros effingit in vſus.
Aſt Iouius clara ſplendorem reddidit arte,
Aeternamq; dedit Gonzaga ducere vitam
Ductores inter primos, quos nulla tacebunt
Secula, nec veteris lædent obliuia famæ.

Maximilianus Cæſar.



MAXIMILIANVM Cæſarem Friderico tertio Imperatore genitum, quem eruditiores Germani pro Maximiano, quod nomen eſt antiqui Cæſaris, cui Iouij cognomen obtigerit, Maximum Æmilianum appellant, hæc tabula ab effigie ſimillimum reddit. Ferunt Auſtriacæ domus nobilitatem Romani ſanguinis ſtirpem reſpicere, perducto ſcilicet ſtemmate à Perleonum familia, ex qua fuerunt celeberrimi olim Comites ex Tribu montis Auentini. Hos enim ad Abſpurgum conſediſſe conſtat, inter Rhetos, Noricos, & Vindelicos, non longè ab Heluetiis, coaleſcenteque ſenſim potentia, Auſtriaci Principatus (vti ipſe Cæſar ſuæ originis religioſus indagator aſſeuerabat) iura & titulos condidiſſe; eiusque dominatus claritudinem bellica quæſitam virtute, & longa vetuſtate conſtitutam propagaſſe. Hinc euenit, vt facilè credamus, Auguſtam hanc Romani Imperij dignitatem, ad Auſtriacos Principes, quòd Romani ſint generis, fatali quodam iure perueniſſe. Quando iampridem abolita ſit militaris acclamationis conſuetudo, qua Imperatores olim apud exercitum in caſtris fiebant, & ipſa etiam ſeptem Germaniæ Procerum ſuffragatio penitus obſoleſcat, toto ſcilicet hoc honore per manus præpotentium Cæſarum legitimè tradito, confirmatoque, qui iam altas iecerit radices, vt in vna familia non dubiæ hæreditatis nihil interciſa ſerie, decentius atque ſtabilius refloreſcat. Cæterùm hoc Cæſare nullus ſuæ ætatis Regum luculentiorem militaris habitus dignitatem, vel certius ac illuſtrius probi, vereq; auguſtioris decus ad Imperium attulit.

attulit. Per omnes ſiquidem cùm bellicæ, tum ciuilis virtutis numeros, generoſi ſpiritus inuictique animi magnitudinem, quam in aduerſis pariter & ſecundis caſibus homines mirarentur, ita præferebat, vt contemnere Fortunam videretur, eamque ſeuera fronte tanquam inſolentem improbeque ſemper iniuſtam & inſtabilem, damnati fallaciſſimique numinis antiquorum infamem Deam appellaret, propterea non multum vel eius benignè arridentis gratia, vel acerbiſſimè ſæuientis odio ſupra æquum angeretur. Inerat enim Maximiliano animus pecuniæ contemptor, opulentiore Cæſare dignus. Eam ſiquidem vbi poſſideret, vel non integrè exactam, diuidere ſtatim atque elargiri amicis & hoſpitibus, quàm in ærarium ex ignobili parſimonia inuidiæ plenum congerere malebat. Exiſtimabat enim nihil vnquam ab ſuo felici ſydere, & arcanis cuiuſdam ſanctioris oraculi promiſſis, ſibi & poſteris opulentiſſimorum Regnorum ditionem eſſe defuturam, quæ bella geſturo in perpetuos liberalitatis vſus ſeſe effundenti peramplas atque inexhauſtas ſignati auri facultates ſuppeditaret. Qua ſuperba & ſæpe inani opinione imbutum, & neruos ſibi immodicè præcidentem, neceſſe erat ſentire improuiſam egeſtatem, & in medio bellorum curſu ita hærere atque fatiſcere, vt non aliunde quàm ab ipſo ſtipendiorum defectu, ſemipartæ iam victoriæ interpellari, & è manibus eripi dicerentur. Arriſerat namque ei Fortuna ab initio, quum imberbis adhuc, interfecto ab Heluetiis Carolo ſocero, Belgici eius Regni hæreditatem adiuiſſet: Quippe qui alacriter, beneuolentiſſimeque ſuſceptus, commutatis demum ſeditioſiſſimis gẽtis ſtudiis apud Brugenſes cum vxore cuſtodiæ traditus, diuerſam impotentis Deæ vim, ſed moderatè & fortiter tulerit. Exinde eum priſtinæ dignitati atque Imperio reſtitutũ diuerſa exercuerunt arma, quibus inſigne decus, vel adhuc iuuenis adeptus eſt, fuſis ingentibus Gallorum copiis apud Ghingatam, & perdomitis Menapiis atque Sicambris. Sed non multo minor ei laus ceſſit peritiæ atque auſus militaris, quum Bohemos non procul à Ratiſpona, vel ſeſe caſtraque ſua perpetua ſcutorum ingentium munitione defendentes, cruento edito prælio ſuperaſſet, & Pannonios ex ſemioccupato Norico inuadentes Auſtriam, non ſemel repreſſiſſet. Nec demum eadẽ felicitate Heluetia arma laceſſiuit. Ab his enim non longe à Rauracorum finibus, fuſo ipſius exercitu, graue vulnus accepit: fruſtraq́; Italiam aſpexit vetantibus Fatis, quam proculdubiò Caroli nepotis Imperio reſeruabant. Improſperè ſiquidem expeditio in Etruriam pro Piſanis aduerſus Florentinos ſuſcepta, & bellum longè grauiſſimum Venetis illatum, vexillaq́; ampliſſimi exercitus in conſpectum Mediolanenſium promota, terribiles quidem primò impetus, ſed mox inanea atque irritos conatus habuerunt. Erat Cæſar pace & bello ſupra quàm dici poſſit credulus, & ſuſpicax; ſic vt qui acie vinci non poterat, bello per moras facilè vinceretur. In vniuerſum Integræ pietatis atque incomparabilis munificentiæ, caſtrenſiſque diſciplinæ laudem promeruit. Exceſſit è vita ſexagenario minor apud Velſium oppidum, quum leui tentatus morbo intempeſtiuam acrioris pharmaci potionem bibiſſet.

PAVLI IOVII Iunioris.

Vatum Muſa decus Pierium, quæ laticem colis,
Tolle, ô magnanimum, tolle precor laudibus inclytis
Iam pridem ſuperûm conſilio ad ſydera Cæſarem
Euectum. Cythara, dulciloqua, ſeu fidibus Lyra
Hunc cantare iuuat. Quàm iuuenem gloria maximis
Factis extulerit, Danubius nouit, & impiger
Qui lambit veterũ mœnia circumfluus vrbium
Rhenus, dum rapidis Oceanum vorticibus petit.
Hunc olim trepidis extimuit Sequana fluctibus:
Regem namque ſuum, proh pudor, illa inclyta Gallia
Spectauit fugientẽ, Auſtriacis viribus imparem,
Spectauit fugientem iuuenis Cæſarei impetum,
Findentis gladio perdomitis hoſtibus agmina,
Qualis quum tumidus profluit è vertice Veſuli
Vaſtans arua Padus, ceu Boreas quum fremit infidum
Nautas attonitos æquoreis fluctibus obruens
Vel quum irata Poli porta furens intonat aere
Sternens Templa Deûm fulminibus celſa cacumina.
Verùm Barbaricis aſſuetum nil niſi præliis
Tentare Italiam quippe iuuat, miles ab Alpibus
Ductu Cæſareo dira fremens Theutonus euolat.
Nouêre inde Patres Hadriaci quàm celeri manu
Moles cõtuderit flammiuomas, & propugnacula:
Quum Verona ſui ſcuta virûm, & corpora fortium
Deplorans Atheſis ſanguineo voluier alueo
Spectauit facibus fulmineis ſpargier omnia:
Tormentoq́; ſtrepenti indoluit mœnia concuti.
At qui Tuſca colunt littora, qua pulcher Etruriã
Arnus rura rigat, veliuoli olim domini maris
Piſani eximia laude canunt illius inclytum
Nomen, iuſtitia perecelebre, & munificentia.
Salue Auguſte diu, teq́; ſimul magnanimus nepos
Inuictus Carolus, perpetuis auctet honoribus,
Ardentis Libyes perdomitor. Nam tua gloria
E ſplendore ſuo nobilior fulget, vt aureis
Ex Phœbi radiis, pulchra micãt cornua Cynthiæ.

DVCES TRES BALEONEAE familiæ, qui vna in tabula expreſſi continentur.

Ioan. Paulus Baleonus.



BALEONOS qui ſupra ſeculum vnum inter ciues Peruſiæ authoritate Principatum tenuerunt, quòd militiæ dediti ſpectata ſemper virtute arma tractarent, Baioarici ſanguinis fuiſſe tradunt. Summam autem familiæ dignitatem attuliſſe fertur Malateſta, qui auorum noſtrorum memoriâ ſub Braccio Montonio Imperatore, militiæ diſciplinam hauſit, & per gentiles ſuos propagauit. Huius pronepos fuit hic Paulus, qui in tabula cum duobus liberis Malateſta atque Horatio pictus ſpectatur, haud dubiè familiæ clariſſimus euaſurus, niſi propinquorum inuidiâ Leoni Pontifici criminoſiſſimè delatus, deceptusque ſua ſpe, in agnoſcendis alioqui benigni, ſed tum ambigui Principis ſenſibus, ceruicem vltrò ſecuri præbuiſſet: Petruccianæ namque coniurationis gnarus fuiſſe ex damnatorum confeſſionibus putabatur. Sed id in eius necem Leonis animũ maximè perpulit, quòd hominẽ ingenio acrem; & manu promptum, Imperatorijq; muneris ſecundas partes apud Venetos promeritum, proptereaq; Peruſinis ad imaginẽ inuidioſę Tyrannidis dominantem, tollere cupiebat, ſatagentibus in eius necem affinibus atq; propinquis, qui non aliter quàm morte potentiam eius conuelli poſſe exiſtimabant. ſiquidem Baleonis omnibus hoc ſemper fatali æmulatione fuit inſitũ, vt ſimultatem nunquam

ferè

ferè intermiſſam, inter ſe cruentiſſimè exercerent: & quum pulſa Oddorum familia, præpotentes atque æmuli ciues deeſſent, ſeſe ipſos gentilitio ſanguine defœdarent. Enituit in Paulo oris & corporis eximia dignitas, eloquentia, militari ſtudio requiſita excellẽs; mores bello & in caſtris nemo carperet, pace multi laudarent; niſi nuſquàm oblitus factionis, vetera etiam odia vindicare, & inceſtis amoribus ſuam alienasq; familias dedecorare conſueſſet.

Malateſta Baleonus.



MALATESTA filius paternæ ſæuitię atque libidinis vitia deteſtatus, quum fortis ſub Liuiano Imperatore, cui nupta erat ipſius amita, præclara cũ laude militaret, egregium ſibi præfecturæ locum apud Venetos parauit, exulque à Leone factus, Peruſiam patriam pulſis inde Vitellio, & Gentile Baleono, fortiter recuperauit, quum antea in expugnanda Cremona, pellendisque Laude Pompeia Cæſarianis, plurimùm inclaruiſſet. Ad extremum Florentinis conſtantiſſimè libertatem ſuam defendentibus, quũ annum propè integrum pertinacia Clementis Pontificis & inuicti Cæſaris arma obſeſſus ſuſtinuiſſet, deſperatis auxiliis, obortaq; fame aſpera, maluit florentiſſimam vrbem ſeruare ab immanitate atq; ſæuitia externarum gentium, quæ opulentiſſimæ prædæ inhiarent, quàm patere imperitis & obſtinatis aliquot ciuibus, qui deſperatâ veniâ vnà ſecum ciues extrema ſupplicia perpeti, interireque patriam, & incendio abſumi potius quàm ſeſe dedere, & ſubactos confiteri cupiebant. Nec ob id factum fidei ſuæ famam læſit apud æquiſſimos ciues, à quibus iure optimo auream ſeruatæ vrbis ſtatuam meruiſ-

Horatius Baleonus.



ſe potius quàm maligna obtrectatione lacerari, communi bonorum hominum iudicio, & ſacroſancti Pontificis teſtimonio videri potuit. Non vixit inde integrum biennium atroci & diuturno morbo ſuccumbens, Rodulpho filio hærede relicto, quem hodie ſingulari cum laude bellicoſæ familiæ dignitatem tueri videmus: Quum Horatius patruus multis fortibus factis, Salernoq; præſertim expugnato clarus, verùm Malateſta factioſior & ſæuior Florentinis copiis præpoſitus, in obſidione Neapolitana Lotrechio Gallorum Duci operam nauans, non in acie, ſed fortuito glandis ictu ſine liberis perierit.

PAVLI IOVII Iunioris.

Tres ſimul Heroas pictor, tria fulmina belli
Pinxit in hac tabula.
Hoſpes ſummiſſis genibus ter lumine luſtra:
Ter venerare Duces.
Gaudeat vt geminis pater inclyt⁹, aſpice, natis;
Et pariter gemini
Vt patre lætentur nati mauortia pubes.
O celebranda diu
Norica progenies centũ dominata per annos
Te mea Muſa canet.
Nam patrem inſignis clarum virtute, maligna
Perculit inuidia,
Credulus heu nimium ſummiſit colla ſecuri
Præſidis Auſonij.
At vos Etruſci, meruit nam ſculpier auro,
Carmine perpetuo
Ductorem veſtrum Baleonum tollite ad aſtra,
Ob patriam, atq; domos

Hoſtibus

Hoſtibus erepta ſeruatáque templa Deorum.
Nec minus interea
Egregius toto celebretur Horatius orbe.

Viuite in Elyſio
Fœlices animæ, quorum tenet æthera virtus
Sydere nobilior.

Selymus Turcarum Imperator.



SELYMVS Othomannæ familiæ nonus Imperator, hoc ore truci ferocibusq; oculis, inſitam animo ſuo vim, diramque ſæuitiem oſtendebat, quum in ſanguinem gentilium ſuorum & reliquorum, qui ad eius imperioſi genij nutus parum expeditè reſponderent (hos enim præcipuè oderat) immaniter deſæuiret. Hic prorſus ingens, ſi vel æqui, vel iniqui auſus gloria certius expendatur, Mahometem ſuum crudelitate ſimul atq; animi magnitudine ſuperaſſe videri poteſt. Stratis namque Perſis in Calderanis campis, ipſoq; Hyſmaële Sopho iuſta acie deuicto, & Regia eius, quæ vocatur Tauriſium, occupata, atq; vaſtata, tantum inclyti nominis promeruit, quantum ſatis eſſet ſatiandæ ambitioſiſſimæ eius gentis Regum cupiditati, niſi ad longè maximum gloriæ cumulum acceſſiſſent duo, geminata victoria Syriæ atq; Ægypti Reges, armis deuicti atque interfecti, Campſon ſcilicet infelix ſenex ab equitatu ſuo in fuga protritus & fortiſſimus Tomumbeius, qui extremum cùm vitæ ſuæ, tum Sulthanico Imperio finem miſerabili ſupplicio affectus, attulerit, quum vniuerſum propè terrarum orbem, rerum à ſe fulminea celeritate geſtarum, admiratione atque terrore ſuſpendiſſet. Verùm magni numinis prouidentiâ factum fuiſſe fas eſt credere, vt illa vis indomita & inſuperabilis ſeſe in Orientem effun-

o 3

deret, vt Europæ inteſtinis bellis laboranti, nihil herclè merentibus Chriſtianis Regibus parcetetur. Regnauit annos octo, vixit quadraginta ſex, & quum maius aduerſus nos bellum eſſet ſuſcepturus, canceroſo renum vlcere verè peſtilenti, apud Chiurlum Thraciæ pagum, morte ſolutus eſt, Pyrrho Baſſæ, in cuius ſinu atroce animam exhalabat, Solymanum filium commendans, ſeuereq; præcipiens, vt in Chriſtianos, tanquam veros hoſtes, arma verterentur, neglectis Perſis, quorum inanem ſuperbiam ſatis ipſe contudiſſet. Euenit autẽ vt eo fatali ſibi loco, in quo Baiazetem patrem circumfuſa acie adortus opprimere cogitârat, meritas immania parricidij pœnas daret, ſed nequaquam flagitiis pares, vtpotè quæ omnem immanitatis notam excedant; poſtquam Acomathem & Gorcuthum germanos fratres, & tot fratrum filios Regiæ indolis ad vnum omnes ſuſtulerit, vt Solymano filio omni æmulatione vacuum Othomannici Imperij ſolium pararet. Quanquam & huic ſucceſſionis atque hæreditatis ius ipſum aliquando inuiderit. Feruor enim eum, veſte veneno intus atrociſſimo delibuta, filium extinguere cogitaſſe; vt quædam eius verba immodicè pungentia vindicaret: ſed eius exitioſæ veſtis donum aſtuta matris miſericordia repudiatũ, pro Solymano Cubiculario datum, ocyſſimè perniciem attuliſſe. Sic vt hoc exemplo, immanitate feras anteiſſe videatur, monſtro quàm homini ſimilior, qui ex animo plusquam Tartarico, nemini ſuorum pepercerit. Sed non defuêre qui in eo abominabilem carnificinam, tanquam ei neceſſariam, qui ſine æmulo metuq; regnare decreuiſſet, verbis excuſare contenderent: quòd regnaturo omnia diuini atque humani iuris penitùs obliuiſcendum cenſeant. Vſque adeò enim Imperij dira ſitis eſt, vt vel flagitioſiſſimis artibus apud quoſdam, Regna tueri fas eſſe videatur.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Hae Selymi effigies Scythico quæ pallida vultu
Mortalibus minatur, & magnis Dijs,
Trux illa eſt, inhiant Lycia ſub tegmine telæ
Impexa atroces vndecunque viperæ.
Eumenidum decus, & Vulcania lumina, lethum
Spirant, & ora vim, nefas, & impium.
Miſcuit in cano dira hic Aconita parenti
Fratresq; letho extinxit omnes horridos;
Ipſe ſuo (ni vana ferunt) fata vltima nato
Parauerat, ſuperba quæ ſors diſtulit.
Huic tamen horribiles peperit victoria laudes
Et inſolenti adaucta ſceptra dextera.
Nam quà Sol agili circum rotat ardua curru
Hyrcaniam, rubrumq; Perſicum ſinum,
Quaq; coloratis longè deuexus ab Indis
Deſerta Nilus arua lambit Aethiopes.
Gens Eoa omnis, varia armis, diſſona linguis
Flexêre Regi colla barbara effero.
Sulthani euerſum Imperiũ, atq; Aegyptia Regna
Quum totus vndique orbis expaueſceret.
Nec dubitamus adhuc priſcis picta illius ora
Miſcere noſtris (ah nefas) Heroibus.
Othomannorum quin ora perempta potentum
Vrbs hac ſuperbis illinit coloribus.
Fallimur, & Roma hæc nõ extulit ora, ſed hæc tu
Nobis Iouis diuinæ ſpectanda erigis,
Itala imaginibus vafer, hiſce vt pectora tentes,
Exurgat vltor ſi quis inde ſpiritus,
Noſtra illis adimat qui ſigna, vicesq; rependat,
Replens cruore cuncta, caſisq; artubus.
Macte hac arte Pater, ſtimulis qui corda Nepotũ
Ad vera auitum gloria excitas decus.

M. Antonius Columna.

NEMINI vni nos ſumma cum admiratione viderimus, rariora ſpectatioraque vel cœleſtis gratiæ, vel arridentis naturæ dona contigerunt, quàm M. Antonio Colomnę. Hic enim nobiliſſima Romani ſanguinis ſtirpe progenitus, ante omnia ſtaturæ proceritate, firmitate, atq; amplitudine ſingulorum artuum, decore frontis, & ſplendido quodam æneæ barbæ nitore, maieſtateque toroſi pectoris, veteres æquabat Heroes, ob idq; pręſertim, quòd pręclaro inſignium virtutum concurſu, multiplicíq; optimarum artium eruditione ad eximium decus ornaretur; vſqueadeò conſtanti vel ciuium vel externorum ſtudio adamatus & coltus, vt quum coleretur à ſingulis, cuncti eum in vniuerſum, vel diuerſæ factionis obſeruarent, atque ſuſpicerent, eumq; vnum Iulius Pontifex, tanquam Romanorum Procerum lectiſſimum, collocata ei in matrimonium Lucretia conſobrinę filia, generum ſibi aſciſceret, quum graui iudicio Rouereæ familiæ nomen, ſicuti antea Felicem filiam Iordano Vrſino collocârat, clariſſimis Romani ſanguinis ſtirpibus inſerẽdum exiſtimaſſet. M. Antonius patre orbatus, quòd in Etruſco bello apud Alfonſum Aragoniũ militans periiſſet, Proſpero patruo, & Fabritio huius patrueli celeberrimis Ducibus adhæſit, ab hisq; certiſſimis militiæ præceptis imbutus, ita exactam hauſit diſciplinam, vt Proſperi naturâ cunctatoris cautũ & inuictum robur; præferuidam verò in expediẽdis armis Fabritij vim, nobili ſalubriq; temperamento moderari didicerit; tanto illuſtria famæ prouentu, vt quũ in Apulia, Latio, Etruria, Galliaq; Ciſalpina variis prœliis interfuiſſet, vtroque patruo



truo decerptis eorum virtutibus, honore auctior & maior euaſurus crederetur; niſi immitia fata eius paratis honoribus properè nimium inuidiſſent. Is namque quum defenſa nouiſſimo virtutis opere fortiter Verona aduerſus immenſam vim oppugnantium Gallorum & Venetorum, aliquod ſe nauatæ operæ præmium nanciſci putaſſet, & à Ceurio Belga Caroli adoleſcentia nutritio, per moras ſupinè ſe contemni, faſtu Romano ſuccenſus, non diu pateretur, ad Franciſcum Galliæ Regem è Belgis contendit, à quo vti is naturâ Rex erat, omnis verę virtutis liberaliſſimus æſtimator, præfectura alæ equitum, & conſacrati Regis ordinis torque honeſtatus eſt. Sed ea militia demum infauſto omine ſuſcepta, quòd tum Leonis & Cæſaris armis Lotrechius Gallorum Dux Mediolano pelleretur, M. Antonio bellici laboris & vitæ immaturum finem attulit. Nam dum inſtaurarent Galli bellum, & Mediolano copias admouiſſent, vt circumuallatæ arcis obſidio ſolueretur, M. Antonius nondum quinquageſimum ætatis annum attingens, ingentis Colubrinæ pila ictus occubuit, eadem etiam pila diſcerpto & ad latus cadente Camillo, Triultij clariſſimi Imperatoris filio, quũ obequitantes in aggere hoſtium munitiones inſpicerent. Corpus eius Proſpero hoſtium Duci à Lotrechio conceſſum eſt, vt mœſtiſſimus patruus, fratris filio tantæ ſpei, & cùm fortè Veneti exercitus Imperatori deſignato, iuſtis exequiis parentaret. Luxère eum atrociſſima morte ſurreptum ſocij atque hoſtes paribus propè lacrymis, ideoque vberioribus, quòd maſculum prolem, quæ paternæ virtutis eſſet hæres, nullam reliquiſſet.

AVGVSTI COCCBIANI.

Hac in tabella pictus eſt Columnius
Heroas inter iure primas obtinens,
Quos Roma genuit omnium fortiſsimus,
Quos Roma vidit omnium pulcherrimus;
Virtutis eſt Verona teſtis optima,
Seruata quondam ab vi & furore barbarô;

Et pulcher Atheſis mœnia eius perfluens
Atro cruore ſæpe tinctus hoſtium.
Eſt vaſfra teſtis gens libera, eſt horrida
Germana pubes, terga ſæpe quæ dedit
Illius armis, ceu fugaces Capreæ
Multa premente agreſtium manu ſolent.
Formæ paternæ ſigna ſunt certiſſima
Præſentis aui filia pulcherrima
Iouis Deorum Regis, atque Apollinis
Digna cubilibus. Deum hinc credi licet
Illum fuiſſe, qui Deis ſimillimus
Virtute, forma, viribus planè fuit.
Hinc ſuſpicata mágna turba cælitum,
Humana ne quem lædere, aut ſors, aut manus
Nequiret hunc nec ipſa fata attingere,
Vel morte ſera, vel cruenta vi queant,
Homoq; ob id vitam Deorum degeret,
Subinuida, in Columnuſum potiſſimùm
Conturat, areaq; tormento æreo
Miſſa pila; tonante cœlo, vt fulmine
Heroa ſtrauit; Mars dolore lachrumat.

Matthæus Cardinalis Sedunenſis.



MATTHAEVS cui Lango cognomen fuit, & honorem poſtea purpuræ adeptus eſt, apud Sedunum vrbem fœderatamq; Heluetiis & Rhetis, natále ſolum habuit, humili quidem patre genitus, ſed eo pro captu Alpinæ gentis nihil à literis ab horrente. Quamobrem ab eo vt primùm adoleuit, in Italiam eſt miſſus, eo cóſilio, vt Italicam perdiſceret linguam, & Latinis pariter literis operá daret, demumq; (vti euenit) ſacris initiaretur. Itaq; Matthæus poſt prima literarum rudimenta, quæ in patria perceperat,

Comi

Comi ſub Theodoro Lucino nobili (vti illa ferebant tempora) Grãmattico, Poetaq́; , tãtos proceſſus fecit in ſtudiis, vt nihil earum rerum quæ vel audiret, vel legeret, robuſti auidiq́; ingenij memoriam ſubterfugeret; vtpote qui ſæpe ægri præceptoris munia, docendo felici æmulatione obire eſſet ſolitus, magnamq́; partem Maronis Aeneidos, & Heroidum Naſonis quãquàm ſubagreſti vocis ſono recitaret, amplecteretur q́; ſupra cunctos authores librũ de Conſolatione Boetij Seuerini, qui liber moralibus multis exemplis refertus, delectos quotidianis actionũ ſuarum ſermonibus flores & exempla cũctis prope caſibus opportuna ita ſuppeditabat, vt eius eloquentiã non Germani modò, ſed Itali etiã eruditiores magnopere mirarentur: conciliaretur inde Sedunenſi populo ad promerendum Epiſcopatus ſacerdotium, quem Populus ſpectatum moribus per ſuffragia deligere, & Pontifici maximo mitra exornandum offerre cõſueſſet. Vbi verò ſtolatus & infulatus de more in tẽplo ſacras habere conciones cœpit, tanto concurſu omnis generis hominum audiebatur (quòd mores exactè ſobrios caſtosq́; præferret, qui ipſam eloquentiæ laudem ſine cõtrouerſia ſuperarent) vt ampliore ſacerdotio dignus haberetur. Nam multus erat, & efficax in componendis controuerſiis, quæ inter ciues atq; finitimos intercederẽt, vſqueadeò recto atq; incorrupto iudicio, vt nemo vel factioſus, eũ vltrò oblatum arbitrũ reiiceret. Eo modo collecta authoritate apud ſuos populares, probitatis atq; induſtriæ nomine potens & validus, in id incidit tempus, quo exortum eſt bellũ inter Gallos & Iulium Pontificem, quũ Ludouicus Rex, infauſti damnatiq́; nominis cauſam ſuſcepiſſet, excitãdi concilij, cuius ſanctionibus atq; armis impotenter dignitas Pontificis conuelli poſſe putabatur. Iamq; eò res erat perducta, vt Iulius ex Rhauennate cruento prælio victus ſpoliatusq́; Bononia, & nefariis vndiq; armis circumuentus, ab externis gentibus Hiſpanis atque Britannis, Heluetiisq́; præſertim, opem implorare cogeretur. In ea controuerſia Matthæus integræ pietatis ſtudium, egregiamq́; operam ſic præſtitit, vt à Iulio ſupplente Senatum, in honorẽ Heluetiæ gẽtis, purpureæ dignitate honeſtaretur. Nec multò pòſt Matthæus multis concionibus apud Heluetios habitis egregiè perſuaſit, vt pia arma ſuſciperent aduerſus Gallos, qui res diuinas profanis commiſcere conarentur. Quod ob id non magnopere difficile fuit, quoniam gens Heluetia paulo antè ſeſe ab amicitiã Ludouici Regis alienãrat, tanquam ingrate ſpreta & fraudata donatiuis atque ſtipendiis, auari aut certè nimis parci Regis acceptam contumeliã vindicare percuperet, eoq́; grauius & properãtius, quòd pro Heluetiis legionibus auxiliariis, Gallus Germanorum cohortes mercede cõducere cœpiſſet: cuius iniuriæ is fuit exitus, vt Matthæus cùm ſuo aſtrictus officio, tũ purpurei galeri beneficio obligatus, vniuerſam gẽtem aduerſus Gallos concitaret, eosq́; Ticino pulſos, & ad alpes & in Galliam fugientes, Ciſalpinæ Galliæ imperio expelleret. Nec in ea celebri victoria, qua haud dubiè Pontifici ſua dignitas eſt reſtituta, Matthæus aut ſtudium ſuum erga Pontificium decus aut odium in Gallos intermiſit. Nam mortuo Iulio, Leonem Decimũ pro recipiẽda Parma atq; Placentia bellum mouentem mirificè adiuuit, Gallosq́; Duce Lotrechio iterum Mediolano depulit, inſtauratoq́; ſæpe bello, quũ Leo Pontifex fato eſſet ereptus, atque ei ſuffectus Hadrianus Sextus, cuius comitiis interfuerat, nũquam ab authoritate Pontificij nominis diſceſſerat. Mortuus eſt Romæ non planè ſenex primo Hadriani põtificatus anno, vir inter exactæ virtutis Imperatores, potius quàm inter Senatores numerandus, ſi corporis ac ingenij robur & rerũ ſtrenuè geſtarũ cumulum ſpectes. Maximè verò ei glorioſum fuit Franciſci Regis iudicium, quũ aſſeueraret, me audiente; aliquanto plus ſibi ſumptus atque periculi Sedunenſis facundiæ indomitã vim, quàm tot legionum eius gentis cuſpides attuliſſe.

PLACIDII Placentini.

En tua purpureus decorat Matthae galerus
Tempora digna ſacro triplicis ſplendore corona.
Scilicet exultans telis ferus accola Rheni,
Pondus arenoſum rapidis qui flexibus vrget
Oceani in gremium, demens, hoſtilibus armis
Imperia, & leges diuum lacerare profanus
Irruerat; miſeraq́; nouus tremor oſſa tenebat
Italiæ, validis quum te Duce caſtra maniplis
Heluetia aduentant, biũq́; acres cuſpide Gallos
Fundunt, Pontificemq́; armis victricibus vltã
Tandem nubiferas alpes tranſcendere cogunt.

AVGVSTI COCCEIANI.

Heluetii, gens vna Ioui cariſſima ſummo,
Et cara Martis pignora.
Inuicti bello populi, certiſſima Regum
Bellantium ſpes, ac metus:
Nullóne Heroas veſtros celebratis honore?
Nullo ære? nullo marmore?
Certè etiam externos, clara virtutis amica,
Artes fouebunt Itali.
Ipſe pater Iouius quàm mira expreſſerit artè
Illuſtrium formas Ducum
Cernitis, & veſtri Ductoris imagine vera, vt
Dotes & ora effinxerit.

Qui latè Italiam fama compleuerat omnem
Virtutis ergò fulgida.
Quare purpureo corpus velabat amictu,
Sacro coruſcus ordine:
Certabantq́; virum ſublimem tollere ad aſtra
Bellona Pitho, Sanctitas.

Proſper Columna.



SÆPE hac ſpecie prolixè comatum fereq; cincinnatum, & priſcæ probitatis os ſubagreſte, ſed tamē oculis ingenuum, & quidem militare præferentem, Proſperum Columnam vidimus, atq; item his armatum inſignibus. In eo Romanorum Procerum nobiliſſimo, apprimè grauis, & conſiderati Imperatoris decus enituit, quod proculdubiò ad antiquæ Romanæ virtutis ſpecimen referri poſſe plerique exiſtimârunt. Quandoquidem in eô multa militaris conſilij vis, egregiaq́; conſtantia animi probitas, & recti honeſtique appetens, moderatus animus conſpiceretur. Nemo enim eo temperantiùs vel inter factioſos arma exercuit: nemo humaniùs à ſanguine militum temperauit: nemo denique abſtinentiùs innocentium hominum agricolarumq́; præſertim fortunas à licentia militari conſeruauit. Has propter virtutes, quæ in huius duræ ætatis Ducibus deſiderari facilius poterant, quàm reperiri, non ſemel præclara voce apud Inſubres, Cœnomanos, & Venetos, Paganorū defenſor, & Italicæ gentis Pater appellatus. Fuit Proſpero diſſimili morū genere, & pari propè gloria militari præconio celebratus Fabritius patruelis; quo collega, diuerſas vtriuſque virtutes in mutuum conſenſum, parandis victoriis opportunum, ita miſcuiſſe conſtat, vt vterq; ab eo temperamento ſe ipſo maior & clarior euaderet.

Sed

Sed Proſper, qui diu aduerſus Gallos inuicta arma tulerat, improuiſo ſuperuentu Gallorum equitum fœdè apud Villafrancam Subalpinæ gentis oppidum oppreſſus, captusq; eſt, Obegnino atq; Palicia eius expeditionis Ducibus, quos antea Neapolitano bello ipſius maximè inſigni opera captiuos vidiſſet. Sed nõ multò pòſt clementia Franciſci Regis, quũ ſe dimidia pecunia redemiſſet, eam cladem acceptam nouo victoriæ prouentu reſarciuit, quũ Lotrechium & Gallos ex longa contentione Ciſalpinæ Galliæ imperio depuliſſet. Ab his rebus geſtis Sfortiano dominatu Mediolani conſtituto, ſummos militaris imperij titulos à Carolo Cæſare promeruit. Verùm inde leuem ab initio, ſed mox euentu lethalem contraxit morbum, quum iam ſexagenario maior, affectę ætatis oblitus, illuſtrium matronarum amoribus intemperáter indulſiſſe crederetur. Luxerunt eum totius Ciſalpinæ regionis ciuitates, hominumque ordines, tanquam patriæ parentem, incredibili hercle cum mœrore, præſagientes vtique veriſſimis lachrymis imminentem duriſſimorum temporum conditionem, qua cunctas ab Hiſpanis atque Germanis præſidiariis acerbitates perpeſſi, omnino crudeliùs atque funeſtiùs à ſocio, quàm ab hoſte, concaſuras ipſorum fortunas diuinarent.

PETRI GRAVINAE.

Nil obſtat, Dux magne tuis, nil ampliùs auſis
Fortuna obſequium, ſigna ſequentis habes.
Vidimus indomiti ſuperata pericula belli.
Vidimus hoſtiles ſuccubuiſſe manus.
Oppida vi capta, & validis traiecta maniplis
Flumina, & oppoſitos terga dediſſe Duces.
Reſtabant arces tormentaq; bellica, tandem
Ceſſerunt arces, flumina, ſaxa, mina.

ANTONII CASANOVAE.

Tres modò fama Duces circa tria munera belli
Ante alios primum iuſſit habere locum,
Caſtra locare fuit Pyrrhi, Fabijq; morari,
Marcelli proprium conſeruiſſe manus.
Tu caſtris, hoſtemq; mora, & certamine Proſper
Viciſti, atque trium quod fuit, vnus habes.

Hyſmael Sophus Perſarum Rex.

AB hac illuſtri, & ſupra mortale decus radiante, imperioſaque facie apud Perſas ſuos ſe ipſo admirabilior fuit & auguſtior Sophus Hyſmael, qui noſtrâ memoriâ totum terrarum orbem nominis ſui fama compleuit. Is namque magni Vſumcaſſani Regis ex filia nepos, Haidare, cui Hardueli cognomẽ fuit, genitus, ac in obſcuro nutritus adoleſcens, ſpecie formoſiſſimi oris cunctos æquales anteceſſit. Vir integræ ætatis, milites omnes dignitate firmiſſimi habitus & equitandi ſagittandiq; peritia ſuperauit. Seniores verò, vt primùm ſeſe ætas inflexit, aptiſſimarum rerum ſcientia, & caſtrenſis prudentiæ laude ita excelluit, vt per omnem ætatem, quæ ei ſupra æquum auguſtior contigit certo numini propior, quàm mortali, vti auguſtiſſimus coleretur. Erant enim res eius bello geſtæ, cùm victoriarum pondere, tum magnitudine euentuum, & quadam perpetua atque felici curſus celeritate mirabiles; vtpotè qui perſuaſione commutatæ religionis excitatis in eius ſectam Orientis gentibus, Iacuppi Regis auunculi filios, Regni hæreditate depulerit, iiſdemque armis, quibus mortem patris vindicabat, & nouæ religionis nomen tuebatur, extinxerit. Nulla ſiquidem armata manus vim ſuſtinere poterat Sophianorum, qui à purpureis capitum integumentis Perſica lingua Cuſelbaſſæ vocabantur. His enim non vno in loco in aciem eductis, & paſſim victor per Armeniam, Mediam, Perſidem, Parthiam, Meſopotamiam, & Aſſyriam, eius nouæ religionis ſectam, eademque capitum inſignia propagauit. Inde quoque aucto numero, ea inſana & credulæ multitudinis turba, tumultuariis, ideoque prægrauibus, quòd ſacra dicerentur, armis, in Othomannicos fines perruperat. Verùm is Sophianorum incurſus talem habuit exitum, vt per Baiazetis acerrimos Duces, Galatia & Cappadocia, mutuis cum cladibus pellerentur. Secundum Baiazetem fato ſuo functum, Selymus filius Perſicum ſuſcepit bellum, Hyſmaëlis offenſus gloriâ; ſuperatoque Eufrate, ad Artaxatam Calderanis in campis cum Hyſmaële conflixit; eoque acie pulſo, & retrocedente, Tauriſio Regia vrbe potitus eſt. Sed reparantem copias Hyſmaëlem, & iam aduentantem veritus, continuò in Cappadociam ſe recepit; magnæ hercle & memorabilis victoriæ, niſi ea multo Turcarum ſanguine conſtitiſſet, trophæũ erecturus. Exinde Sophus Hyrcanorum iniuriis laceſſitus, in eos arma cõuertit, diuq; ea plerunque victor exercuit, quum interim Selymus immenſa gloriæ cupiditate incenſus, ad excidiũ Sulthanici Imperij arma conuertiſſet. Cæterùm Hyſmael plenus gloriâ, perdomitis & pacatis vndique finitimis, quartũ & quadrageſimum agens annum, in magna ſpe longioris vitæ, contracto ex aſperrima venatione fatali morbo, paucis diebus abſumptus eſt. Edixerat inuſitati generis venationẽ, qua Regio apparatu ſyluestrium equorũ greges petebantur, in aſpera nemoroſaq; regione, quã Seruanam vocãt. Ea eſt Medorum & Albanorum in finibus, non longè à Caſpij maris conſpectu ad Caucaſi montis radices poſita. Id regionis



ſpatium, venatorum ingens multitudo iuſti propè inſtar exercitus, exploratis earum ferarum ſedibus & paſcuis complectitur; perpetuaque corona ſenſim coërcendo præcingit; atque indices tanquam indagine clauſas vndique territando & iaculando pulſas, in magnũ campum compellit, in quo Rex primus defertur, atque ira circumuentę feræ voluptatium de ſe ſpectaculum adeò violentis conatibus ad effugium editis, præbet, vt magno periculo, ac niſi procul iniectis laqueis expiantur, multiplicatisq; reſtibus diuerſo venatorum nixu contineantur. Ea ſiquidem feritas illorũ eſt, vt niſi defeſſæ curſu & ſiti, inediaq; confectę & perdomitę fuſtibus manſuefieri queant, vlxq; per aliquot menſes multa periculoſaq; domitorum induſtria, ſtragulam & ſeſſorem admittunt, quum dentibus & calcibus libertatẽ defendant. Hi aſpectu ſunt truces, prælongis atq; horrentibus comis, rigida ceruice, & arietino capite deformes: nam ſtrigoſiores habent clunes; ſed crura cum toto femorũ & ſuffraginum nexu adeò valida, vt bidui curſu minimè fatiſcãt; nec vngulæ latæ admodum atq; præduræ ferreis ſoleis indigeant, quandoquidẽ nec in aſperis rupibus lapidoſisq; locis atterãtur. Sed domitis graui lupato opus eſt, & valido capiſtro, quod ſubter crura ventre tenus deductum, vim eleuantium frontes, & ſeſſorum capita pulſantium coërceat. Id itaq; ferorum equorum genus laborioſum capi, perdomariq; difficile, vſu verò longiſſimi curſus ſuprà quàm exiſtimari poſſit, mirificum, ob id vnis tantũ dicatum eſt Regibus. Is equus colore cinereo, nigris ad poplites internitentibus virgis Onagros refert. Tradunt autẽ Perſę (vt ab Armenio Patriarcha, qui Hyſmaëlis familiaris fuit, audiuimus, niſi ea fabuloſę ſuperſtitionis putetur) horum equorũ greges in tutela quorundam agreſtium numinum eſſe conſtitutos, proptereaque eos nefas eſſe per ſacros lucos, & teſqua Diis inanibus Syluanis & Faunis dicata, cõſectari, capereve; quando violantes ſacrum gregẽ, & lucos conſecratas Diis ſedes, repentinus ſequatur interitus; vt nõ impunè accidiſſe Hyſmaëli prędicabãt, q ſiue defatigatione & labore nimio difficilimę

venationis

venationis conuulſus, ſiue fatali percuſſus iniuria ſyluestrium numinum, immatura certè morte, & fortaſſe non immerita perierit. Quum prædicentium admonentiumque ſeniorum Sacerdotum præſcita, atque oracula neglexiſſet; eo quidem præclarius, quòd Sumachiæ Regulum in eandem venationis voluptatem accerſitum, eadem fatalis auſus cauſa ſuſtuliſſet.

Parthenii Paravicini.

Hanc tibi Apellea referentem ex arte colores
Effigiem, famæ, laudumq́; appendimus ergo
Perſarum decus, ô Heros, quem Gangis ab oris
Extremoq́; Oriente, ingenti gloria plauſu
Euectus ad Heſperium, Solisq́; cubilia vexit,
Clarum opibus, facie inſignem, & præſtantibus auſis
Egregium, dum pro ſacris cultuq́; Deorum
Pollutaq́; tui pro religione Tonantis
Inſurgis, piaq́; arma moues, totq́; oppida victor
Tot populos & regna tuis tot finibus addis.
Atq; Aſia magno fundis certamine Regem.
Quin etiam (rarū Ducibus) ſtudiumq́; Mineruæ
Excolis, Aonidumq́; artes; nil denique inauſum,
Nil intentatum, ingenióue manúue relinquis.
Macte, ô iuſtitia Princeps, & pacis honore,
Præclare & bello, Ducibusq́; æquande Latinis,
Te curuo in Lari fulgentia littore tecta
Pieridum, ſacraq́; domus, quibus Altus Apollo,
Præſidet, & ſpretis Cyrrha nunc incolis antris,
Accipient; vbi conſpicuū in primisq́; micantem
Magnanimos inter Reges Martiſque coronam
Suſpicient, Populi, nec auari temporis vltrà
Debentem inuidia quicquam mirabitur omnis
Poſteritas, Ioniúſque tuos celebrabit honores
Qui nunc æternis mandat tua nomina factis.

Antonij Grimani Veneti Principis.

IN attollendo premendoque Antonio Grimano alternantibus diuerſæ fortis impulſibus, Fortuna mirabiles edidit ludos. Nam quatuor annorum puer Marino patre mortuo, ſub tutela patrui maritimæ negotiationi à prima ſtatim adoleſcentia adſcriptus, ſummos labores, ſummaque tempeſtatum pericula alacriter ſubiit, vtpotè qui cuncta propè Syriæ, Ægypti, Africæque emporia adiit, tanta aſperrimarum rerum tolerantia, ſingularique parendi obſequio, vt ſatis honeſtos ex diligenti mercatura quæſtus faceret, vſque ad legitimam petendis honoribus ætatem. Reuerſus ſiquidem Venetias, per omnes Magiſtratus in ciuitate decucurrit, ſic vt nuſquam repulſam ferret propter ſpectatam fidem cū ſumma gerendarum rerum prudentia coniunctam, maiora ſemper atq; ampliora, quàm peteret conſenſu ſuffragantium ciuium promeritus. Quū verò ad ſplendidiſſimæ legationis munus vocaretur ad Fridericum Cæſarem in Germania agentem, id cum pudore recuſauit, quod plerique Senatores eius viri grauiſſimarum rerum experientis perſonam, domi quàm foris Reipublicæ vtiliorē iudicarent. Impetratum idcircò eſt, vt Dominicus filius, optimis inſtructus literis, qui poſtea Cardinalis fuit, pro patre in eam legationē mitteretur. Exinde ſuas partes in Republica eximia cum moderatione ſemper implens, perpetuo tenore gratioſus apud populum, maximeque probatus apud Proceres Senatus fuit; eo præſertim tempore, quo ad maris præfecturam euectus eſt. Nam cum Veneti cum Carolo Gallorum Rege bellum ſuſceperant, & Aragonios Reges ex fœdere ſocios armis defendendos exiſtimabant. Itaque Grimanus cum valida claſſe in Apuliam profectus, complura eius oræ oppida occupata à Gallis, manu cepit. Monopolimque vrbem, admotis tormentis, fortiter expugnauit; quo terrore Polygnanum, Molam, Brundusium & Hydruntem in Salentinis, in poteſtatem Veneti nominis redegit, authorque extitit & ſuaſor apud Senatum, vt Veneta pecunia Aragonius ſubleuaretur, iiſque oppida tanquam oppignerata Venetis tuenda relinqueret. Quo conſilio & fractæ Gallorum res, & aduerſariorum, quæ erant difficiles, in melius reſtitutæ ſunt. His rebus geſtis, fidem ſpemque totam apud ciues de ſua virtute conceptam, cumulatè impleuit; meritoque factus Procurator Diui Marci, In id tempus incidit, quo Senatus Venetus commutato ſtudio, & reiecta Sfortiæ amicitia, cum Ludouico Gallorum Rege fœdus percuſſit, quo Cremona nouæ amicitiæ præmium petebatur. Tanta enim incitatione Senatus in odium exitiumque Sfortiæ, tantaque amplificandi Imperij cupiditate deſcenſum erat, vt ſanioribus conſiliis nullus omnino locus relinqueretur. Reclamabat libero ore Grimanus, vti verus Vates, ſicuti nos ab ipſo ſucceſſoreque etiam Gritto accepimus; inuidiam inde grauioraque pericula veritus, moderationisque Senatus primores admonebat, vt infirmum Regulum potius quàm potentiſſimum externæ gentis Regem accolam mallent. Sed iuniorum ſuffragia aduerſus bene conſultos ſenes, fatali quodam impetu valuerunt. Veneti enim in vniuerſum à Sfortia ſe tranſuerſis artibus impeditos, quo minus Piſis potirentur, ægerrimè ferebāt. Itaq; Ludouicus reiectus à Veneto, atq; hoſtis declaratus, deceptusq; item ab Alexandro Pontifice, nec adiutus alacriter à Cæſare, poſtremam à Baiazete Turcarum



Rege opem implorauit. Viſa eſt Barbaro digna occaſio inferendi belli. Id enim vnum Sfortia poſtulabat, vt terra marique Veneti, ne cum Gallis vires coniungerent, ſuarum rerum periculo diſtinerentur. Itaque Baiazetes miſero & malignè circumuento Sfortiæ opem ferendam ratus, Schenderbaſſam Illyrici præfectum, in Venetiam vſque luctuoſa incurſione prouehere ſeſe iuſſit, & Dauthem ampliſſimæ claſſis præfectum, in Græciam miſit. Quo in rerum periculo Grimanus omnium ſuffragiis iterum delectus Imperator, exornata pulcherrima claſſe aduerſus hoſtes nauigauit. Sed id nauale bellum eũ malignitate Fortunæ exitum tulit, vt quum apud Sporadas inſulas congreſſuris claſſibus non dubio euentu ſuperari Turcas poſſe appareret, commutatis ventis, nec opportunè parẽtibus quibuſdã Trierarchis, Grimanus tota ſpe victoriæ deiiceretur; Barbariq; hoſtes incenſis duabus onerariis, in quibus Andreas Lauredanus, & Albanus Armerius patritij fortes periêre, in Naupacteum ſinum euaderent, dedenteq; ibi arcẽ Mozenico præfecto aut auarè, aut timidè, Turcæ Naupacto potirentur, Grimano fruſtra ſe à Trierarchis per ſummam malignitatem atque ignauiam proditum conquerente, nec tamen in eos, quòd eſſent nobiliſſimi ordinis, Imperij ſeueritatem exercente. Eius fœdæ potius quàm malæ geſtæ rei nuncius, Grimanum ſummæ inuidiæ expoſuit, vt comminutã repentè eius gratiã, atque authoritate, ſucceſſorẽ ei Senatus decerneret Melchiorem Triuiſanum, veterẽ inimicum, qui Grimano compedes iniiceret, captumq; ad dicendã cauſam Venetias continuò deuehi iuberet. Quo nuncio Grimanus, vti inſons, & egregiè animo conſtans, Senatui omnino parendũ exiſtimans, non expectato ſucceſſore, cõpedes ſibi vltrò iniecit, & peculiari myoparone Venetias deuectus eſt, patribus ſeſe compeditum, & iudicij pœnam ſubire paratum oſtendens. Nunquàm antea Venetiis frequentius atque celebrius vllius rei ſpectaculum fuit, quum eo habitu ſenex Imperator, & nihil tale ex æquo meritus, à rerum capitalium miniſtris in carcerẽ duceretur, & pleriſque manarent

lachrymæ

lachrymæ ex memoria anteactæ vitæ, fortunæque: atq; eo etiam vberiùs, quòd filius in ipſa purpura Cardinalis, mœſtiſſimi patris compedum pondera, dum ſcalas aſcenderet, ſacratis manibus ſuſtineret. Eum poſtea duro in carcere diu cuſtoditum, atq; acerbiſſimè à Nicolao Michaele accuſatore exagitatum, optimi quique ciues indoluerũt: eius verò iudicij cauſa non in rogatorum, vt aiunt, Senatorum modò, ſed in publico ciuium conſilio àctitata eſt, eo euentu, vt incomparabili gratia, tum ſua tum Senatus omnibus propè ſuffragiis abſolueretur: àd minuendam tamen inuidiam, quòd eo bèllo Venetus non Naupactum modò, ſed Pilum, Chriſſæum, Coronem, & ipſam à Baiazete expugnatam Methonem amiſiſſet, in Oſſarum alteram Abſyrtidum inſulam relegaretur. Sed pertæſus damnatæ inſulæ nomen, Romam migrauit, vt cum Senatore filio, maiora præſidia turbatis rebus ſuis pararet, & Patriæ commodia integra fide conſulendo, propenſiſſimè ſtuderet. Vixit in luce Populi Romani charus Pontifici, & à cunctis ordinibus crebrò ſalutatus, quum luculentiſſimam villam ſub Quirinali ædificaſſet. Tandem Venetiis extincta inuidia, Patrum iudicio reuocatus eſt, integritatis atque virtutis ergò. Hæc enim verba fuêre publici decreti, quòd nuſquam præclaram iuſti officij pietatem vlla in te erga patriæ decus intermiſiſſet. In id decretum mille trecenti & ſexaginta quinque Patritij in ſuffragium ierunt, nec aduerſa ſupra centum tulit. Quo exemplo videri potuit veræ virtutis nomen inſolentis Fortunæ fluctibus iactari quidem, ſed nunquam mergi atque opprimi poſſe; ſic vt iam ciuitas vniuerſa conſtanti iudicio ei principem locum (vti euenit) ſtudioſiſſimè deſtinaret, ſummoq; plauſu tanquam poſtliminio redditus complecteretur; eoque maiore Grimani cum laude, quòd Nicolao accuſatori, omnis eius acerbitatis oblitus, capitalem iniuriam remiſiſſet. Secundo loco creatus ſancti Marci Procurator, ſplendidiſſimam atque grauiſſimam legationem ſuſcepit ad Franciſcum Regem, cui ſummæ claritudinis adiuncti collegæ ſunt Dominicus Triuiſanus, Georgius Cornelius, & Andreas Grittus, qui Senatus nomine ei victoriam de Heluetiis partam prolixè gratularentur. Exinde magni ſemper Conſiliarij nomen continuato honore vſq; ad Lauredani Principis mortem promeruit: cui poſt longam candidatorum contentionem, ſucceſſor Princeps creatus eſt, pridiè nonas Iulias, eodem anno, quo Leo Pontifex vita functus eſt. Fuit in Grimano habitus corporis gracilis, ſed procera ſtatura, viuidum vſque ad extremam ſenectam ingenium, atque oculi viuaces. Fuit vir frugalitatis eximiæ per omnem ætatem, indomitique laboris atque animi, ad omnes Fortunæ caſus firmiſſimè compoſiti. Vixit annos Nonaginta, præfuit Reipublicæ tribus. Exornauit Prætorium luculento ædificio, cui nomen eius decreto publico eſt inſcriptum, quod pauciſſimis contigit.

LVDOVICI DOMINICI PLACENTINI.

Principis effigies hæc eſt veneranda Grimani,
Quẽ pater æterno ſuperũm dignatus honore
Intrepidi monumẽtũ animi ſuperaddidit aſtris;
Scilicet ante obitum ſupremaq́; funera, ſeſe
Inſtabilis diua ſpoliis fulgentibus ornans,
Inuictus potuit varios eludere caſus.
Hic primum explorans fato Neptunia Regna,
Cæruleis finibus iuueniles credidit annos,
Et vir poſtremo ſpectato Marte triumphos
Ad patrium lætus certos ex hoſte referret.
Denique natura leges ac bella triumphans,
Sponte ſua vinctumq́; manus, ſe pectore firmo
Præripit ad patres, victus ciuilia vicit
Prælia, famamq́; æterno iam terminat axe.

Franciſcus Ferdinandus Piſcarius.

NVNC quem ſpectas elata ceruice galeatum, & decora excepta vultu vulnera intrepidi & ſummè fortis animi argumenta præferentẽ, ille eſt Ferdinandus Daualus, cognomento Piſcarius, qui antè meritum & acceptum militaris Imperij munus, ex ipſa tantùm peditatus præfectura maiorum Ducum bello Dux, admirabiliumq; militiæ operum magiſter atq; author, incomparabiles victorias Carolo Cæſari parauit; non obſcuro quidem cum pudore veterum huius ſeculi Ducum, quum iuuenis vix dum integræ ætatis, eos omnes expediti conſilij grauitate; & quoſque manu promptiſſimos ſingulorum ordinum præfectos, in obeundis periculis, præclaro impauidi animi auſu, æquè mirus & felix ſuperare didiciſſet. Neq; proptereà fas eſſe putauerim, eius vſque adeò præſtantis atque inuicti viri immenſum decus, breui anguſtæ tabellæ elogio circumſcribi, ſi vim potius atq; ipſum pondus inclytæ virtutis, quàm inanes honoris titulos, qui ſæpè libidinis Regum obtinentur, æſtimare velimus: quandoquidem gloria rerum geſtarum latè propagata, modicis rectè ſcribentium terminis includi nequeat. Quanquam ego præcipuus (dum ille viueret, & bello plenus laude verſaretur) Piſcarij ſedulus admirator, peculiari volumine edito, nomen eius præſenti & venturæ famæ commendârim. Nunc verò liquidiſſimè conſtet ex eius viri recordatione collationeque, ſatis multos militiæ Duces eminentibus titulis claros conſpici, quum rari appareant, qui parem ſuſceptis honoribus, non abſolutæ quidem vir-



tutis (quæ hodie Imperatorum nemini ferè contigit) ſed nec mediocrem, ſine alicuius inſignis maculæ probro operam præſtare videatur.

INCERTI AVTHORIS.

Quid ſceptra ad tumulũ, vincli qd cõpede Reges?
Quid ve tot inuicta ſigna relata manu?
Quid galea, qd ſcuta nitẽt, quid gaſa, quid enſes?
Quid viret æternis Laurus opaca comis? (eſt
Nũ Mars, nũ Danalus, tumulo iacet? hic ſitꝰ hic
Heu Danalus, quem Mars cũ Danalo ipſe iacet.

Ioannes Bentiuolus Bononienſium Tyrannus.

HÆ tres, quæ vna ferè in tabula ſibi cohærent imagines, trium ſeculo noſtro præpotentium potius quàm illuſtrium Principum figura ad veram ſimilitudinem exprimũt, Ioannem ſcilicet Bentiuolum, Pandulphum Petruccium, & Petrum Soderinum, oria quidem ductu, cultu togati amictus, & conditione ingenij diſpares; ſed qui finibus ditionum, & conſiliorum ſenſibus inter ſe coniunctiſſimi, eandem propè dominatus Fortunam tulerint, quum quiſque eorum ſua in patria pari conſilio, ſed diuerſiſſimis artibus nominis dignitatem tueri niteretur. Bentiuolus Bononiæ primum locum maiorum ſuorum, qui nobilitatis erant Principes, virtute partum, ita adeptus fuerat, vt Tyranno quàm Principi ciuitatis propior haberetur. Huius

auum

auum eiuſdem nominis ſeditioſiùs atque ferociùs ſuas tuentem partes, Eugenius Pontifex capite damnatum ſuſtulerat. Patrem verò Annibalem Canetuli factioſæ familię ciues, coniuratione facta, vſque adeò crudeliter & temerè trucidârunt, vt in ipſo cædis veſtigio admiſſi facinoris pœnas darent. Ex hoc Annibale Ioannem puerum Sanctius, qui ſe in Bentiuolam familiam adoptârat, educandum, magnoq; ciuium ſtudio paternę auitæq; amplitudinis in ciuitatē Principem inſtituendū ſuſcepit; accidítq;, vt Sanctius per aliquot annos prudentiſſimè adminiſtrata Republica, & ciuibus alumno conciliatis, vita excederet, eiq; Genebram vxorē ad futuras nuptias reliquerit. Hæc erat Sfortiani ſanguinis Conſtantio Piſaurenſe Principe genita, virilis animi muller, & vſque adeò imperij auida, vt maritum mitem naturâ potius quàm vlla in re violentum, ad cædes damnationesq; æmulantium ciuium edendas impelleret, & ad clauum totius conſilij ſuperba & inſolens ſederet, & tum pręſertim detecta Maluetiorum conſpiratione, in ipſos atrociſſimè ſæuiendum eſſe cenſuiſſet. Punitis & euerſis per hunc modum Maluetiis, integra ciuitatis poſſeſſio, ſummaq; non obſcuri dominatus poteſtas, Bentiuolo ceſſit. Creuerat is numeroſa liberorum ſobole, variiſq; connubiis opportunas propinquitates parauerat, acceptis nuribus ex ſplendidiſſimis Italiæ familiis, & filiabus ditiſſimo cuiq; Regulo nuptui datis, ſic vt exaggeratus vndique, & verè vſq; ad poſteritatem confirmatus dominatus eſſe videretur. Ædificârat inſuper magno ſumptu luculentiſſimæ ſtructuræ turritam domum inſtar arcis, quæ pulchritudine & laxitate Coſinianam Florentiæ & Feltrianam Vrbini, quanquam lateritia, ſuperare videbatur. Ad hæc liberi eius, patris magnificentia atq; opibus inuitati, ſingulas & ipſi minores domos extruxerant, quas ciuium copiis in ſua horrea, ſuumq; penum impudenter traductis, & replere, & variis ornamentis inſtruere erant ſoliti. Incidit autem in id tempus Cæſaris Borgiæ immenſa cupiditas augendæ potentiæ, ſuſpecta Bentiuolis, quòd is ad vrbem vſq; caſtra promouiſſet. Cuius aduentus Mareſcotti, è prima nobilitate ciues, authores & rei facti ab Hermete, filiorū ſupra omnes ſanguinario, iugulati ſunt. Ea cædes vniuerſam ciuitatē conterruit: patrata ſiquidem fuerat in prætorio apud Magiſtratus, nemoq; propinquorum hiſcere audebat, quòd tot liberi multo famulatu, multiſq; ſicariis circumſepti, minaces foro inambularent, nec iam dubia & atrox tyrannis inuecta cerneretur. Succeſſerat Alexandro Pontifici Iulius Secundus, Bentiuolo ex vetere ſimultate infenſus: Is opulentiſſimæ ciuitatis, cui ipſe in minori fortuna præfuiſſet, conditionem miſeratus, bellum inferre, totq; tyrannos omnino tollere conſtituit; profectuſq; Roma, & auctus Gallorum auxiliis ad vrbem Bononiā caſtra promouit. Eo autem ſucceſſu bellum eſt confectum, vt tyrānus, qui caſtra Gallorum, auerſis eò corriuatiſq; fluminibus inundârat, & propè oppreſſerat, animum deſpondens, inſenſiq; populi tumultum veritus, ea conditione vrbe excederet, vt præſidio Gallico, quod pecunia coēmerat, tutus cum vxore egrederetur, exulatumq; ad Buxetū, Parmenſis agri oppidum, Pallauicinorum hoſpitio ſuſceptus abiret. Nec multo pòſt Bentiuolus, quum in aſſidua reditus cogitatione verſaretur, Genebram vxorē amiſit, repētino dolore exanimatam, quòd ei improuiſus nuncius superueniſſet, quo audierat liberos ſuos tumultuariis collectis copiis reditum ad patriā intempeſtiuè præparantes, Hippolyti Cardinalis Atestini, & Ludouici Mirandulani superuentu, qui Pontifici fauerēt, fuſos in itinere, & fœdè profligatos fuiſſe; qua Iniuria exacerbatus Iulius, Bentiuolorū clientes, vel tum captos, vel inde conquiſitos, damnatoſq; laqueo ſuſpendi iuſſiſſet, & Tyranni domū vel Bononię totiuſq; Italiæ ornamēto à conditore deſtinatā, plenus ignobili ob idq; pudenda iracundia, excindendā furenti populo obiecerit. Nec diu pòſt ipſe tyrannus ſenex, deſperata Gallorū ope, quum in eam ſpem eluſus, veteres theſauros exhauſiſſet, ſacris interdictus & planè miſer interiit, quum amplius triginta annos dominatum exercuiſſet, vixiſſet annos ſupra ſeptuaginta; dignus herclè eo patrię dominatu, niſi ingenium eius impotentes liberi, auaritia, libidine & crudeli faſtu cuncta perturbantes, ad exitialem inſolentiam propuliſſent.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Bentiuole, illa olim veſtra ingens gloria, ſummis
Nixa opibus, pātria titulis & faſcibus auctu
Vndantum imperio populorū, & prole virenti,
Marmoreaq; domo & regali diuite luxu,
Quod rapida reuoluta manu, ceu turbine torto
Corruerit, ſonitu per inania nubila facto;
Ne mœrēre, animo inuicte & praſtātibus auſis,
Elyſiis nēue hac te cura laceſſat in aruis.
Scis tu etenim, ſcis tu ſubito quàm plena pericli
Fortuna alea ſit, volucri vertigine quantum
Heroumq; hominūq; trahat, quāq; ardua pulſet
Vel iuga, vel tumidas eadē ſuperintonet vndas,
Exactos quum tu Reges, domitoſq; tyrannos
Ennumeras, fracta arma euerſoſq; triūphos (riſus
Troiugenū, et Danaū, et Parthorū, et ſceptra Qui
Te tamē indignantē animo, & fera fata gemētē,
Hoc ſolâre, humili quòd nō tua pondere preſſa eſt
Gloria, ſed ſummi concuſſa eſt numinis ira;
Roboribus Iouis in terris, & fulmine querno,
Scilicet à magno quaterentur vt ardua Iulo
Primorum capita, & neutri foret aucta poteſtas,
Quo Latium, & tota plaudit Iulo Auſonia ora;
Barbara ſanguineas horreſcunt pectora clades,
Famaq; purpureis liquidum ſecat Itala pennis.

Pandulphus Petruccius Senenſium Tyrannus.



QVANTVM Beotiuolus ad Priocipis nomen magnificentia operum, & filiorum faſtu acceſſiſſe videri potuit, tantũ Pandulphus Petruccius apud Senenſes è ciuili ordiue ſe extuliſſe exiſtimatus eſt, ſed qui eſſet occultior, neq; tamẽ animo melior; quippe qui nunquàm veſtem Seneuſibus conſuetam (id erat palliũ atri coloris)mutârit, oiſi ſolennibus Ludis: nũnquã modeſti frugiq; ciuis io conuictu diſciplioam vllo epularum luxu corrũperit; ædificârit modicè, & commodè quidem potius quàm ſumptuoſè aut elegãter; humanitatis porrò & temperantiæ laude humiliores ciues in tota vita ſuperârit; uec externa conoubia ambitioſe, ſed paria fortunis atque nobilitate, ad auerteudam inuidiam quæſierit. Quæ omnia ex aduerſo in Bentiuolo vſque adeò modum exceſſeranr, vt cudeudæ etiam monetæ munus impetraret à Cæſare, non obſeurè in contumeliam Pontificij imperij, ſic vt in aureo numiſmate ipſius Tyraoni comata effigies cum ſerrato ſcuto complectente id Cæſaris Aquila, ſpectaretur. At Pandulphus nihil vnquam vſurpabat quod apud ciues inuidiam conflaret, vt qui modico comitatu, multoque diſſimulationis artificio grariam atque potentiam ſenſim parandam arbitraretur, ingentique aſtu, & occultiore ſolertia ſibi agendum eſſe ſtatueret io ciuitate, quę quadrifariam diuiſa, inſanis factionibus ſeruebat; quibus ciuitatis ſtatus commutari conuelliq; poſſe, vt ſæpius antea accidiſſet, mauifeſtò

manifeſtò proſpiceret, ſi diuerſa ciuium ſtudia negligerentur. Parem enim authoritatem alternantibus partium ſtudiis in Republica obtinebant quatuor honeſtiſſimarum familiarum ordines, quorum ſummus erat vetuſtæ nobilitatis; iſque propterea Nobilium vocabatur. Secundus pari propè dignitate Popularium. Tertius ex vtroque ordine commixtis familiis conſtitutus Nonarius appellabatur, quòd is ordo à nouem delectis ciuibus, qui æquiſſimi viderentur, antea fuiſſet erectus. Huius ordinis aliquot erant Patritiorum familiæ, inter quas eminebat Petrucia, cuius facile princeps habebatur ipſe Pandulphus, Iacobo maiore fratre qui exceſſerat è vita ſibi locum relinquente. Nonario autem ordini ſuccedebat vltimus, qui Reformatorum appellatus eſt, quòd hi tanquam exactæ prudantiæ ciues; malè conſentientis ciuitatis vitia emendare formareq́; in melius Rempublicam ſuperiore tempore voluiſſent. Cæterùm Pandulphus & ab his aliorumq́; ordinum conſpiratione cum Nonariis vrbe pulſus aliquandiu in exilio ſic vixit, vt nihil virilis conſilij efficaciſque induſtriæ remitteret, non diu pòſt in patriam victor rediret; coactis ſcilicet in vnum non ampliùs quàm trecentis ſuæ factionis hominibus, vrbem noctu ſcalis adortus tranſcenſis illicò mœnibus, refractaq́; demum porta, vrbe & curia potiretur, & aduerſarios vrbe expelleret; eo euentu, vt qui modò extorres fuerant, eiectis aduerſariis Rempublicam adminiſtrarent & cuncti ciues in omni ſenatoria deliberatione, Pandulpho obſeruatis eius nutibus atq; ſuffragiis aſſentirentur; ipſeq; vnus in toto ſuo ordine authoritate atq; opibus potens, plebiſq; etiam ſtudio ſubnixus emineret. Hanc eius potentiã ægre ferebat Nicolaus Borghesius inter ciues maximè honoratus, quanquã filiam Pandulpho collocaſſet. Verùm tanta erat Borghesij ambitio, eaq; liuidi animi acerbitas, vt facilè cognationis obliuiſceretur, & generi authoritatem conuellendam arbitraretur, & quòd aliter maturè fieri non poſſe videretur, conſilium eius quoquo modo tollendi ſuſciperet. Sed inſolentia ſoceri, eiuſque diram obtrectationem, impotentis generi ſæuitia præoccupauit. Borghesius namq; quum iret in forum, trucidatus eſt. Huius cæde conterritis ciuibus, ſumma potentia Petruciis, Pandulphoq; in primis adſtructa eſt. Ab hoc patrato ſcelere, damnatoq; apud ciues, Pandulphus offenſus infamia, vſque adeò religioſe in poſterum à ſanguine ciuium temperauit, vt quum aliquanto pòſt in ipſius cædem Bellantios, authore principeq; numeroſæ eius familiæ Leonardo deprehendiſſet, quos iure optimo occidere poterat, ſyncera fide oblata clementia conſeruaret. Exinde mira calliditate apud decuriones egit, vt Triumuiralis in Republica Magiſtratus crearetur, cuius muneris eſſet Reipublicæ curam ſuſcipere, prætoriæque præſertim cohortis, quæ in foro apud curiam ſtationem habebat, iura ſtipendiorum tueri. Id verò facilè impetratum eſt, reſque ita ceſſit, vt ipſe vnus è tribus crearetur, duobuſque mox collegis altero magnis muneribus corrupto, altero autem quòd eſſet ingenij pinguioris facilè contempto, ſolus ea magiſtratus munia obiret, militares animos, indulgendo, vberrimeque ſtipendia perſoluendo ſibi conciliaret. Noui demum conſilij rem difficilem, & ſpecie parum æquam, ſed omnibus propè ciuium ordinibus vtiliſſimam aggreſſus perfecit. Abſcindere enim opulentioribus Senenſis Imperij oppidis certas agrorum partes, atque eas per familias certis portionibus diuidere & adiudicare conſtituit. Quo munere inſigniq; beneficio cunctæ vel aduerſorũ ordinum familiæ ſibi aſtringerentur. Eam legem à Pandulpho ſuaſam latamq; decuriones atq; amplior Senatus facilè promulgârunt, fruſtra reclamantibus oppidanis, qui inique eripi ſibi ſua alimenta querebantur, lætis ex aduerſo promiſcuè ciuibus, qui ex aliena iniuria extra ordinum inuidiam augeri ſuas opes viderent, cuius decreti munificentia ad vnius Pandulphi gratiam, atq; potentiam amplificandam ſine controuerſia rediret. Eo facto Pandulphus opes ſuas confirmauit, & ciuium amicorum adauxit, & propè totam reliquorum ordinum æmulationem ita extinxit, vt ordo Nonarius ſupra cæteros ſummũ authoritatis & gratiæ locum teneret. Hæc erant optimè prouiſa parataq; aduerſos vim inteſtinam; ſed quæ externa auerterent arma, ciuitati valida deerant præſidia, vt tum accidit, quum Cæſar Borgia ad perturbandam Italiam natus ad Pientiam vſque vrbem copias promouit, eo animo vt Pandulphum Senis extruderet, atq; ea vrbe, vti erat immodicus, potiretur. Agnouit Pandulphus ambitioſi crudeliſq; viri inſidias, generoſoq; conſilio effugere eam tempeſtatem, & Senenſes ciues periculo liberare conſtituit, concionatuſq; apud Ciues nihil ſibi incolumi patriã eſſe carius oſtendit; propterea ſe ceſſurum malignitati atq; audaciæ externi ſæuiſſimiq; Tyranni, vt maturè demum rediret. Atq; ita interdiu mœrentibus pleriſque, atq; lugentibus cum honeſto potius quàm valido comitatu vrbe exceſſit, commentaria ciuibus relinquẽs, quibus ad confirmandam tuendamq; patriam ſummæ prudentiæ præcepta perſcripſerat. Huius facti mira celebritate deterſit non modo inuidiam, ſed ampliorẽ etiam gratiam apud cunctos ordines adeptus eſt. Neq; eum fefellit opinio. Decedente ſiquidem Senenſi agro Borgia, decreto publico ad tutelam patriæ, qui ſponte ſe fecerat exulem reuocatus eſt. Eo Borgiæ periculoſo aduentu admonitus, communiendum ſe nouis amicitiis atque fœderibus exiſtimauit, imprimiſq; conciliandos ſibi Florentinos ratus, prorogari ſibi veteres indocias quæ iam tum planè effluxerant, poſtulauit, Petro Soderino, qui tum præerat Reipublicæ, ea conditione longiores concedente, vt Montis Politiani oppidũ, de quo ex antiqua controuerſia nimis fuerat decertatum, poſſeſſumq; tum à Senenſibus, Florentinis in præmium ad-

miſſæ ſocietatis concederetur. tranſactio Senenſes ciues amariores fecit, & Pandulphi gratiam in vniuerſum vehementer imminuit, quòd vt priuatis rebus conſuleret, publicis ſingulare detrimentum attuliſſet. Nec multo pòſt aduerſus eum excitata eſt eadem Borgiæ rabies ex aduentu Gallorum, qui Neapolim armis repetebant; concitantibuſq; non nullis, eò res deducta eſt, vt Pandulphus procellam in ſe immanium armorum effundi cernens, ad priſtinum deſerendæ vrbis conſilium rediret. Iamq; erat in itinere, quum exoptatus de morte Alexandri Pontificis nuncius ei ſuperuenit; liberatuſq; periculo ad conſueta adminiſtrandæ Reipublicæ munia reuerſus eſt. Pio autem tertio Senenſi in demortui locum ſuffecto, non magnopere lætatus eſt, quòd ille eſſet diuerſi ordinis, & tanquam verè pius in libera patria vnum præ cæteris ciuem dominari indignè pateretur. Cæterùm immatura Pij mors intra pauciſſimos dies erepti, Pandulphum eo metu ita liberauit; vt ſibi gaudio eſſet Iulius ſecundus Ligur ei ſuffectus, cuius gratiam certis officiis atq; muneribus facilè promeruit, ſtudiiq; ſui eum tulit fructum, vt Alfonſus eius filius, coëmpto non dubiè purpuræ honore in Senatum legeretur. Deſtinabat enim ſibi Dominatus ſucceſſorem Borgheſium, è filiis natu maximum, eumque fraternis ſacris opibus fauoreq; Pontificiò confirmandum iudicabat. Sed ea conſilia Superi multis de cauſis improbàrunt. Nam ipſe non multo pòſt, anguſtia pectoris laborans, quum ad Philippeas aquas iſſet, apud ſancti Cyriaci oppidum fato conceſſit, clymacterico ætatis anno. Liberi verò eius in ſeipſos inſana arma conuertêtes, à Leone eo euentu Senis ſunt depulſi, vt Borgheſius, atra vexatus bile, miſer interierit: Alfonſus verò Cardinalis temerè inita in Leonis perniciem coniuratione in mole Hadriani, non purpuratorum modò, ſed infimorum etiam hominum miſerrimus à carnifice ſtrangularetur.

PAVLI IOVII Iunioris.

Occulti ne iuuêre tibi ſub pectore ſenſus
Petrucci, tacitæ ne artes, ſecretaq; rerum
Conſilia, atq; aſtus veteris prudentia ſolers?
An contecta dolis mendax tibi credita virtus:
Atq; humeris pullata diu circundata veſtis,
Nullaq; celſa domus, comitũ tibi nulla caterua?
Dum tu diſſimulans pro libertate tuorum,
Artibus his blandis incautam decipis vrbem,
Et patrias leges renouans, ſoceroq; perempto
Arripis imperiũ, atq; in te iura omnia trãsfers
Laude equidẽ dignũ factum, ſi numine dextro
Dî fouerent, aut ſors non auerſa ſecundet.
Sed qui te caſus, quæ te Fortuna ſequatur
Aſpice; bis exul nunquam tranquilla vidiſti
Tempora turbata per mille pericula vita.
Adde quod & nati, quib. impia Regna paraſti,
Conuulſi inter ſe ſæde, pars cæſa ſecuri.
Haud vixêre diu regnandi eheu dira libido
Diſcite mortales contenti viuere paruo.

Petrus Soderinus Florentinorum Vexillifer.

DIVERSISSIMA ratione, honeſtioreq; titulo Petrus Soderinus apud Florentiam Reipublicę præfuit, prudentię & moderationis cõmendatione ad Vexilliferatum prouectus; qui honos nequaquam, vti aliàs bimeſtris, ſed perpetuus eſſet ad imaginem Romanæ Dictaturæ. Nam ſicuti Decuriones ſupremæ poteſtatis, qui bimeſtres erant, breui ſpatio magiſtratus vim inueteratã cõſuetudine finiebant, nec ſuſpectæ poteſtatis eſſe poterãt: ita Vexillifero, qui eis prę eſſe ſoleret, aliquanto anguſtiora quàm flagitarent grauiſſimarũ rerum conſilia, terminãdis ſententiis ſpatia obueniebant. Propterea expedire Reipublicæ cenſebantur, vt vnus perpetua authoritate ad clauum ſederet, ſuperiorumq; conſiliorũ atq; actionum gnarus, certum perennis nec intercisæ prudentiæ præſidium, toties mutatis Decurionibus afferret, dignitateq; auguſtior populo videretur; in hoc imitati Venetos, qui Senatus Ducem creant, cuius poteſtatẽ admirabili ſpecie ampliſſimam, ſed nihil plus cęteris quàm altero ſuffragio valentem, certiſq; legibus ideo circumſcribunt, ne ad tyrannidem aſpirare queat, perſonam tamen Principis ad Veneti Imperij dignitatẽ decoris inſignibus tueatur. Soderinus hoc honore illuſtris factus, in Curiam cum familia vxorem traduxit, vt in omni negocio aſſiduus Octouiris ſupremæ poteſtatis adeſſet; ſenſim per hunc modum popularis effectus eſt, nouis hominibus in Senatum accerſitis; quum antea Patritiis in vniuerſum, honoratiſq; ciuibus patuiſſet. Fauit autem ei præſertim ciuium ordini qui Sauonarolæ damnati crematiq; in foro, memoriam pertinaciſſimè colerent, & Medicei nominis ſtudia ſemper odiſſent, quanquam ipſe omnis expers odij, nequaquã ſe factioſum oſtenderet, & tanquam æquiſſimus libertatis defenſor, in nullam inclinaret partem, eoque populari inuecto ſtatu, patriam diu tranquillam, opibuſq; florentem futurã arbitraretur, ac optimi inde præſidia & patriæ parentis laudem, quę nemini poſt Coſmum contigiſſet multorũ iudicio promereri crederetur. Sed non mediocriter offenderat Patritiorum animos ſtudioſorumq;



Mediceæ factionis, à quibus mirifico ſtudio erat ſubleuatus, quòd ingratè oblitus beneficij, ſecus ac anteà promiſerat, eos propè in ordinem redegiſſet, nec vigente populari factione, illos eminentiore vllo honore dignos arbitraretur; quo neglectu ex perpetua popularitate eos ſibi nõ obſcurè inimicos pararat, quorum poſtea Saluiatis Principibus, ipſoq; præſertim Iacobo variis artificiis & machinationibus ipſius authoritas cõuulſa ſit, & ipſe tandem Dictaturæ honore ſpoliatus, dominatu & patria eiectus, in exiliũ abierit. Sed tum exiſtimatio ei erat incolumis & florens, quòd eius auſpiciis per de miræ receptæ que Piſæ fuerant, poſt ſextumdecimum continuati ferè belli annum, quo haud dubiè Florentini nunquam remiſſa ſpe victoriæ, nunquam remiſſis ſumptibus atq; laboribus, vel ſæpius repulſi, Piſanorum conſtantiam aſperrimis diuturni belli periculis efferatam & indomitam ſuperaſſent. Adiecerat etiam Florentino Imperio Montis Politiani oppidum, certa induciarum pactione vltrò à Senenſibus conceſſum. Curârat quoq; diligentiſſimè rem frumentariam, læto ſemper atq; exultante populo ad vbertatis & copiæ nomen. Verùm quum medias ciuium claſſes foueret, hiſq; aditum ad Rempublicam præberet, angebantur Patritij, vtpote qui offenderentur numero nouorum imperitorumq; ſæpe hominum, qui Reipublicæ munia nobilioribus debita inſolenter vſurparent, curiamq; indigna vrbis fece repleuiſſent; ipſi verò neglecti, ſæpeq; ſuperantibus ignobilium ſuffragiis, reiecti, honorum repulſas ferrent, fruſtraq; popularis ſtatus inclementiam damnarent. Sed Soderino ſemper integra manſit authoritas populari ſtudio, & ſua inſigni virtute confirmata, donec enatum eſt bellum, quo nullum Italiæ pernicioſius fuit, quo eiuſdem dignitas contioenti veluti ruina in præceps traheretur; initio ad Concilij nomen exorto. Id enim victor vndiq; Ludouicus Gallorum Rex indicendum celebrandumq; ſuſceperat, vt Iulius Pontifex ex publica cenſura tanquam indignus ſacro-

ſancta poteſtate gradu pelleretur. Is enim impotentia Gallorum timens arma, atq; idcirco ſeruituræ mox Italiæ cauendum exiſtimans, à conſpirantium Regum fœdere diſceſſerat. Quamobrem diuinis atque humanis rebus fœdè perturbatis, Rex Gallus à Soderino magnopere fauente Senatuque Florentino impetrauit, vt vrbs Piſæ tanquam celebrando concilio opportuna concederetur. Ea res Patritios excitauit qui contradicerent, atque exclamarent propediem Piſas in poteſtate Gallorum futuras, qui iam frequentes adueniſſent Lotrechio Duce; quorum aduentu Piſani ad repetendam libertatem parari, atque de induſtria inuitari viderentur. Ea res non temerè credita eum tulit exitum, vt Cardinales, cæteriq; Sacerdotes qui Piſis cóuenerant, cum Lotrechio præſidij præfecto vrbe pellerentur, Mediolanumque profugerent. Eius Concilij Piſis conſtituendi oborta inuidia, Soderinum non ſponte, ſed impulſu Cardinalis fratris authorem inuiſum ciuibus, atque odioſum irato Pontifici fecit, vſque adeò vt vir ille naturâ contumeliæ inſolens & implacabilis, eum Dictatura deiiciendum, Mediceoſque in Patriam reducendos decerneret. Medicei nanq; in eam excubantes occaſionem, Raimundum Cardonium à Rhauennatis prælij detrimento Hiſpanicas reparantem copias, adiuuante Pontifice ſibi coniunxerant, expugnatoq; Prato oppido priùs quàm Florentiæ prȩſidia parari poſſent, à beneuolis propinquis, patritioq; ordine in vrbem recepti, ſuperioria Fortunæ Principatu potiti ſunt. Soderinus ipſe mira inſontis animi tranquillitate, quòd nemini nocuiſſet, & cuſtoditos in Curia tanquam ſuſpectos ciues numero ſupra viginti, ſupplicio affici vetuiſſet, extra omnem contumeliam detractus ſolio, & ad Pauli Victorij domum deductus eſt, indeq; egreſſus vrbe in Vmbriam, Picenumque profectus, non multo pòſt ab Ancona Epidaurum, quod Raguſium vocant, vt tranquillè ibi degeret, traiecit. Medicei verò ad arbitrium Rempublicam conſtituerunt, nec quenquam ex antiquis inimicis pœna dignum cenſuerunt: quartoque menſe receptâ patriâ Ioannes Medices Cardinalis, qui ad Rhauennam captus è Gallorum manibus effugerat, Pontifex eſt renunciatus. Is generoſo animo Soderinum humaniſſimis literis euocandum complectendumque ſibi, & augendum honoribus accerſiuit. Ea verò oris tranquillitate dignitateque Soderinus Vrbem ingreſſus, Pontificem inuiſit, vt cunctis eſſet venerabilis, adeuntibuſque & dextram appetentibus amabilis, & perhumanus. Libenter enim rerum ſuarum actiones enarrabat, mihique præſertim ſyncere & disertè tanquam annales perſcribenti. Cupiebat ſiquidem ea cum integritate laudis poſteris tradi qua Rempublicam Florentiæ per decem annos adminiſtraſſet, ſic vt Romæ nó ſecus ac Florentiȩ Vexillifer ab omnibus appellaretur. Repudiauit autem omnes honores quos propenſiſſima voluntate Leo Pontifex offerret, tanquã eo quòd geſſerat minores. Vixit in ſumma tranquillitate mentis, cùm grauiſſimis virtutibus cófirmatus, tum ſua conſcientia pȩclarè beatus, quanquam amiſſi dominatus caſum duorum fratrum culpâ ſibi importatũ, ſine vllo doloris veſtigio fateretur. Alter enim Cardinalis ambitioſè corruptus, ſpe conſequendi Pontificatus, Piſas Gallis obtulerat, ratus fore vt quum neq; in Pontificem neq; in Gallos vehemẽs ſtudium oſtenderet, tanquam medius poſt neutram partium offenſam, Iulio Concilij voce damnato ſubrogaretur. Alter nomine Victorius Mantuã legatus miſſus, vbi fœderati Gallorũ hoſtes conuenerant, quum non multa pecunia cum Cardonio tranſigere poſſet, vt Hiſpani auerterentur, vti natura parcus, atq; ineptè frugi, & pecuniæ tenax adduci non potuit, vt pecuniam repræſentaret: atque ita magno fratris commodo fœdere excluderetur. Natus annos ſexaginta duos in Vrbe regnante Hadriano febre ſublatus eſt. Ei exequias fecerunt iuſtis collatis honoribus Florentinorum collegia. Propinqui autem eius marmoreo ſepulchro aliquanto pòſt honeſtârunt.

IVLII FEROLDI.

Effigiem hic hoſpes Soderini conſpice, cuius
Eſt nomen aſtro clarius.
Hic eſt qui Patriæ labentem reſtituit rem
Bene conſulendo ciuibus.
Idem vrbi pacem peperit, populoq; volente
Princeps fuit Florentiæ.
Ac tunc illa quidem hoc ſaluo, clauumq; regente
Vixit beata ciuitas:
At caro capite hoc eiecto, protinus vnà
Et concidit Reſpublica.
Ergo animam illuſtrem æternum ſaluere iubeto
Qua Patria ſtetit ſalua.

Eliſabella Aragonia.

HVNC pallidi oris, & atrati cultus habitum ferebat Eliſabella Aragonia Ioanne Galeacio Sforzia coniuge orbata. Hæc enim vnà inter viros celebres ideo ſedem meretur, quòd contra ſexus imbecillitatem aſperis in rebus virilem animum præferens, arſuræ bello Italiæ primas faces intulerit, quo famoſo vereque funeſto facinore, cum diuinarum ſimul ac humanarũ rerum perturbatione amiſſa ferè libertate perimus, fruſtra Aragonij, Sfortianique nominis memoriam exercentes. Fuit hæc generoſi & planè virilis animi mulier, vti Regia ſtirpe progenitam decebat, digna prorſus elogio valde luculento,

Franciſcus Iſabellæ Filius.



ſi in ea animum maximarum calamitatum concuſſu inuſitatæque mentis fortitudine nunquam ſuperatum, non ſine admiratione repetemus. Quandoquidem feralis eius Tragœdiæ initium dederit, quo opulentiſſima Aragoniæ & Sforzianæ domus imperia conciderunt. Ludouici namque Sfortiæ circumuenta inſidiis, ac indignè ſpoliata Regni poſſeſſione, quum à propinquis opem imploraret; & Galli in Italiam ingruiſſent, florentis ætate coniuge Ioanne Galeatio orbata eſt, eo quidem luctuoſius atque miſerius, quòd is veneficio ſublatus crederetur. Exinde quoque nunquam ſiccatis lachrymis, Ferdinandum auum non dubio mœrore enectum, Alfonſumque patrem eiectum Regno, & in Sicilia deformi habitu exulantem, fratrémque obitet Ferdinandum in limine recepti fortiter Regni immiti fato ereptos Reges continenter luxit; nuſquam ſibi ad exiguum calamitatis ſolatium arridente Fortuna, niſi quum Ludouici Sfortiæ hoſtis ſui calamitoſo vitæ exitu lætaretur. Quando ille à ſuis militibus proditus, perductuſque in Galliam, tetro in carcere moriturus, exitioſi ambitus & ſcelerum pœnas daret. Verum in hoc luctu ægrè vitales trahentem ſpiritus nouo ictu Fortuna perculit, quum Federicum Regem patruum fœna externorum regum coniuratione Regno exutum, & in Gallia ſingulos miſeriæ ſuæ caſus fruſtra deplorantem fatoque functum audiſſet. Tum enim clariſſima eius domus ingentis ruinæ mole conuulſa, atque oppreſſa, à ſtirpe penitus interiit; accumulato etiam dolore, quòd ſub id tempus Franciſcus filius, qui in eadem tabula cum matre pictus conſpicitur, in venatione currentis equi lapſu in Heduis exanimatus eſſe nunciaretur. Hunc enim vel inuita depoſcentibus

Gallis tradiderat, à quibus cucullati ſacerdotis habitu in opulenti ſacerdotij cœnobium idcirco coniectus fuerat, ne Sfortiani Regni legitimæ prolis hæres ſupereſſet. Nec his tantis funeribus egregiè conſtans & infractus fœminæ animus ceſſit, recepitque ſeſe in Barium dotale oppidum, vbi Regij ſplendoris diſciplinam ita exercuit, vt eius nomen cùm gentilitiæ munificentiæ, tum Chriſtianæ benignitatis præclaram laudem, & in Italia, & in prouinciis ferret. Qua illuſtri fama ductus Sigiſmundus Rex Sarmatarum, Bonam eius filiam in matrimonium duxit, eam honoris cauſâ deducente Proſpero Columna Romanorum Ducum longè clariſſimo. Nuptiæ apud Cracouiam ingenti procerum concurſu celebratæ ſunt, lætis quidem auſpiciis, poſtquàm noua nupta ſeni iam planè Regi Auguſtum hodie regnantem pepererit, ſecundoque partu edita ſit puella auiti nominis, quæ Ioanni poſtea Pannoniæ Regi nupſit, in ſpemque paterni Regni hunc edidit Stephanum puerum, qui hodie in Dacia vetere, quæ Tranſyluania eſt, dominatur, educante Georgio Varadinenſi Epiſcopo, viro pace belloque inter Hungaros facilè principi; ipſo ſcilicet Solymano Turcarũ Imperatore eum ex paterna amicitia in clientelam fidemq; receptũ egregiè ab omni finitimorum iniuria defendente. Verùm hanc orientem felicitatem Eliſabella ex perpetuo ferè infortunio deguſtare non potuit, quũ morbo aquæ intercute obiiſſet. Eo hercle pietatis nomine patientiùs atq; trãquilliùs, quòd paulo antè ſacroſancta Romana templa ad expiandum religioſe animum inuiſiſſet, eam Leone Pontifice perbenignè & liberaliter excipiente, matronis etiam Romanis primæ claſſis officij cauſâ adeuntibus. Id ſpectaculum longè omnium ornatiſſimum atq; pulcherrimum fuit, quum circumfuſa vndiq; iuuentute prodeuntes in nuptiali veſte, vt tum moris erat, ſupra aurum & purpuram margaritis & gemmis perpicta, longo pompę ordine in Vaticanum pedibus perrexiſſent. Cæterùm in hac eximię virtutis fœmina improbæ plebis rumor, non mediocriter pudoris decus perſtrinxit, ob id grauior quòd quum florente ætate impenetrabilem pudicitiam prætuliſſet, in ipſo demum ætatis flexu Proſperũ Columnam ſibi cultum & officium aſſiduè tribuentem, ſæpeq; procacem ad vrbaniores iocos admitteret.

ANTONII VVLPII.

Hac quæ ſpectantem ora tenet ſuſpenſa, rapitque
Senſus atq; animã, & propè ſpirat picta tabella,
Docta animata manu ſpeciem infelicis Eliſa,
Fortunãq; habitumq; referret, animoſq; viriles:
Aſpice vt in vultu maieſtas Regia auorum
Et patris, & patrui, fratriſque reluceat: iſto
Vultu iura dabat populis, quum ſceptra teneret
Cõiugis, & nati Inſubria, & tractaret habenas.
Hoc etiam infenſis ſuperis, aduerſa ſuorum
Fata tulit, morientis aut quum lumina claudi
Vidit, & expulſum Regno patruumq; patremq;
Et fratrem ereptum, quum iam cœpiſſet auitis
Sedibus, & ſceptro ſumma virtute potiri.
Quid memorẽ Regno ſpoliatum fraude maritũ,
Sublatúmque dolo? aut chari funera nati?
Quis valet hæc ſiccis oculis audire? Sed illa
Non lachrymis vrſit cineres, non queſtibus altum
Sed tulit infracta & preßit virtute dolorem.
Cernis vt affectus viuos animata tabella
Exprimat in vultu? vt ſummo certamine pugnet
Cum virtute dolor? ſexus cum ingentibus auſis,
Atq; animus? pulſi vt cedant ſexúſque dolórque.
Fortuna inſignes aliquos fortaſſe vetuſtas
Iactabit Regum matres, & Regibus ortas?
Sed quæ agitata diu per tot diſcrimina rerum
Per varios caſus, rapidis iactata periclis
Aequo animo infenſa Fortunæ exceperit ictus
Nulla erit, antiqua aut veniẽs quàm cõferat ætas
Fortuna, fatis, animo infelicis Eliſa.

Ludouicus Pannoniæ atque Bohemiæ Rex.

HOc obeſi oris geſtu, & Germanico potius quàm Hungarico cultu conſpicuus erat Ludouicus Pannoniæ atque Bohemiæ Rex, Sarmatico atque Aquitanico ſanguine genitus. Nam Vladiſlaus pater genere Polonus fuit, cui Candalia Vaſconum nobiliſſima ſtirpe edita nupſerat. Ferunt Ludouicum, quum vtero matris excluderetur, informem propè, & ſine certis oris lineamentis viſini fœtus ſpeciem prætuliſſe, creuiſſe tamen ad iuſto maiorem hominis ſtaturam; ita vt patris inertiam & multum aruinę ſuccum æmulaturus crederetur, nec eius molis artus decenter viuidus, & illuſtris ſpiritus regeret. Quanquam à nutritiis diligenter excitaretur, qui eum literarum pariter atque armorum diſciplina exercendum contenderent. Meruit tamen manſueti & obſequentis ingenij bonitate, qua egregiè iuſtus & pius Princeps euaſurus videri poterat, vt Mariæ Cæſaris ſorori connubio iungeretur, conciliante ſcilicet eas nuptias Maximiliano auo, qui Annam etiam Ludouici ſororem, corroborandæ cognationis cauſa Ferdinando nepoti collocârat, in eadem celebritate Viennenſis conuentus, in quo tres ſummi

ſeptentrio-



ſeptentrionalis plagæ Reges, Cæſar, Vladislaus & Sigiſmundus inſigni multarum gentium ſpectaculo coiuiſſent. Cæterùm Ludouicus decennio ferè pòſt eas nuptias perpetua ſterilitate damnatas, quum turbulentiſſimorum Procerum atroci vexatione, & viuo adhuc patre, & defuncto, quaſi precariò regnauiſſet, in id bellum incidit, quo impotentibus Turcarum armis oppreſſus cecidit. In peruerſa ſiquidem malignitate procerum ſuorum iuſtis deſtitutus viribus deſertuſque à propinquis ſuis finitimis Regibus, Mugacciana acie miſerabili caſu Regnum cum vita amiſit. Carolus nanque Cæſar, & Ferdinandus frater, quibus cordi erant Italici Imperij opes, eius pericula tanto inuadente hoſte neglexerant. Sigiſmundum porrò patruum Sarmatiæ Regem facilè tum auerterant Moſcouitarum bella, & funeſtæ Podoliis Scytharum incurſiones, quibus vrebatur Sarmaticus ager, & Clemens ipſe Pontifex domeſtico occupatus bello, vix Germanorum legionem & Vſſaronum equitum alam, è ſacra pecunia ad Pannoniæ præſidium conduxerat; Hungarique proceres auaritiæ atque rapinis aſſueti oblitique penitus Hunnicæ virtutis & diſciplinæ, peſſimis artibus tractantes arma, inter ſe fœdiſſimè diſſentiebant, nec externa præſidia ſuperbo contemptu & ſtulta arrogantia admiſſuri videbantur. Tanta ſiquidem animorum vanitate atque ferocia ad bellum ferebantur, vt vel innumerabiles Turcarum copias facilè deſpicerent, & ſeipſos ad tuendum gentis decus conſeruandamque patriæ ſalutem, ſi non iniqui prælij facultas daretur ſatis fore iactarent. Horum autem Princeps erat Paulus Tomoreus Colocenſis Archiepiſcopus pietatis inſtinctu, & vetere præſulum more, cum Turcis non iuſta quidem acie, ſed minutis prælijs pugnare ſolitus. Is proceres non temerè timentes, hoſtem ignauiæ increpitans, & ad conſerendas manus militum multitudinem ſacris concionibus

accendens, eò Ludouicum conſilij inopem iuuenem nec vllum vitæ diſcrimen veritum perduxit, vt aduentanti hoſti caſtra obuiam promouenda decerneret. Imperitus enim rerum adoleſcens, ingenioque præſertim imbecillo atque hebeti, tanquam bellici periculi ignarus, qui nunquam caſtra vidiſſet, facilè eò perduci potuit, quo Tomoreus fatalis eo die Hungaris dux impoſitus educebat, vel cunctis ferè Proceribus pugnæ caſum omni arte vitandum eſſe cenſentibus. Itaque Ludouicus, aliena vecordia atque ſuperbia miſer, & proculdubiò exitialis conſilij manceps factus, Solymano ad Mugaccium occurrit, quum nihil tale auſuros Hungaros Turcæ Duces putarent, nec Solymanus ipſe adduci poſſet, vt Regem hoſtem tam paucis inſtructum copiis in caſtris eſſe, & congredi prælio velle crederet. Vix enim Chriſtiana acies triginta millium peditum, ſimul & equitum numerum implebat, quum in aduerſa ducenta equitum millia ſpectarentur. Eum itaque Tomorei audacia Hungarorumque temeritas exitum tulit, vt cùm ingenti corona hoſtium circundatis & obſeſſis caſtris, Rex infelix, & (quod miſerrimum fuit) in ipſo margine Danubij aquatione prohibitus, dirigere aciem & collatis ſignis confligere cogeretur. Non tulêre diu Hungari primi agminis vim, quanquam admirabili ferocia reſiſtentes, nec inulti cadentes, quando meritas inſaniæ ſuæ pœnas darent. Cecidit antè alios vecordi impetu pugnans Tomoreus, & vnà ferè reliqui Duces & Antiſtites conciſo proculcatoque toto noſtrorum exercitu perierunt. Rex ipſe quum in fugam deſperatis rebus ſe proriperet, in paludem incidit prealtæ crepidinis, quam excondo apprehendere conatus, equum ardua ceruice erectum in ſe reflexit, atque ita reſupinatus in ipſo equi & armorum oppreſſus pondere, in aqua bipalmis gurgitis ſuffocatus interiit, ſpectante armigero ſuo, atque eum mox arena ſepeliente, ne corpore atque armis Regiis potiretur hoſtis. At Solymanus eum euaſiſſe exiſtimans, generoſa voce pronunciauit, ſe hoſtem Regem tot cognationibus clarum, in gratiam Sigiſmundi patrui, ſi reperiretur, Pannoniæ Regem repoſiturum, modò Othomannici Imperij decus, & ſuæ liberalitatis beneficium certo tributo, & id quidem exiguo, gratè atque fideliter agnoſceret. Sed cadauer poſt multos dies, indicante eodem ſcutifero repertum, eo quo potuit tumultuarij funeris honore tumulatum eſt, quum Solymanus iam Buda atque Pannonia victor deceſſiſſet, ad ornandum Hungaricæ victoriæ trophæum, æneas præſtantiſſimi operis ſtatuas quæ Matthiæ ſplendidiſſimi Regis fuiſſent, Byzantium aduehens; quibus Hippodromum erectis baſibus exornauit.

PETRI ANGELII Bargæi.

Te quoque Sarmatico Lodouice è ſanguine natum,
Et nulla clarum virtute, antiqua tuorum
Relligio immeritò regnis præfecit auitis:
Vt foret vnde animos ingentes incola Ponti
Sumeret, & raptis regnaret Turca trophæis,
Noſtrorum multa tumefactus cæde parentum.
Scilicet is fueras opibus qui fretus, & alto
Conſilio, inuictas virtute animoque phalanges
Fũdere, & innumeras euertere milite turmas
Exiguo poſſes, atque omni arcere furentem
Pannonia, inſigni confectum clade Tyrãnum.
Nam ſi corpus eras ſine pectore, ſi tibi nullam
Dij dederant mentẽ, Rex amentiſſime, qua te
Regibus æquaret ſors indigniſſima magnis:
Vitaſſes dubij ſaltem diſcrimina Martis.
Aut cùm præclaras animas per vulnera mille
Vidiſti Heroas fundentes pectore ab imo,
Te quoque præcipitem Turcarũ in tela dediſſes.
Iure igitur tanta fugientem è cæde tuorum,
Vt turpi ablatus letho, & contectus harena
Informi cumulo, lachrymis & honore careres,
Obruit immerſum cœnoque vndaque lacuna.

FINIS QVINTI LIBRI

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN SEXTVM LIBRVM ELOGIORVM SVORVM

PRAEFATIO

Ad Cosmvm Medicem Florent. Ducem.

Decet profectò hunc ſextum Elogiorum librum, qui fato functorum Heroum erit ultimus, bene auſpicari ab ipſa inuictiſſimi viri Ioannis Medices, effigie, quem tu, Magnanime Coſme, ab æmula virtute certiſſimum agnoſcis patrem. Italia verò omnis etiam nunc luget, quòd tum immaturo fato fuerit ereptus, quum in ipſo defendendæ communis libertatis glorioſo conatu ceciderit. Hic vir ſæculo noſtro tantùm monſtratus, quoniam virtutis modum exceſſurus crederetur, ſicuti grauiſſimum indomiti vigoris & perpetuæ conſtantiæ ſuæ deſiderium nobis reliquit; ita hos Heroes, qui fatali accerſente hora eum ſubſecuti ſunt, tanquam bello Dux Italorum omnium longè fortiſſimus, in oſtentationem comparationemque rerum geſtarum non iniqua ratione perducit. Hos omnes, quod eſt exactæ prudentiæ tuæ, præcellentisq́ iudicij peculiare munus, inter ſe comparabis, & qui cunctas huius ſæculi parum fœlicis res geſtas immenſi ingenij tui captu comprehendis, recta æſtimatione perpendes, quantum tibi iniuſti propè oneris glorioſus pater imponat. Nam ſi tibi generoſa æmulatione ſit enitendum, vt non æques modò familiæ tuæ decora, ſed ea etiam magno interuallo ſuperes, tantò magis contendere debes, qui imperij amplitudine atque opibus patre maior es, atque felicior, vt non fruſtra Dij ſuperi tibi arriſiſſe videantur; ſi amplitudinem tuam certiſſimis (vti probè ſcis) virtutibus adaugendam cenſes. Vale.

ELOGIORVM LIBER SEXTVS.

Ioannes Medice fortiſsimus Dux.

Qvonam condigno adoreæ laudis præconio te ornauerim, Magnanime Heros, armipotentis dextræ, & fulminei ſpiritus gloria inclyte? Inuſitata ſiquidem atque admirabilis virtus tua, omnem vel ingentis facundiæ vim exuperat, & excludit, ſi multa atque illuſtria bello edita facinora collatione æqualium Ducum expendantur: quandoquidem illorum fortia facta cùm numero, tum varietate, atque ipſo pondere victoriarum prorſus antecedant. A'prælato namque ſemine ingenita virtus, tanta ſtirpis luxurie coaleſcere cœperat, vt altitudine culminia ad ſydera ferri videretur, niſi immitia fata valdè inſigni huius ſeculi infortunio, pro Italiæ libertate pugnantem, in ipſo curſu ſperatæ victoriæ proſtrauiſſent. Paternum etenim genus, directo ſtemmate ſuperiorem Laurentium Medicem, qui Magni Coſmi germanus frater fuit, reſpiciebat; quū maternum repeteret ab inuictiſſimo Franciſco Sfortia proauo, qui inſigni bellicæ virtutis felicitate, Mediolanenſis imperij principatum poſteris eius familiæ peperit. Huius erat neptis Catherina, eo Galeacio Principe genita, cui coniurantium ciuium dira malignitas dominatum & vitam inuiderat. Hæc Ioannis mater fuit, antea Hieronymo Riario, Xyſti Pontificis propinquo ſplendidiſſimè nupta, quę interfecti coniugis mortem, virili animo tutata arcem, ſeuerè vindicauit; numeroſamque ex Riario prolem relinquens, pertæſa cœlibatus, & conſcia ſuæ fœcunditatis, Iohanni Medici Gallicas ſequenti partes, tanquam præclara nobilitate moribusque lectiſſimo nupſit, vt hic Ioannes ex Chriſtiano fonte Ludouicus appellatus, paternum ferens nomen, primo eoq; ſupremo eius coniugij partu ederetur, qui bellicum



materni generis vigorem certo Mediceæ magnificentię ſplendore cumolaret. Cæterùm triennis puer parrem amiſit, captaq; demum arqoe exuta Principatu Borgianis & Gallicis armis Catherina matre, magnis aduerſæ Forrunæ fluctibus iactaros eſt. Sed à matre demũ quæ beneficio Alegriæ Galli ducis, mole Hadriaoi educta fuerat, Florenriæ educarus eſt, eo ætatis incremento, vt eius turelam benignè ſuſciperet Iacobus Saluistus illuſtris ciuis, qui poſtea Ioannis ſocer fuit. Verùm ea indole puer Martij ſpiritus habitum gerebat, vt prælia, & ſæpe cruenta inter æqoalea ferteret; vuloereq; inflicto, quod videri poterat mortiferum, reclamante ſaucij pueri patre, exilio mulctaretur. Sed exacto demom vrbe Soderino, arque introductis Mediceis in veterem domioatum, non multo pòſt adhæſit Leoni Decimo familiæ Principi, & ad Pontificatum euecto. Nec diu pòſt Ioannea inter initia Vmbrici belli, imberbis adhuc ita militię poſuit tyrocinium, vt tormam equitum ex delectis familiaribus ſuo ære perornaram, vti nouę laudis cupidus, in aciem produceret, multisq; obiter exercitus pericolis, ad eam diſciplinæ frugem, ad idq; inuicti nominis decus, nunquam ferè inrermiſſa militia perueniret, quò præclara & paſſim ſpectata vis eios, magno partibos adiumenro, & looge maximo hoſtibus eſſet rerrori. Hinc fit vt ardens & viuida virtus diffuſo latè lumine, breui elogio neqoe includi, neque exprimi facilè poſſit, quom nullis propè gloriæ finibus terminetur, & iuſtis annalium monomeotis poſteritari tradita, certam æternitatis ſpem concipiat & expectet. Quis enim niſi prægalto volomine, res eius incredibili fortitudine inuicti ſemper animi geſtaa comprehender? Quis innumera ſecundè inita prælia, atqoe oppida fortiter expugnata, & ereptum è manibus Venerorum hoſtium peculiaris alæ ſuæ legatum, expreſſo inſtaurati prælij turbine narrauerit? Quis tranarum io cóſpectu Galli hoſtis vorticoſum Abduam, eoque auſu, territas, & in fugam datas Gallorum turmas, legentibus oſtendat? Quis denique Rethorum agmina in Bergomate agro, retrò auerſa & profligata, & Hel-

& Heluetios demum ad Corſum pagum, qui ſtrenuos ſuæ alæ equites crudeliùs interfeciſſent, multa cæde vindicatos; & Hiſpanorum audaciam Ticini primùm, & mox ſæpius ad Mediolani portas acerrimè repreſſam atque mulctatam, iuſta atque integra eloquentiæ laude extollet? Nemo ſiquidem eo celeriùs expedire arma, nemo interiùs & vigilantiùs hoſtium motus obſeruare, nemo violentiùs hoſtes inuadere, nemo pertinaciùs victoriam captare didicerat. Erat profectò natus ad Italiam pulſis externis, in libertatẽ aſſerendam, ſi id cordi ſuperis fuiſſet. Inſiſtens namque Germanorum legionibus, nec vſquam veſtigiis abſcedens, dum ituros ad delendam vrbem Romam perpetuia minutia prœliis demorari conaretur, multisq; hoſtium ſecundum Padi aggerem trucidatis, ſe in caſtra reciperet, tormento ab vlteriore Mincij ripa in incertum emiſſo, ipſe vnius genu ictus, eſt interfectus; pereuntis hercle Italiæ fato potius quàm ſuo, quum viginti ſeptem natus annos, iam planè mitigata ardentis animi ferocia, vti ſedatiora ſecutus conſilia præter egregij bellatoris nomen, etiam ad maturi iam, & compoſiti Imperatoris famam contendere cenſeretur.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Quæ tulit Eumenidũ immane hoc inſtabile fulmen?
Vnde inuictorũ funera mille Ducum.
Hoc cecidit Medicũ flos, hoc noua gloria Martis,
Quo feriente fera tot cecidère manus.
Roma gemit crus dum fractum ſecat ille, ſilet quĕ
Auſonia euentu ſtatq; caditq; ſuo.
Aſt obit. Inq; atram reuoluto hoc ſydere noctem
Arnus & in nigris Albula fluxit aquis.
Illum etiam nunc acri minitãtem vulnera vultu
Aurato Iouius condidit in tumulo,
Et laudes cecinit, picta & circumtulit ora,
Ora Iouis æternum viuere digna manu.
Ille autem, quòd te in ſuperas ante edidit auras
Dux Coſme, Etruſci luxq; ſalusq; ſoli:
Sic fertur, patria pater vt cum proſpicit alma
Ante obitum, Auſoniæ conſuluiſſe ſuæ.

IVLII IOVII.

Principis Etruſci genitor fortiſſimus Heros,
Qui noua belligeri gloria Martis eras.
Barbara gens vidit quantum pollebat in armis
Vis tua, quæ ſemper terror in hoſte fuit.
At Te equidem conſtat percuſſum fulmine, fato
Italiæ potius quàm cecidiſſe tuo.
Attamen es felix Italum fortiſſime ductor,
Non quia perpetuos det tibi fama dies,
Sed poſtquã Imperiũ, tibi quod virtute parabas,
Magnanimæ prolis fata dedère tua.

Carolus Borbonius.

QVIS nam, qui Carolum Borbonium viderit, ex hac veriſſima effigie non agnoſcet: ac item ſupercilio atq; oculis inconſtantia eius animi leuitatem, atq; perfidiam eum ſpirare non iudicet? Quis non obiter diri, impijq; hominis ſæuitiam non execretur, qui aduerſus Regem ſuum, patriamque ſuam nefaria arma intulerit? & ſacroſanctam vrbem gentium omnium liberale domicilium profanârit, & euerterit? & denique ſcèleſta cogitatione renouata, conuerſaq; perfidia in Cæſarem, Neapolitanum Regnum occupare voluiſſe non credat? Licet enim & hoc de contemptore humani atq; diuini iuris nõ abſurdè ſuſpicari, quum in limine portentoſæ temeritatis ſuæ perierit; vltore quidem magno Deo, ne abominabili victoria, & truculentiſſima tot inſontium hominum cæde lætaretur. Gilberto Mompenſeriõ patre genitus erat, qui Gallici exercitus imperator, Neapolitano victus bello, ex dolore rei malè geſtæ apud Baias interiit. Reliquerat is præter hunc Carolum, filios Ludouicum ſcilicet quinto poſt patris mortem anno ad Capuam peſtilenti febre ereptum; & Franciſcum Heluetio prælio in conſpectu fratris interfectum. At ipſe opulentæ hæreditatis compos, & Comeſtabilis à Rege appellatus, qui honos militaris in Gallia ſummus habetur, proculdubiò procerum omnium longè clariſſimus euaſerat; vtpote qui perpetuò tenore vitæ, domi & foris ſplẽdidus, erga milites liberalis, in hoſpites vel inconſultè munificus, authoritate, gratia, opibus, reliquos regij ſanguinis Regulos anteiret. Sed quantum ſibi bellicæ laudis Abduana præſertim acie, quum extraordinariis Gallicæ nobilitatis equitibus euocatisq; præeſſet; & apud Mediolanum, quum eã vrbem aduerſus terribilem Maximiliani Cæſaris aduentũ conſtantiſſimè defendiſſet, non obſcurè pepererat, tantundem amiſit ad Melenianum Heluetiorum prælio, quum circumuento, & præeunti fratri, opem reformidato periculo ferre noluiſſet, & ad Valentianum in Belgis ſerò cũ auxiliis aduentans, Regio agmini obſcura in nocte errabundo ſe coniungere recuſaſſet. Verùm quum hæc vel aduerſus ipſius Regis teſtimonium dilui & excuſari poſſent, ſe demum magna onerauit inuidia, fœdeq; ſeſe & Borboniæ familię nomen dedecorauit, inexpiabili facinore edito, quum à Rege deficiens, in patriam externa Cæſaris arma perfidioſè conuerterit; ſcilicet vt leuem iniuriam vlciſceretur,



quòd Ludouica Regis mater, ei grauem & improuiſam litem intenderet, ereptura haud dubiè aliquot caſtella, malignitate ſenatorum in ea cauſa peininiqúe ius dicentium. eo autem acrius vrgebat atq; incumbebat Ludouica, quòd ſe ſpretam à Carolo crederet, cui ſe ad connubium fruſtra obtuliſſet, vt ætate adhuc florẽs vidua, florentiſſimæ ætatis nobiliſſimæque ſtirpis viri coniugio potiretur. Hæc contumelia, muliebri in animo præaltas iecerat ſæui odij radices, nec Rex ipſe procliuis in obſequia matris, vt litem dirimeret exorari potuerat, quoniam niſi poſt diiudicatam litem, eius controuerſiæ arbitrum fore profiteretur. Quæ conditio grauiſſima ideò viſa eſt Borbonio, quòd nihil ſibi ad æquitatem vel iura cauſæ, vel iudicum ſtudia reſponſura crederet, ſi damnatus à properato iudicio, ex clementia tantum Regia commodum expectaret. Itaque indignabundos coniurauit cum quibuſdam illuſtribus viris, Cæſariq; implacabili Gallorum hoſti adhærere conſtituit. Sed Franciſcus Rex incomparabili benignitate iam planè detecta coniuratione, Borbonio ad genua prouoluto ita pepercit, vt ſe vllis vel certiſſimis indiciis adduci non poſſe, vt crederet, quenquam Regiæ ſtirpis perfidiæ ſcelus concipere poſſe, teſtaretur. Sed non multo pòſt Borbonius ſimulato morbo, quum Regia caſtra ſubſequi iuberetur, diuerſo itinere & mutato habitu cum paucis in Sequanos perfugit, atque ea conditione Cæſarianis partibus ſeſe addixit, vt ei Cæſar Leonoram ſororem, quæ Emanuelis Luſitaniæ Regis vxor fuerat, deſponderet, ſuperis proculdubiò nuptias vetantibus, ne ſummæ nobilitatis Regina homini perfidiæ labe notato iungeretur. Tranſiuit demum in Italiam, atque inde cum valido exercitu in Prouinciam irrupit, conſpectaq; & vix tẽtata Maſſilia repulſus eſt: quum nemo reperiretur qui inſaniam perfidioſi hominis imitari, quàm patrium ſolũ defendere mallet. Exinde tranſeunte in Italiam Rege, cum copiis, quas pro ſalute patriæ coëgerat, Ticinenſi prælio interfuit, quo Rex ipſe deleto ab hoſtibus exercitu captus eſt; atq; ita Borbonius nefarij odij voto potitus,

victor,

victor, temerè ſperauit, Cæſarem Mediolanenſis imperij dominatum ſibi, tanquam ſororis dotalem, eiecto Sfortia eſſe conceſſurum. Verùm Carolus Lanoius Belga, qui vices Cæſaris gerens, intimi illius conſilij erat gnarus, decepto Borbonio, Regem captiuum in ſpem promerendæ libertatis aſtutis perſuaſionibus inductum, in Hiſpaniam abduxit. Qua inopinatæ iacti nouitate Borbonius vſqueadeò cõmotus eſt, vt ſtatim & ipſe in Hiſpaniam enauigârit, & apud Cæſarem ſe, qui victoriæ ſocius extitiſſet, ingratè contemptum quereretur, Lanoiumque malignitatis & impudentiæ probro compellatum, ad ſingulare certamen prouocaret. Verùm Cæſar ita rixantes diremit, vt quæ Lanoius feciſſet, publico commodo, ſuoq; iuſſu feciſſe teſtaretur. Nec diu pòſt, cum Rege de eo dimittendo Cæſar pecunia tranſegit; ad confirmandasq; noui fœderis pactiones, ſororem antea dubiis verbis Borbonio promiſſam, Regi tum celebri connubio iunxit, quo nihil amarulentius Borbonio accidere potuit. Ea Cæſaris cum Rege conciliatio ſuſpecta Italicis Principibus fuit, quaſi coniuraſſent, & cunctis iugum imponere cogitarent. Sed eam ſuſpicionem non temerè conceptam Rex opportuniſſimè detexit; perſoluto namque auro, & liberis obſidibus datis, his quas perſcripſiſſet conditionibus tanquam iniquiſſimis, & impotenter extortis, ſe minimè ſtaturũ profeſſus eſt, quaſi optimo iure liberatus videri poſſet, qui aureæ monetæ ducentas myriades Cæſarianis cuſtodibus, quũ liberos etiam daret obſides, adnumeraſſet. Itaque Itali Principes, liberæq; ciuitates, ſeruitutis metu ad arma conſternatæ, in Cæſarem Ciſalpinæ Galliæ Imperio Sfortiam excludere conantẽ, authore Clemente Pontifice, eò fidentius arma verterunt, quòd ipſi affuturum Regem intelligerent. Eius verò belli is exitus fuit, vt fruſtra obſeſſo à fœderatis Mediolano, Cæſariani victores arce potirentur, & ex aduerſo Laudem Pompeiam & Cremonam ab hoſtibus fortiter expugnatam amitterent. Cæterùm aucti quatuor Germanorum legionibus Borbonio Duce, ingẽti curſu ſuperato ad Aretinas alpes Apennino, ad Vrbem Romam inuadendam conuolârunt, Pontificeq; per inducias decepto imparatoq;, primo appulſu per Vaticanum Vrbem cõtra Obeliſcum, vbi mœnis humilia & vetuſtate collapſa facilè præbebant aditum, facillimè irruperunt; miſerabiliq; cæde edita, ſummæ venerationis tẽplum toto orbe maximum & venerabile, miſerorum ad aras cõfugientium cruore profanatum eſt. Id verò perfidioſe oppreſſis & pereuntibus ſolatio fuit, quòd Dux ipſe Borbonius, dum ad caſam muro coniunctam ſcalas apponi iuberet, craſſiore glande traiectus in limine execrabilis victoriæ ſuæ occubuerit; ſic vt poſtea alioqui hominũ miſerrimi incolæ, ſummas omnis acerbitatis perpeſſi calamitates, tolerantiùs ferrẽt, quòd Diis tutelaribus noſtro errore nihil ſuas aras defendentibus, eorum numina, ad tormentum in inguen damnati cœlo hoſtis, direxiſſe piè crederent.

IOANNIS BAPTISTAE GABII.

Dedecus Aruernæ gentis, pàtriæ improba labes,
Transfuga qui leuis & perfidus hoſtis erat;
Ictus vno ſtratus temeratæ in limine Romæ,
Ne ſe victorem cerneret, occubuit.
Debuit haud alias ſuperis perſoluere pœnas
Perfidus ante homines, impius ante Deos.

Georgius Fraiſpergius.

HOC ipſo armorũ pedeſtrium cultu, atq; hac rubenti, & propè temulenta facie exprimitur Georgius Fraiſpergius, Mindlaeo Sueuorũ oppido, iuxta Memingam liberam ciuitatem natus, educatusque militiæ ab ineunte ætate ſub diſciplina Maximiliani Cæſaris; Menapiorum & Sicambrorum Phryſiorumque bellis, multa potius egregiæ laudis quàm bellici quæſtus decora domum retulit. Verùm ſub Carolo Cæſare multo luculentiora ſpectatæ virtutis & fidelis operę præmia promeruiſſe viſus eſt, prælio præſertim ad Bicoccam facto, quum proruentis Heluetiæ phalangis impetum ex fortuito ruſticanæ viæ aggere propugnans, ſingulari conſtantia ſuſtinuiſſet, & Ticiuenſi demum acie Germanicas Gallicarum partium cohortes quadam hiantis forcipis indagine circumuentas, ad non dubium ſummæ victoriæ prouentum trucidâſſet. Deletis nanque Germanorum auxiliis, quibus Longamantes præfuerat, res extemplò per ſclopettarios aptè proſpereque geſta eſt, fuſo ſcilicet, ſtratoque hoſtium equitatu, profligatis Heluetiis, ac ipſo demum Franciſco Rege capto. Sed qui tantum ſibi nominis variis bellis quæſierat, vtpote qui iuſto prælio quindecies, extraordinaria verò acie ſupra vicies dimicâſſe ferebatur; ſuprema demum induit arma aduerſus Clementem Pontificem ſummæ potentiæ, quum fata deſtinabant felicitatem inauſpicato inuidentem. Itaque ad eam conflati belli famam Georgius, oppignerato etiam patrimonio, cum quatuor legionibus, eo diri voti impetu concitatus in Italiam deſcendit, vt ſe Clementem tanquam Cæſaris hoſtem, laqueo ſuſpenſurum truculenta voce profiteretur; laqueum auratum, quẽ ſinu geſtabat, crebrò depromens & oſtentans, quo in ſacroſancti viri teterrimo ſupplicio homo nefarius atque impius vteretur. Verùm diram eius vocem, & totum efferatæ mentis conatum Diui diuæq; omnes in irritum per nubes extule-



runt; atque ita ſenem abdomioe turgido grauem, & vaſto ingentiom artuum pondere fatiſcentem, immmiſſa paralyſi, ſiderârunt, vt abominabilis voti damnatus, ex itinere Ferrariam, atque inde in Germauiam lectica referretur; ſcilicet vt iutra penates Lutherana ſuperſtitione contaminatus, ſuopte peruerſo ingeuio à maiorum religione diſcedens, inexpiatus interiret. Fuit Georgius membrorum robore vſqueadeò validus, vt extento tantùm medio dextræ manus digito, validiſſimum quemqoe firmo innixum veſtigio facilè dimoueret: prætercurtentem equum arrepto fræno ſiſteret; tormentomque murale ſolus innitens homero, quò vellet, propelleret: iu itinere faciundo libenter abdicaret equum, vt pedibus gregariorum militum & iuuenum iuſtos paſſus anteiret. E' tribos liberis maiorem natu Gaſparem militaris diſciplinæ hæredem reliquit, ſed qui ſeptimum poſt annum, eo bello qoo Cæſar Narbonenſia Prouinciæ Galliam inuaſit, morboſa tabe præeuntibus legionibos fit ereptus: quum Melchior natus ſecuodus iu Vrbe euaſtata lethargo periiſſet: Balthaſar verò vltimus oeque ad frugem peruenit, neque ad propagandam ſobolem diu patri ſupeiſtes fuit.


ANTONII VVLPII.

Quis te Georgi, magne ductor agminum,
Qua mittit altrix militum Germania,
Vexauit olim furor, atque inſania,
Vt Capitolio Deorum ſedibus
Auſus ſis ignem, & laqueos, & vincula
Collo parare, proh ſcelus, Pontificis?
Ecce vt repentè ſtratus occidis leui
Morbo, priùs quàm mœnibus Quiritium
Caſtra admoueres; placitum ſic eſt Deis,
Titanas olim qui ſuperbos, & polo

Arma

Arma inferentes, contunderunt fulmine.
Conatus iſte nominis notam tuo
Quamuis inurat; Ducibus claris tamen,
Quos priſca iactant ſecla, vel præſentia
Aequâris auſibus, manu, & conſilio.

Odettus Fuſius Lotrechius.



HIC Odettus Fuſius, qui Lotrechius ab oppidi nomine in vltimà àd Pyrenæos ſaltus poſiti, vocatus eſt, ſtrenui & intrepidi, ſed maximè ſuperbi vigoris inter Gallos Duces nomen tulit: vtpotè quem nulla terrerent pericula; neq; vllæ rerum aut locorum difficultates ab incœpto vnquam retardarent. Verùm in conſiliis capiundis vſque adeò aliena iudicia contemnebat, quum plus æquo ſolus ſapere videri vellet, vt prudentiæ militaris exiſtimationem ſola & ſæpe fallaci conſtantia, quæ inſanæ pertuicaciæ proxima eſſet, tuendam arbitraretur. Huius autem obſtinati moris vitia perpetuę liberalitatis & iuſtitiæ laude contegebat, nuſquã venalis, aut rapax, & extra æquitatis ſepta ſemper ita ſeuerus & inexorabilis, vt in edendis damnatorum ſuppliciis inhumanus & cruētus haberetur: qua crudelitatis acerbitate perſtricti Inſubres, ab eo facilè, quũ oportuit, defecerint: damnarintq; itidem Thomæ Leſcuti ſæuitiam, qui Lotrechium fratrem aliquando ad lenitatē paratum, feruidis impulſionibus efferaſſet. Cæterùm Lotrechius & hoc Leſcuto, atque item Aſparoto germanis fratribus, qui pugnaciſſimi Duces fuēre, in omni imperij militaris munere implendo potior exiſtimatus eſt; hiſque vel ætate maior ſuperſtes fuit;

quum Leſcorus Ticinenſi prælio, glande femur traiectus, intra nonum vulneris diem perierit: Alparotus verò in Hiſpania ad Grunnium acie victus, contuſa clauarum ictibus galea, multóque inde delapſo glaucomate, totum penitùs oculorum lumen ita amiſerit, vt militiæ vſui eſſe deſierit. Hæc verò in toto militari negotio peculiaris laus Lotrechio ceſſit, quòd vrbium expugnator, vti olim Demetrio Macedoniæ Regi obtigit, appellatus eſt. Nam qui iuxta Gaſtonem Foiſſeium, inclyti nominis Imperatorem, Rhauénate prælio occiſum, multis vulneribus cruentus proſtratusque Hiſpani Centurionis, cui cognomen fuit Guido, miſericordia ſeruatus fuerat, impigrè etiam Heluetio bello ad Mediolanum, teſte Rege, & demũ ipſo nomen Imperij tenẽte ad Bicoccam, vel nequaquam victor, intrepidi, ſed non valdè memoris & cauti Ducis decus meruit. Brixia demum recepta, atq; Verona expugnata, & aliquantò pòſt Boſco, Alexandria & Ticino vrbibus manu captis, & quòd illi nobilium operum ſupremum fuit, Melphi vrbe in Apulia tormẽtis expugnata, illam quam diximus laudem pauciſſimis conceſſam Ducibus, adeptus eſt; quum poſtea ab eius virtute fortuna diſcedens, eum ſurdis auribus peritorum Ducum ſuorum conſilia reſpuentem, penitùs eluſiſſet. Ipſe enim ex fatali ſua peruicacia circumuallatæ & obſeſſæ Neapoli intemperantiùs hærens, qui armis vinci nõ poterat, peſtilenti morbo eius caſtra vaſtante, ſuperatus interiit, quum de ſubactis Cæſarianis, perdomitaq; Neapoli inſigne trophæum erecturus crederetur, ſi abſcedere incœpto, & latè per vicina oppida ſaluberrimi aëris, copias diuidere (vti periti Duces, gnarique locorum ſuadebant) quàm in veſtigio funeſti conſilij perſtare maluiſſet. Id verò ei in ſuprema calamitate glorioſum fuit, quòd quum ei, voti atque victoriæ compos hoſtis Aurantius ſepulchri & funeris honorem negauiſſet, nõ vnius tantùm diei decus, ſed perpetui honoris ſtatas quotãnis exequias à populo Romano meruerit. In Capitolio ſiquidem, publico miroq; ciuium omnium aſſenſu, decretum eſt, vt quotannis in Laterano Templo ad Cenotaphium Lotrechij ſolennibus inferiis parentaretur, tanquam Vrbis liberatori: quandoquidem aduentu ſuo & captum Pontificem liberaſſe, & Barbaros in vrbana ædificia graſſantes Roma detraxiſſe cenſeri poſſit. Hoc verò humanæ miſeriæ inuſitatũ exemplum Lotrechius de ſe præbuit, quòd eius cadauer abominabili diligentia Hiſpani militis tam auari, quàm impij, in cella vinaria multo ſabulo contumulatum, diu fruſtra emptorem Gallum, qui redimeret, expectârit; poſt vigeſimum autem annum iuſtum & luculentiſſimum marmorei ſepulchri decus ſit conſecutum; vno ſcilicet Hiſpanorum nobiliſſimo Ferdinando Corduba, qui Magni Conſalui nepos fuit, ingenuo pudore indignante, quòd excolendæ virtutis, quæ in hoſte etiam grata & admirabilis eſſe conſueuit, ſtudium penitùs exoleſceret; atque ita pretio coëmente oſſa, ad peculiarem nominis ſui laudem, nõ obſcura etiam ſuæ gentis cum inuidia, marmoreo monumento recondenda, & ritè funeranda decreuerit.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Dicite qui Tuſci colitis prope Tybridis vndam
Templa Deûm, et magnis thura datis ſuperis;
Dicite, cur Galli manes animamq́; ſuperbam
Lugubri celebrant carmina veſtra ſono?
Hæc meruit rabidam illuuiẽ, qui perpulit, vnde
Barbarico excuſſa eſt vrbs labefacta iugo.
Quare ingentẽ vmbrã Lotrechi, animãq; potentẽ
Inſerimus claris carmine cœlitibus.
Pergite Romulidûm proles, neu dicere laudes,
Neu pigeat manes excoluiſſe pios.
At tu ſperne virum exciſa, alto è marmore, facta
Summe Ducũ, auratiſue addita imaginibus;
Sic melius, tua ſic ſe tollit ad æthera virtus,
Vincat vt aërias culmine Pyramidas.

Vgo Moncata.

VGO Moncata, qui primus inuiolatum antea, ab ipſisque Gothorum temporibus Templum Romæ in Vaticano, Petro & Paulo diuis Romanæ vrbis tutelaribus dicatum, & à cunctis Chriſtiani nominis gentibus religioſiſſimè cultum, profanauit, hanc effigiem ferebat. Ortus eſt pernobili familia Regiæ ſtirpis citerioris Hiſpaniæ. Iuuenis cum Carolo octauo Gallorum Rege in Italiam venit, ſicuti & plerique alij Hiſpani, qui poſt receptum ex conditione noui fœderis Perpenianum, ſtudio militandi Gallica caſtra ſequebantur. Verùm Vgo diſcedente à Gallorum amicitia Ferdinando Hiſpaniæ Rege, Cæſari Borgiæ ſeſe applicuit, duxitq; ordinem, quum ille abdicata purpura, repentè Pontificij exercitus Dux extitiſſet. Cæterùm Vgoni, qui aſtuti & diligentis, ſtrenuique item Ducis famam tolerat, primæ pugnæ fortuna illuſit, quum in Vmbria à Vitellianis cohortibus Iacobo Roſſetto phalangis magiſtro, & Paulo Vrſino Ducibus, qui à Borgia defecerant, ad caſam, quam vocant Mazzeam, cum Michaletto Corellia ſuo collega, profligatus fuiſſet. Exinde Borgia reparatis copiis, atque inſigni dolo diſſimulata iniuria, Vrſinos Proceres & Vitellotium necauit, expulitque nobiliſſimos Italiæ Regulos auita ditione, quibus peragendis rebus, Vgo perpetuam manu & conſilio operam præſtitit.

Mortuo



Mortuo autem Alexandro Pontifice, & Borgia Gallicis fauente partibus, Vgo & cæteri Hiſpani Duces ad magnum Conſaluum tranſiuerunt, Vgone facilè principe. Sed confecto in Italia bello, Borgiaque in Hiſpaniam perducto, & ad Mendauiam demum tumultuaria in pugna à Cantabris occiſo, nauali diſciplinæ ſe addixit, clarusque aliquot expeditionibus aduerſus Punicas gentes ſuſceptis, ita inclaruit, vt opimum Rhodiæ militiæ ſacerdotium, quod Euphemium vocant, in Brutiis promeruerit; ſemper auidus nouæ famæ, & inquieto ingenio oram Africæ vexabundus percurrens, quod erat honeſtiſſimi laboris munus; ſed non ſemper felicis audaciæ. Nam eas Hiſpanorum copias, quæ Pontifici Leoni, auſpiciis Feltrij acre bellum intulerant, quum nauibus impoſitas ad Cæſaream, quæ hodie vocatur Algeriũ, expugnandam adduxiſſet, ferè omnes oborta tempeſtate, & totam penè claſſem, paratis ſcilicet ad cædem & prædam Barbaris, fœdè amiſit, & aliquantò pòſt nocturno prælio à Turcis prædonibus iuxta Sardiniam ad Diui Petri ſcopulos, ita magnum accepit detrimentum, vt amiſſis duabus Triremibus, & facie ſagittæ ictu ſub oculo deformata, victus diſcederet. Promeruit exinde Siciliæ præfecturam, atque inde aucta claſſe ad Mœnicem inſulam traiecit, vt Girapolis vrbis Regulum expugnaret, apud quem prædonum omnium tutiſſimus erat receptus. Sed id bellum eo ſucceſſu cœptum confectumque eſt, vt Vgo repentino Barbarorum ſuperuentu, Chriſtiana acie perturbata, ſummæ cladis & vitæ periculum adierit. Vulneratus namque ipſe, humerum infeſta incumbentis Mauri lancea, vix inſtaurare, ordinareque aciem poterat, niſi Germanica phalanx vel in præalta arena defixis veſtigiis, turbulenti prælij procellam ſuſtinuiſſet. Barbarus tamen noſtrorum vim atque conſtantiam non obſcurè timens, his legibus fœdus percuſſit, vt Cæſari annuum tributum ſe daturum polliceretur, & legationem in Germaniam vſque ad Cæſarem mitteret. Explicatus eo periculo Moncata, ita demum Siciliæ præfuit, vt ibi multa auaritiæ & crudelitatis monumenta relinqueret, quum

aliquot honeſti nominis Siculos,& in his Cameratæ Regulum,pro vetere licentia Siculæ geotis ſeditioſiùs ageotem,ſecuri percuſſiſſet. Exortum ſubiode eſt bellum atrox inter Franciſcum Regem & Cæſarem, quo ipſe ad Varagium Liguriæ vicum temerè è claſſe diſcedens, tumultuaria pugna à Gallis ſuperatus, & caprus eſt, quum fortè Cæſarianorum Triremes metu obortæ tempeſtatis, à ſcopúloſo litore longiùs receſſiſſent. Qoum verò Franciſcus Rex à Cæſare dimitteretur, Vgo & ipſe dimiſſus venit in Italiam, vt nouo bello Dux intereſſet. Pootifice namque & Venetis ſeruitutis metu ad arma conſternatis, quòd Cæſar immodica cupiditate totius Italię imperium affectare videretur,& Franciſcum Sfortiam ex authoritate fœderatorum Mediolani Principem conſtitotum eiicere contenderet. Iam planè cœpiũ & conflatum erat bellom adnerſus Cæſarianos, quo nihil magis detrimentoſum, nihilque magis dirum Italiæ inoidit. Nam quum Columniæ familiæ Proceres, Pompeio Cardinale authore, ſeſe Cæſaris partes ſecuturos profeſſi, à Pontifice diſceſſiſſent,& iuxta Vrbem copias cogerent, ſpecie præſidij Vgo doloſus, oec ſatis magno militũ numero confirmatus, Colomniis perſuaſit, vt inducias à Pootifice poſtularent, vt per eas deceptum & imparatum Pontificem innadendum, atq; opprimendum ſuſcipereot. Qnibus ad nefarium perfidiæ conſilium nomine Cæſaris impulſis, Vgo nihil moræ ſibi attulit, quin cum ſuis intra pauciſſimos dies, quas Neapoli comparârat copiis, & Columniorũ auxiliis, in Vrbem Laterana porta irrumperet,& per Xyſtinum pontẽ in Vaticanom inſtructa acie contendẽs, nihil ſe commouente Populo Romano,& coniectis in fugã Pontificię cuſtodię paucis equitibus, Leonina vrbe potiretur, ſtatimq; Templo ſacroſaocto ſceleſtiſſimè direpto,& Pootificiis ædibos militum prædæ conceſſis, Pontificẽ, qui in arcem molis Hadriani trepidè confugerat, deſtituto militari præſidio, & coofilij inopem obſideret, cogeretq; ſibi obſides dare, quibus certò bello abſiſtere, & ad amicitiam Cæſaris redire fateretur; ac niſi Vgo inexpiabilem inoidiam Cæſari coonflaret, pactionem tranſigere, atq; (hac in re nõ omnino impius) Vrbe excedere maturaſſet, procul dubiò Pontifex rerum omnium preſſus inopia, io poteſtatẽ Pompeij Columnæ internecini hoſtis celerrimè perueniſſet, ſic vt vetus de Bonifacio octauo Tragœdia inſtaurari videretur. Sed Vgo ſceleſti facinoris & ſacrilegij editi dignam biennio pòſt ſubiit pœnam, quom ſupra Salernom nauali prælio cum Aurianis triremibos, quibus Philippus Auria vir impiger præerat, contendiſſet. Ea namque cruenta admodum pugna, promptiſſimi Hiſpanorum ſupra mille, qui paulò ante Vrbem diripuerant, trucidati perierunt, & ipſe Vgo præſectus, amiſſa claſſe, & proſtrato ſuæ prætoriæ nauis vexillo, quũ fruſtra aduerſus tot incidentes glandes ſcutum prætenderet, eſt interfectus; ita vt magnum Deum tanti ſacrilegij præclarum vltorem extitiſſe pij mortales crederent: atque obiter magnoperè mirarentur, cur fortuna ad tantas opes Vgonem euexiſſet, quando is nonquam victor, ſed vbique victus præmium ingens, & planè odioſum ex malè geſtis rebus peruerſa ratiooe,& malo exemplo retuliſſe videretur.

IANI VITALIS.

Diſce meo exemplo Mezenthi, Rhulle, Procuſtes,
Quæq; alia immanis monſtra Tyrannis habet.
Eſſe Deum vltorẽ; qui tam Moncata Triquetra,
Sordidior Verre, publica peſtis eram,
Diripui Mundi Reginam proditor Vrbem,
Sed fuit haud votis par ea præda meis.
Denique qui fueram terrarum maxima clades,
Inueni meritis funera digna meis.
Ictu obij glandis, calones inter, & inter
Lixas, in Pelago Parthenopæa tuo.
Si laudare licet ſeſe, mea plurima laus eſt,
Quòd potui inuitos ſemper habere deos.

Petrus Nauarrus.

PETRVS Nauarrus, qui admirabiliom operum machinator & artifex excindendis ab imo arcibus, toto orbe famam eſt conſecutus, hoc ſubagreſti cultus atq; oris habitu fuit. Familiariter aotem nobis cognitus, (vt ipſe dicebat) nauali diſciplinæ, vt in Cantabria moris eſt, ſeſe aliquandiu dedidit, ſed mox faſtidito mari, in Italiam doctaote fortuna peruenit, ea ſpe & vitæ conditiooe, vt Ioanni Aragonio Cardinali à pedibos ſeruiret, tranſiretq; iode, mollioris aulæ otium deteſtatus, ad Luneoſe bellum, atq; ibi ſub Petro Montano Florentinis copiis Præfecto, aliquot menſtrua ſtipendia triginta Liliatis denariis fecit, ſed qui mox duplici augeretur ſtipendio, quum ſupra gregarij militis captum, præcelleotis ingenij operam præſtaret, in excauandis præſertim cuniculis, per quos immenſis tormentarij pulueris fomẽtis, adeò terribiles intus flammas excitare didiciſſet, vt obſtructis ſpiramentis, violentia obluctantis intus flammæ, non mœnia modò, ſed & ſuppoſitæ etiam rupes excinderẽtur. Verùm Sergiano oppido à Florentinis in poteſtatem redacto, iterum maritimæ exercitationis munera complexus, multa littoribus Africæ, Punicis prædonibus infeſtus, detrimẽta intulit. Cæterùm Gallico bello, vti decebat,

ad



ad Neſpolim magno Conſaluo cohortis Præfectus militauit, eo bellicæ laudis incremẽto, vt maximè Gallis formidandus, & Conſaluo Imperatori apprimè carus, ab efficacia inuſitatæ virtutis euaderet. Itaque multis fortibus factis ad Canuſium atq; Tarentum editis clarus, expugnata demum apud Neapolim Oui arce, ſtupendo ſuo artificio vſqueadeò mirus extitit, vt Galli eius portentoſæ machinationis metu, reliquis præſidiis facilè excederent, quũ abripi in ſublime propugnacula Megaris inſulæ ſcopulis impoſita, & furentibus flammis cuncta tremere, hiſcereque & perfringi, cum ruina multorũ mortalium perſpexiſſent. Tulit præmium ſpectata virtute dignũ, iudicio magni Conſalui: nam Alueri oppidi, quod eſt apud Lyrim nõ longè ab Aquinatibus, Comes ſpecioſo titulo appellatus eſt. Magno autẽ Conſaluo Neapolitani Regni præfectura detracto, atq; aduecto in Hiſpaniam, quũ Franciſcus Xymenes è ſacra pecunia copias coëgiſſet, vt in Mauritaniam traiiceret, Nauarrus vnus omnium virtutis nomine delectus eſt, qui claſſi & copiis cum imperio præeſſet. Eo bello mira felicitate pulſis, atq; perterritis Mauris, & magno portu quẽ Mazalchibir dicitur, & Orano celebris emporij vrbe potitus eſt. Inde curſum extendit in Numidiam, illatusq; in Olcachithem ſinũ, Bugeam vrbem Gymnaſio nobilem atq; opulentam cepit, atq; eadem felicitate longa Punici littoris ſpatia prætereuectus, Tripolim, quæ magna Leptis olim fuit, inter Syrtes terra, mariq; oppugnatam, magna Pœnorũ ſtrage edita expugnauit. Quibus rebus feliciter geſtis, elatus ſucceſſu in Mœnicem inſulam, quæ hodie Gerbis eſt, retroflexa claſſe deſcendit, vt Girapolim Barbari Reguli ſedem expugnaret. Sed copias deſcendẽtes in terram, & cum Barbarorum equitatu, qui infeſtus laceſſebat, præliantes, vti accidit in maximis Auguſti menſis ardoribus, vſq; adeò vehemens ſitis afflixit, vt neq; ordines ſeruare, quũ puteos quęritarent, neq; repugnando conſiſtere poſſent, ſed redire ad claſſem coactæ ſunt; tanto tumultu, vt quum longè à vadoſo littore naues abeſſent, nec ſcaphę ſufficerent, maligna multitudo militum

in littore trucidata ſit, inter quos Garzias Toletanus ſummæ nobilitatis & ſpei iuuenis, qui ad imperium claſſis ab Hiſpania mittebatur, interiit. Exinde nuſquam ferè Nauarro Fortuna arridere viſa eſt. Nam aliquantò pòſt, quum tranſuectis in Italiam Africanis legionibus improſperè Bononiam tentaſſet, & funeſtiſſimè demum cum Gallis ad Rhauennam conflixiſſet, captus, duri carceris in Gallia biennium eſt perpeſſus: Sed quum vir fortis, atque inſolens contumeliæ, ex tot & tantis virtutis atque induſtriæ ſuæ meritis, à Ferdinando Rege non redimeretur, abdicatis antiquis muneribus, Franciſci Regis militiæ ſeſe addixit, poſtquam auarè contemptus à ſuæ gentis Rege videretur. Præſtitit inde fortem operam cùm Heluetio, cum Veneto bello aduerſus Cæſarianos; verùm non eadem fortuna Liguſtico bello ſeſe implicuit. Nam quum ſeram opem ferens Genuam adueniſſet, expugnata vrbe, atque direpta à Piſcario & Hiſpanis, in eo tumultu captus eſt, ſeruatusque Neapoli circiter triennium in arce noua, quam ipſe manu ceperat, vſque ad pacem in Hiſpaniam cum captiuo Rege conſtitutam. Nam tum vtrinque captiui omnes dimittebantur. Direpta autem vrbe Roma, captoq; Pontificio, quum Lotrechius ad liberandum Pontificem in Italiam tranſiſſet, expugnatisque aliquot vrbibus, Cæſarianos perſecutus ad Neapolim vallata caſtra feciſſet, obſeſſis diu hoſtibus, is exitus belli fuit, vt tredecim ferè poſt dies, quàm peſtilens morbus Lotrechium Ducem, cum multo maxima exercitus ſui parte abſumpſiſſet, eadem tabe enectis ferè cunctis ſingularum nationum Ducibus, vix ſigna tantùm dimidiarum cohortium conſtarent; Nauarrus & Michael Salaſſus (quod ipſis & Lotrechio multum antea faciendum fuit) ſeſe ad Auerſam recipiendi ſerum conſilium ſuſciperent, & Cæſariani pariter erumpentes deſerta caſtra & ſemienectis paſſim & miſerè iacentibus hoſtibus indefeſſa inuaderent, perſecutiq; demum abeuntes, & Nauarrum, & Salaſſum comprehenderent. Salaſſus ipſe à Vaſtio humaniter ſuſceptus, commendatusq; Medicis, quòd graue vulnus dextro genu acceperat, triduo pòſt interiit: Nauarrus verò inter quorundam militũ contumelias, in antiquum nouæ arcis carcerem coniectus eſt, eo vitæ euentu, vt quum Aurantius victor Andegauenſis factionis aliquot Proceres iuſſu Cæſaris ſecuri percuſſiſſet, & cadẽ pœna Nauarro bis rebelli, bisq; capto immineret, eum lethali affectum morbo cuſtos arcis Hicardus, tanquam Hiſpano homini, & rebus in Africa aduerſus Barbaros geſtis inclyto, hoc indulgeret, vt parua mora, tanquam propinqua iam morte, parati Carnificis manus elaberetur: quanquam nõ deſint, qui eum extrema inſtantis fati ſuſpiria trahentem, ſtragulæ veſtis operimento ſuffocatum exiſtiment.

FERDINANDI BALAMII Siculi.

Quid viciſſe aſtu potiùs quàm viribus hoſtem,
Quid ſit & aggeribus cingere caſtra nouis,
Quidue ſub effoſſis ima tellure cauernis
Moliri vt tota mœnia mole ruant,
Oſtendit belli Dux inclytus arte Nauarrus,
Ad Lybiæ cladem natus & exitium.
Vidit eo duce Drepani ratibus conſterneret æquor,
Et ſtreperent curuis agmina littoribus,
Multorum clade vt Lybicas appulſus ad oras,
Protinus euerſa eſt diues opum Tripolis.
Captorum ſpolijs claſſes onerantur Ibera,
Et vehitur longo præda opulenta mari.
Quòd ſi tanto operi non fata infenſa fuiſſent,
Rege ſub Hiſpano Punica Regna forent.
Sed certè hanc laudẽ ſeruãt tibi Numina Cæſar,
Et tua captiua gloria gentis erit.
Quæ reſtant monumenta tui vir magne laboris,
Hæc Iouij, & vatum ſcripta diſerta dabunt.

Maximilianus Sfortia.

HIC eſt ille Maximilianus Sfortia, qui inſigni beneficio Iulij Pontificis, & Heluetiis Venetisque armis paternum in Regnum reſtitutus, neque ore quicquam Sfortianæ ſtirpis generoſis vultibus reſpondit, neque ingenij indole & moribus quicquam dignum ingenuo Principe ad paterni ſpiritus ſimilitudinẽ exprimens, ad Principatum attulit. In omni namque actione ſordidi animi & planè vecordis cogitationes abſurdo ſæpe ſermone ſtolidoque afferre videbatur. Ex interuallis enim quædam modò peracris prudentiæ, ſed fugacis; modò ſubtiliſſimæ ſuſpicionis, & inconſtantis ſenſus, modò labantis memoriæ, & nonnunquam conceptę & creſcentis inſaniæ argumenta præbebat; vtpotè qui interiorem tunicam & ſubligacula non permutaret; nec offenderetur odore ſordium ſponte enaſcentium, nec pediculorum aſpectu, eos frequentes progignente denſiſſima atque impexa coma. Ocreis etiam coriaceis, quibus pedes & tibias induebatur, frigidam aquam nonnunquam immittebat, vt pedes refrigeraret. A' qua rerum fœditate quandoque diſcedebat, quum hæc molliter reprehendentes ſummi viri, Proſper Columna, Raymundus Cardonius, ipſeque etiam purpuræ habitu & armorum authoritate verendus, Sedunenſis Cardinalis bene lotum & terſum eſſe iuberent, & ad elegantem veſtis cultum deducerent. Quandoquidem in ea correctione vel Cubiculariorum monita, vel il-

luſtrium



luſtrium fœminarum iocundæ ſuaſiones nihil proficiebant; Medicisq; tantum curandus ita relinquebatur, vt cuncta remedia violenter repudiaret, nec vnquam vti imperioſus, ſe Principem eſſe obliuiſceretur. Franciſcum germanum fratrem ex arcano oderat, obtrectatione dominatus, quum ille ſapientior & potior adminiſtrando imperio haberetur. Per hæc interualla multis artificiis depulſa atrabile, eo tenore geſſit Principem, vt quod veræ conualeſcentiæ indicium erat, grauiores curas Senatoribus demandaret, ipſe autem venationis & aucupij voluptate, aut iocunda familiaritate illuſtrium fœminarum oblectaretur, & iam non inſauus ad bellica conſilia & munia ſe conuerteret. Ingruentibus ſiquidem Gallis ad Nouariam obuiam profectus, adeò fortiter & alacriter ſe geſſit, vt inuſitata virtute deletis hoſtibus inſigni victoris potiretur, quanquam eoſdem hoſtium Duces Tramulium & Triuultium, atque eoſdem ſociorum præfectos, qui ſupremam ex perfidia Ludouico patri calamitatem attuliſſent, hiſdem in campis vti nomini ſuo fatales exhorreſceret. Per hunc modum fide atque virtute Heluetiorum confirmatus, ambigua ſaluris ſpe, quum plerique veneficis potionibus & faſcinatione quadam conuulſam ei mentem crederent, Principem geſſit, vſque ad aduentum Franciſci Galliæ Regis, qui capto ad radices Alpium Cottiarum Proſpero Columna, cum Heluetiis demum memorabili acie iuxta Mediolanum conflixit; victorque inde Mediolano potitus, Maximilianum in arcem compulſum obſedit, miriſque machinationum artificiis, quę Nauarri ingenio parabantur, conterritum, atque inteſtinas ſuſpicantem inſidias ad deditionem compulit, ea coodicione, vt in Gallia honeſtum traducendæ vitæ præmium ferret. Non defuit promiſſis Rex ingenio clemens, ac omnia quæ ei obſeruato potius quàm cuſtodito tribui poterant, liberaliter conceſſit. Sed ille amiſſi Principatus memor, & iam mentis propè compos, miſeriæ ſuæ & dedecoris gnarus, quum ſæpe ad veterem ingenitæ veſaniæ morbum recideret, poſt aliquot annos, dū Franciſcus frater qui in eius locum

à Leone Pontifice fuerat reductus, oppugnaretur à Cæſare, & à Clemente Pontifice enixè defenderetur, vagæ febris morbo oppreſſus interiit.

PLACIDII Placentini.

Hoſtibus expulſis regno præfectus auito,
Geſtabat Princeps aurea ſceptra manu.
Nec quæ ſceptrigerum deceant coluiſſe, fatentur
Inculti mores, ingeniumq́; rude.
Attamen hic fato fretus, felicibus armis
Nonnunquam victor mira Trophæa tulit,
Idq́; breui gaudens inuitus Regna reliquit,
Hoſtiliq́; miſer concidit hoſpes humo.
Non huic inſignes titulos celeberrima virtus
Sors dederat ludens, vis inimica rapit.

Philibertus Aurantius Princeps.



HOC lacteo colore & ſubtonſa flauente coma, cæruleiſq; oculis ciere prælis ſolitus erat Philibertus Aurantius, ab Arauſio vetere Romanorum Colonia, cui progenitores imperabant, vocatus. Fuit is Salonia apud Burgundos illuſtri familia editus, propterea que Cæſari Carolo apprimè carus, quoniam eius genus non obſcura propinquitate cõtingerat. Erat Philibertus Gallica alacritate belli cupidus, quamobrem tametſi erat tyro & planè iuuenis, non admodum difficilè fuit, vt in Italiam ſicuti magnopere cupiebat, à Cæſare mitteretur, exorto tum fortè bello inter Cæſarem atque Pontificem. Verùm ſpes eius Fortuna eluſit; nam ab Hiſpania ſoluẽs, in medio nauigationis curſu, ab Aurianis triremibus, quę tum Regi Gallo operam nauabant,

nauabant, eſt interceptus; neque prius à Gallia cuſtodia vlla conditione emitti potuit, quàm beneficio renouati fœderis, quo vtrinque captiui, & ante alios Vgo Moncata, & Petrus Nauarrus ſine pretio dimittebantur. Exinde Borbonio adhæſit, à quo vti erat & ſtrenuus & acer bellator, commendante Cæſare totius equitatus præfecturam promeruit; in idq; munus adeò ardenti feruidoq; ingenio incubuit, vt iuxta Placentiam à Pontificiis hoſtibus tumultuaria in pugna circumuentus, & equo penè detractus, amiſſis criſtis ægerrimè ſeſe periculo explicans, elaberetur. Quamobrem ab hoſtium ducibus ſibi iterum pugnaturo comiter peteret, vt pecunia illico ſe redimi paterentur, ſi caſus incidiſſet, vt in eorum poteſtatem deueniret; vtpote qui cuſtodiæ iterum includi, & ſe bello à quo petebat laudem excludi nollet; & variis ſpectatæ virtutis operibus atque periculis famam omnino adipiſcendam arbitraretur. Aduenit non multo pòſt è Germania Georgius Fraiſpergius cũ quatuor legionibus, quibus poſtea Borbonius ſe Ducem præbuit, quum Georgius graui correptus morbo Ferrariam ſeceſſiſſet. His copiis ſeſe adiunxêre veteranæ Hiſpanorum cohortes, concedente Antonio Leua, qui in præſidio Mediolani perſiſtebat. Itaque cum hac mole copiarum in Bononienſem agrũ eſt deſcenſum præeunte equitatu, qui obuia quęque ædificia barbara crudelitate ſuccẽderent; nec quiſquam ferè Ducum qui Pontifici, aut Venetis & Gallis militarent, repertus eſt, qui obſtare ferro & flammia cũcta vaſtantibus auderet; atq; ita ſuperatis alpibus nemine iter eorum demorante, aut ſaltuoſis Apennini in locis à fronte præpediente, ad vrbem Romam conuolàrunt, magna ſorte Aurantij, qui oppreſſis paſſim Pontificiæ ditionis incolis, ingentem fecit prædam, cadenteque Borbonio in limine captæ Vrbis, vniuerſi exercitus Imperator eſt appellatus. Lætus itaque tanto imperio, cui ſupra quadraginta millia hominum parerent, à quibus vrbs Roma improuiſò capta, immaniſſimè vaſtabatur; nihil antiquius habuit quàm perducta vndique foſſa, arcem diſpoſitis præſidiis circumuallare, vt Pontificem & magnam Senatorum partem, qui exterrefacti ſubita irruptione hoſtium in arcem confugerant, in poteſtatem cum pretioſiore eorum gaza redigeret; parumq; interea miſerrimi Populi omnibus tormentis excruciati, eiulatu & lachrymis permouerentur, quũ inter ſe Germani atq; Hiſpani, hiſq; nihil mitiores Itali, auaritia, libidine, crudelitateq; contenderent. Cæterùm Aurantius quum interdiu obequitando circumuallatæ arcis munitiones & cuſtodias inſpiceret, ab emiſſa ſclopetto accuratiùs glande, ſiniſtra in mala paulò infra oculum graue ſuſcepit vulnus; ſic vt eo vulnere poſteà non planè ſcilicet obducta cicatrice, rubẽte mala deformis euaderet. Adhæſerunt Aurantio cuncti ferè è Gallia exules Borbonij authoritatem ſecuti, quos peſtilentia vſque adeò atrociter mox vexauit, vt ex his notior Lorſiuus ipſiq; maximè familiaris cũ ſodalibus interiret; & Germanorum atque Hiſpanorum corpora peſtilenti lue correpta omnibus in locis tumularentur. Dedito autem Pontifice, & perpetua ſtatione cuſtodito, piorum Regum animos generoſus inceſſit pudor, quòd ſacrorum Princeps, ad ludibrium totius terrarũ orbis gentium, vſq; adeò indignè atque nefariè ſummis iniuriis mulctaretur; atque ita Franciſci Galliæ, & Henrici Britanniæ Regum auſpiciis Lotrechius Alpes traiecit, vt Pontificem detractis Vrbe Barbaris carcere liberaret. Qua de cauſa periculo territus Cæſar, vt impietatis infamiam effugeret, Pontifici vt ſe auro redimeret conceſſit, quo militi ad tuendam Neapolim protecturo ſtipendia ſoluerentur. Itaque Pontifex perſoluta pecunia, arce poſt ſeptimum menſem elapſus, ad Orbitum Tuſci agri vrbem ſe contulit. Aurantius verò & Alfonſus Vaſtius copias Vrbe eduxerunt, vt Lotrechio longitudinem Italiæ iuſtis factis itineribus emetienti, & in Apuliam contendenti, apud Troiam opponerentur. Quo in loco Aurantius & Vaſtius Lotrechium, facta prælij poteſtate diſploſiſq; tormentis, prouocantem refutantes ſubſtiterunt, ignobiliq; diſceſſu properàtis Neapolim contenderunt, quum oppida cuncta Lotrechio aut expugnàti aut in deditionem recipienti Gallica vexilla paſſim attollerent. Aurantius compulſus in vrbem Neapolim, & planè circumuallatus, vrbem à militibus ſenſim direptam ita à Gallo hoſte ſeruauit, vt Lotrechius ducesq; omnes, cum multo maxima parte exercitus, ingruente peſtilentia, & bello & obſidioni finem imponerent, & Aurantius non ſuæ virtutis, ſed inſperato Fortunæ commodo lætaretur. Ab hac victoria Aurantius capite atq; Fortunis Andegauenſis factionis Regulos, qui præproperè rebellaſſent, acerbiſſimè mulctauit, ac inuſitata atq; præcipiti liberalitate eorũ bona militibus ſuis diuiſit, vſque adeò prodigè & inconſultè, vt Cæſar id grauiter ferret; quum Regnum non ſibi ſed Aurantio & militibus ſeruatum diceret. Sequenti autem anno Aurantius cum omnibus copiis in Etruriam euocatus eſt à Clemente Pontifice, qui patriam ſibi omnino Cæſarianis armis recuperandã exiſtimabat, poſtquam Florentini cum Gallis icto fœdere; & tranſmiſſis contra Cæſarem auxiliis conſentirent. Ea autem Florentiæ vrbis cœpta atque inſtituta eſt obſidio, vt pertinacia obſeſſorum Ciuium conſtantiam hoſtium adæquàrit; vrbsq; tantis opibus oppugnata eſt, vt nec vndecimo quidem menſe multa perpeſſi incommoda, perdomiti, erumpendum potius, & prælij vel iniquiſſimi aleam pro libertate ſubeundam eſſe, quàm de deditione agendum decernerent: è Piſiſq; auxilia accerſenda arbitrarentur, vt validiùs cùm virtutis, tum & peruicaciæ ſuæ ſupremum ederent conatum. Tum verò accidit, vt Aurantius de aduentu auxiliorum edoctus, conſilium caperet; tam neceſſarium quàm ipſi fatale atque hoſtibus, ſcilicet obuiam eundi atq; in itinere cong-

ſtīgeudi. Igitur partitus copiae cum Ferdinando Gonzaga, qui caſtra tueretur; ipſe cum delecta parte exercitus contra hoſtes contendit; hisq́; occurrit in Piſtorienſiũ montibus apud oppidum Gabinianum, non procul ab eo loco, in quo Romanos Petreio Duce, Catilinam fudiſſe, atque interfeciſſe incolæ memorant. Florentinorum copiæ quibus præerant in fronte Ferrucius ciuis Florentinus, ex mercatore repentè Dux factus, in tergo Paulus Rentij Ceritis filius, eo conſilio circiter ſeptem millia hominum per alta atque ardua loca iter habebant, vt vim hoſtilis equitatus vitarent, & non magno circuitu, quanquam ſalebroſo, ad vrbem deferrentur. Iam Gabinianum oppidum intrabant, quum apparuêre Cæſarianorum ſigna, quibus conſpectis properantius quàm decebat, Ferruciani in oppidum ſeſe inferre cœperunt; vt loco munito, ſi hoſtis vrgeret, æquiùs ſe defenderent. In laxatam itaque & greſſum intendentem hoſtium aciem Aurantius equitatum procurrere iuſſit; ipſeq́; pugnandi auidus paululum antè prouectus, dum per arduum atq; impeditum tramitem in hoſtem ire properat, glande traiectus primus ferè omnium cadit, quum à parte alia Alexander Vitellius hoſtes inuaſiſſet. Nemo ferè vel ſuorum, vel hoſtium cadentis Aurantij caſum animaduertit, ſic vt non prius quàm à vagante eius equo qui erat ſpadix, & phaleris albicanteq́; criſtæ conſpicuus cecidiſſe noſceretur: quo ſpatio Florentinæ copię fuſæ deletæq́; ſunt, & Ferrucius intra oppidum interfectus, & Paulus captus. Cadauer Aurantij, vti erat lacinia atque armis expoliatus, à lugente armigero ita ſarcinario iumento impoſitum eſt, vt inuolutum vili gauſapa, vtrinque pendentibus brachiis & cruribus, & capite luctato Piſtorium deferretur, & tanquam victori ſolennes inferiæ dicerentur; non iam obſcurè hominibus Dei magni vltoris vim agnoſcentibus, poſtquàm neſarij belli præcipuos Duces Borbonium, Moncatam, & ipſum Aurantium, tribus fulminibus vindicata impietate ſuſtuliſſet.

BENEDICTI VARCHII.

Aſpice quàm toruo meditans fera prælia vultu
Spiret adhuc, geſtetq́ oculis ac pectore Martem
Auratis fulgens princeps Aurantius armis.
Quem triſti Italiæ fato, genitumq́ ruinis
Tybri tuis, atque Arne tuis, non optima noſtris
Gallia produxit, miſit Germania damnis.
At tu (verum aliter neuerunt fila ſorores)
Aurantî Philiberte ingens Salonia proles,
Dum res immodicas, dũ regna Oenotria, magna
Dum ſceptrũ Auſonia, dum totius orbis habenas
Mente agitas, voluisq́ atros ſub corde furores.
Quum propè bis ſenis iam menſibus oppugnares
Vndique deſerta pulcherrima mœnia Floræ,
Dum properas multis cum millibus obuius ire
Ferrucio, prohibere parans ne tranſeat, ipſe
Ipſo in principio conflictus, protinus omnes
Anteuolans, ictus glandis traiectus ahenæ,
(Quo Catilina loco pœnas dedit impius olim)
Infimus vt miles, primo cadis impete, & illa
Illa tua in tenues ſpes tecum euanuit auras.

Pompeius Columna Cardinalis.

AMBIGVAM equidem famoſi nominis ſui laudem reliquiſſe videri poteſt hic ipſe Pompeius Cardinalis, quum miro ingenio diuerſiſſimi muneris partes aptiſſimè impleret, & in ſacra purpura mitratus, & militari in ſago galeatus, non periti modò, ſed affectati etiam ſacerdotis ante aras, & in caſtris prouidentiſſimi & ſtrenui Ducis officia exequeretur. Nam ed vtrunque munus, cùm peramplum excelſi corporis habitum, tum grauis pariter & periocũdi oris geſtum & facundiam illuſtrem, quò oporteret, decentiſſimè transferebat. Sed factioſa in vrbe, aulaq́; omnium maledicentiſſima, de ſe promiſcuæ famæ materiam ingeniis præbuit, moribus ſuis impensè laudandis aut peracerbè lacerandis; vtpote qui modò temperatis atque illuſtribus vtriuſque diſciplinæ conſiliis, modò turbulentis actionibus clareſceret, quibus Clementem ab ſe præclaro ſtudio ad Pontificatum prouectũ ita circumuenit & oppreſſit, vt Bonifacij octaui funeſta memoria renouata videretur; vnde odium valde ingens apud multos, ſingularem verò gratiam apud Cæſarem promeruerit. Cæterùm quibus de cauſis ab amicitia Clementis diſceſſerit, ruituræq́; patriæ arma intulerit, diffusè à nobis perſcriptũ eſt eo in libro, quo ipſius Pompeij vitam ſyncera fide ad poſteros miſimus, admirandam vtique potius quàm imitandam. Vir enim ingentis animi efficaciſſimæq́; virtutis, & induſtrię (modò factionis odium faceſſat) non ipſo tantùm Pompeij nomine, ſed Magni item cognomento dignus exiſtimari potuit, niſi infauſtus Senator, & malus omnino ciuis, vaſtata Patria, & Senatui & populo Romano apparuiſſet. Ad extremum, qui exequiis intermortuæ Patriæ & capti Pontificis Tragœdiæ interfuerat, ciuitatis reſurgentis, & reſtituti Pontificis ſimulachrum videre potuit. Verùm ſecus ac optabat, maturo fato cedens, Clementem biennio anteiuit, quum apud Neapolim Regno adminiſtrando Præfectus à Cęſare, poſt comeſtas ficus biferas, quas multa niue refrigerârat, in complexu Auguſtini Nyphi, clariſſimi Philoſophi, integris ſenſibus expiraſſet, anno ætatis quinquageſimo ter-



mo tertio, quum Carolus Cæſar comparatis ingentibus copiis Solymano in Pannoniam tendenti ad Viennam occurriſſet.

IOVII IVNIORIS.

Virtutem mirata tuam, tuaq; inclyta facta
Lætata eſt tanto Roma ſuperba viro;
Virtutem illa eadem indoluit, tuaq; inclyta facta
Ingenio ciuis Roma caſura ſui.
Sic patria carum virtus te fecerat; orbi
Illa eadem ingratum reddidit, & patriæ.

Aloiſius Grittus.

MEMORABILE profectò exemplum Fortuna edidit in Aloiſio Gritto eleganti certè homine, ſed ſupra æquum ambitioſo, auidiſſimoq; dominatus. Eadem enim illa, vti leuis & inſolens ſæpe conuertitur, vt ſe humanarum rerum dominam oſtendat, & arrogantiam nouorum hominum petulantiſſimè caſtiget. Grittus namque Barbarico cultu, cùm pictæ, talariſq; togæ, & inflexi ad aurem pilei, qui ex pretioſis Sibellinarum pellibus conſtaret, tum ſuperbo inceſſu, & ſermone prætumido, Proceres Turcas referebat. Is Andrea Gritto, qui poſtea Veneti Senatus Princeps extitit, ex Græca concubina Byzantij genitus atq; educatus, ſe totum in familiaritatem Othomanicæ aulæ Principum, & Turcici ſermonis conſuetudinem dedidit, tanta ingenij ſolertia, vt ex mediocri mercatore inſignis publicanus euaderet, vno præſertim



mirificè fauente Habraymo purpurato, qui eum in vectigalium licitatione ſubleuabat, & ſupra competitores Turcas impotenter efferebat, vnde Gritto magnæ opes atque inſignis authoritas creuit, quam florentis patris dignitate, ſplendoreq; domus & conuiuiis, multaq; largitione rerum elegantium, in omnes profuſus atq; munificus tuebatur. His commerciis Habraymo quærendarum gemmarum cupiditatem iniecerat, quarũ flagrantiſſimo ſtudio Solymanus ipſe teneretur. Earum autem delectatione vſque ad inſaniam prouecta, Grittus ex frequenti indicatura certiſſimus erat æſtimator, & ſolertiſſimus etiam mango, cuius artificij ſecretiorem domi tabernam haberet. Differebat verò ſæpiſſimè nihil omnino vel ad dignitaté totius ornatus, vel ad exprimendam ſummi atque auguſti Regis maieſtatem, in longè maximo Imperatore ſpecioſiùs & luculentiùs haberi, ipſa lectiſſimarum gemmarum multiplici copia atque apparatu. Itaque vſq; ad inſaniam Solymanus, toto terrarum orbe perquiſitas, & magno emptas pretio in vnum coegit, vt his cuncta inſtrumenta cubiculi, & equeſtris cultus, atque etiam podij parietes exornaret. Cellam enim argenteis atque aureis laminis circumſeptá erexerat in extremo hortorum ſuorum angulo, quo vtriuſque Boſphori pelagi ſpatia proſpectaret. Sed mitè ad Solymani ſpatium reſponderunt galea aurea & ſceptrum, & cryſtallinum operoſo incluſum auro ſpeculum, quæ ingenio Gritti adinuenta & fabrefacta Venetiis propter gemmarum admirabilium copiam, cælaturæq; præſtantiam, Octuaginta myriadum aureæ monetæ pretium excedebant. His inuentionibus, quæ ad faſtum ſuperbiſſimi Regis arriderent, ſummam Grittus gratiam adeptus eſt, ita vt, ſpe adipiſcendi honoris inter Baſſas ſenſim ad Mahometis ſectam tranſiturus crederetur. Itaque ſecutus Solymani caſtra, quum ille oppugnatum Viennã in Noricum vſque proceſſiſſet, & Ioannem Zapolium Tranſyluaniæ Vayuodam inſigni liberalitate in Pannonia Regem conſtituiſſet, Grittus nouo Regi adhæſit, præſtititq; ei operã militarem aduerſus Germanos, & eos Hungaros,

qui Fer-

qui Ferdinando Regi fauerent. Vbi verò Ioannes & authoritate Solymani, & Turcarum auxiliis in Regno confirmatus eſt, inceſſit Gritto, grauioris ambitus libido, vſqueadeò ingẽs, vt non obſcurè ad Pannoniæ Regnum aſpiraret. Ioannes namque, quòd paciſci cum Ferdinando, & pacẽ frui perciperet, Solymano ſuſpectus euaſerat; quòd ingratè atque indignè facere videretur, qui aliunde fœda pactione firmandas opes ſuas arbitraretur, quàm à virtute fideq́; inuictiſſimi Imperatoris, qui Regna dono dare, & ex priuatis homunculis Reges efficere cõſueſſet. Propterea Grittus legationem ſibi in Pannoniam impetrauit, vt Hungaricis inſpectis rebus operam daret, ne alicunde Othomannico nomini contumelia pararetur. Hac ſpe Grittus cum ampliſſimis Solymani mandatis, magnoq́; ſeruorum & Turcarum comitatu Byzantio profectus, per Moldaniam, vbi Petrus Vayuoda, Solymani incertũ hoſtis an ſocius, imperabat, in Daciam peruenit, quæ hodie Tranſyluania dicitur. Ibi quum conſtituto prætorio Prouinciȩ conuentum habiturus crederetur, citarenturq́; Proceres, Americum Cibachum, Varadinenſem epiſcopum, & eundem cum militari præſidio vetere Hungarorum antiſtitum cõſuetudine prouinciæ prȩſidentem, quòd tardius ad edictum veniret, noctu ad Braxouium caſtra habentem, inuadi & per Ianũ Docciam Hungarum interfici iuſſit, vt ſublato ſummæ potentiæ æmulo, paſſim cæteris formidatus ad Budam contenderet. Sed vir æquè ambitioſus & cruentus, in veſtigio admiſſi ſceleris pœnas dedit. Namque ad cædem ſacrati & nobiliſſimi viri vindicandam, erexêre ſe Stephanus Maylatus & Gotardus genere Saxo, ipſi Americo propinquitate atque amicitia coniuncti. Atque ita ſupra quadraginta armatorum millia in vnum coegêre, adortiq́; Grittum ad oppidum Megea, eo euentu obſedêre atque oppugnauêre, vt deſtitutus ſpe auxiliorum, quod neque præfecti Turcæ Nicopolitanus, & Samandrenſis, tranſire Danubium veriti, non facilem operam laturi forent, & Ioannis Regis præſidia longè abeſſent, ſe hoſtibus dedere cogeretur; atq; eo modo oſtentans Solymani diplomata ad prætorium Gotardi atque Maylati deductus, iuſſu eorum exorto Hungarorum vlulatu, tanquam hoſtia Americi manibus mactatur, trucidato eius comitatu, & direpta gaza. Duo eius liberi adoleſcentes, quorum natu maior Antonius ad Agrienſe ſacerdotium erat deſtinatus, Moldauis traditi ſunt, à quibus aliquanto pòſt immaniter necantur. Doccia ipſe comprehenſus, qui author & ſuaſor Americi cædis fuerat, magno ludibrio à ſæuiente turba dilaniatus eſt. Atque ita qui Regnum affectabat, gazam omnem, quæ erat pretioſiſſima, vitamq́; ſimul & liberos puncto temporis amiſit.

FABII SEGNII Florentini.

Tegmine barbarico capitis, cui purpura & aurũ
Intextum gemmis radiat ſplendore coruſco,
Inſignem cernis iuuenem, & fulgentibus armis,
Byzantii genitum Graia de pellice Grittum.
Ante alios Regum Regi gratiſſimus omnes
Hic fuerat Solymo; tenebriſq́; emerſus ab atris
Prodierat ſuperas paulatim in luminis oras.
Sed nimis ardentem rebus tumidumq́; ſecundis
Dum miſerum torquet regnandi dira cupido,
Qua ſolet, in praeceps deiecit culmine ab alto,
Vertere funeribus claros Fortuna triumphos.

Alfonſus Ferrariæ Princeps.

IN Alfonſo Aeſtino Ferrariæ Principe, vt ex ſeuero & peracri oris ductu coniectari licet, & nos vidimus, ingenium egregiè firmum ſtabileque & præcellens, quocunque extra literas verteretur, enituit. Abdicârat enim planè vir cuncta iocũdæ adulationis & moroſæ grauitatis lenocinia, ipſis plerunq; cognata Principibus. Quandoquidem ſingulas cogitationes, & ſingula propè exercitamenta corporis, ad bellicas rationes reuocaret, & nihil omnino molle aut remiſſum complecteretur, vel ipſa naturȩ conſuetudine, vel neceſſitate tot incumbẽtium bellorum, quæ omnem inertiam vel deſidioſis excuterent, & virum, vti oportuit, cùm ſalutis, tum dignitatis ſuæ memorem excitare, & ad inſitam virtutem factis extendendam incitare poſſe viderentur. Itaque Alfonſus à nobis peculiari volumine celebratus, vti magnanimum bello Ducem atque optimum pace Principem decuit, ſubacto corroboratoque multis periculis ingenio, firmoque ſemper pectore cuncta aduerſæ Fortunæ iacula tam fortiter excepit, quàm feliciter auertit. Trium namque maximorum Pontificum diuina atque humana arma, odiique perpetui inſidias tanta infracti animi conſtantia ſuperauit, vt glorioſam triplicis triumphi lauream (ſi de ſacroſancto hoſte triumphare fas foret) meruiſſe dici poſſit. Obiit Alfonſus climacterico anno propinquus, quum liberos ad certiſſimam frugem contendere conſpiceret, & nato iam ſibi nepote in ſpem longæ ſucceſſionis lætaretur. Hiſdem autem diebus concepit febrem, quibus nunciata ei mors eſt Clementis Pontificis: ob idque exceſſit è vita ſeipſo lætior, quòd primus comitiorum diebus Farneſium Cardinalem, Pontificem renunciatum fuiſſe didiciſſet,



quaſi nihil ſibi optatiùs & meliùs accidere potuerit, quàm quòd pro implacabili hoſte, veterem amicum, à quo omnia facilè impetranda forent, quæ Ateſtinæ domus imperium ſtabilire atque augere poſſent, eſſet habiturus.

RAINERII.

Quàm bene bellipotens Alfonſe ex aggere tundis
Barbara terrificis agmina fulminibus,
Sulphurea quũ in nube atq; igne coruſcus aheno,
Ceu ſuperûm æthereo quum tonat axe pater;
Obuia proſternis generi monſtra horrida noſtro,
Sic eat, ô qui almam diripit Auſoniam.
Quã bene & æquoreas ineuntes fulmina puppes,
Et Venetum armatas in tua ſceptra manus
Diſiicis, atq; alto figis roſtra ærea templo,
Martia virtutis ſigna ſecunda tuæ.
Suſpenſam vt cernãt claſſem, ſtupeantq́; nepotes,
Vtq; eat Hadriaco celſior Erydanus.
Quin Iulij eludis robur, rictusq́; leonis,
Atq; inclementes in tua fata dolos. *(tre,*
Macte animo: felix natu Hercule, & Hercule pa
Quo cum alta inuicto nunc teris aſtra pede.

FAERNI.

Clemẽtem poſtquã Medicem, cui tempora nuper
Tiara cingebat triplex,
Extinctum Alfonſus Dux audijt, illicet acri
Correptus ægritudine
Illius mortem eſt properata morte ſecutus
Funusq́; iunxit funere.
Præ luctu periſſe, ſiquis, nimioq́; dolore?
Immò id quidem præ gaudio.

Hippolytus

Hippolytus Medices Cardinalis.



HOC Hungarico militari cultu Hippolytus Medices Cardinalis, quum è Pannonia, vbi Legatus apud Cæſarem fuerat, abeunte Solymano rediſſet, à Titiano Pictore eximio Venetiis ſe pingi iuſſit. Hunc Iulianus, Leonis Pontificis frater, Vrbini exul ex nobili vidua ſuſceperat. Infans in ipſo vitæ ſimul & mortis limine, quum eum mater admiſſi ſtupri impio pudore necari iuſſiſſet, ancillæ miſericordiâ ſeruatus eſt. Creato Leone Pontifice triennis cũ nutrice Romam venit: tanta verò ſuauiſſimi oris indole, ſermonisq; feſtiui lepôre mirabili extitit, vt Pontifex eo ad pedes ludente, mirum in modum oblectaretur, & ea ſpecie in cœnaculo Vaticano à Raphaële (vti videmus) exactiſſimè pingi iuberet. Vbi adoleuit, literis liberaliter eſt inſtitutus: oſtendebat enim ingenium habile ad omnia perdiſcenda imitandaq;. Ei namque ſupra ætatis captum ante omnia mira vis inerat poëtici ſpiritus; ſic vt Virgilij ſecundum Æneidos librum in Etruſcum ſermonem lepidiſſimè verteret, & proloquia Hippocratis ab arte medica, in vſum bellicæ diſciplinæ, æmulatione feſtiuiſſima transferrentur. Sed non multò pòſt à literis ad exactum totius Muſicæ ſtudium deflexit, peritiſſimo quoque artificum & phonaſcorum ſibi aſcitò, pariq; flagrantis ingenij cùpiditate, omnis ſymphoniacæ modulationis, organis vſqueadeò erudite pertractatis, vt prædulcis Citharœdus, Lyriſtes numeroſus, Fiſtulator eximius, & incomparabilis Tibicen euaderet; œnochordaque item argutiſſimis percurreret digitis, quandò ærea etiam membraneaque tympana bellico crepitu militares animos excitantia, diuerſiſſimis

concentus numeris editis, cùm noſtrorum, tum Barbarorum more ſtupenda imitatione propulſaret. Quum in his ſtudiis iuuenili alacritate totus eſſet, Clemens eum legis in Senatum, ratus eum ad grauitatem animi componi poſſe. Ex arcano autem id Pontifex petebat, vt Hippolyto ſacris initiato, Alexander eius patruelis iuniore Laurentio genitus, Etruriæ principatu ſolus poriretur, quòd tum propter ingenij firmitatem (quanquam eſſet literarum expers) in ſuſtinendo tuendoque dominatu potiorem exiſtimaret. Verùm Hippolytus purpuræ honorem ita contempſit, vt Clemens eum indignis ſacro ordine ſtudiis & voluptatibus deditum, grauiter increparet, dedecorantemq; nihilo ſecius ſenatoriæ amplitudinis dignitatem, importunæ inſaniæ pœnas citò daturum diuinaret. Nam ad theatrales ludos, equeſtreſque decurſiones, edendaque ſimulacra præliorum, ſumptuoſi & varietate gaudentis ingenij libidinem detorſerat: quanquam præter hæc incredibili magnarum venationum cupiditate incenſus, numeroſum inſignium canum & nobilium equorum apparatum grauiſſima impenſa tueretur: tanto etiam vitæ ſplendore, vt in mediis nemoribus apud fontes, totius aulæ Romanorumque iuuentuti frequentiſſimè epulum daret. Quæ omnia Clementem è tanta clade Vrbis carcerisque miſeria nuper emerſum, egentemque pecunia, & quòd augendo mœrori plurimùm intererat, naturâ parciſſimum, mirabiliter vulnerabant. Nec diu pòſt Pontificem lethalis inuaſit morbus, & eripuit: cuius morte, quanquam in Hippolyto ſuſcepta vitæ ſtudia minimè refrixiſſent: is tamen in Comitiis opportuniſſimè ſe collegit, multoſque ſecum ex veteribus amicis perducens, Farneſio Cardinali, vt Pontifex renunciaretur, præcipuus extitit ſuffragator; cuius ſtudij eum mox pœnituit, præter ſpem Anconitana legatione, quæ ſibi per interregnum promiſſa fuerat, indigniſſimè fraudatus. Qua ex re, animo vehementer perturbato, inuidere apertiùs fortunæ fratris, atque eius vitæ inſidiari cœpit, deprauantibus eum atq; impellentibus Florentinis, veteribus Mediceæ familiæ inimicis, principe horum Philippo Strozza. Hos enim exilio pulſos, Hippolytus in amicitiam receperat, & arcanis conſiliis vſqueadeò inconſultè adhibebat, vt fratri ex ſubitario tormentarij pulueris incendio, execrabile exitium machinaretur. Eo ſiquidem ſublato, dominatum Florentiæ adipiſci ſe poſſe per exules, vaniſſima cogitatione confidebat. Sed Dij immortales immane abominati facinus, certa indicia Alexandro detexerunt. Quæ omnia Alexander per Cæſaris Legatum Paulo Pontifici detulit, comprehenſuſque eſt eius ſceleſti conſilij conſcius Octauianus Zenga ex Hippolyti Satellitibus. Quâ perſtrictus infamiâ, & non vano pauore correptus, quòd ſuas fortunas & ſacerdotia à Pontifice cupidiſſimè peti crederet, in Tyburtem agrum profugit. Nec ita multò pòſt conuerſo ingenio, perſpectaque exulum malignitate, cum fratre redire in gratiam, & conditiones pacis à Cæſare petere conſtituit, qui tum in Africa bellum gerebat. Sed quum nauigium nauigaturo Neapolim pararetur, ad oppidum nomine Iter Appiæ viæ impoſitum, non procul à Fundis ſubſiſtens, in mortiferam febrem incidit, pauciſſimiſque diebus iuuenis, longè omnium eruditi ingenij nobilitate, decore vultus, & illuſtris vitæ ſplendore florentiſſimus, ex humanis eſt ereptus, magnâ herclè exulum lætitiâ, magnoque Pontificis commodo, quum hic eius ſpoliis nepotes ſuos ditaret: illi verò vno auulſo, alterum tanquam fratris ope deſtitutum (vti mox euenit) facilè tolli poſſe diuinarent, & ſubinde inducta veneni ſuſpicione, eius criminis notam Alexandro affigere conarentur: ſed ea ſuſpicio prorſus inanis euaſit, quum præcipui eius comites Danthes & Bellingerius, ac Raynaldus, eadem autumnalis cœli maligna intemperie periiſſent. Relatum in Vrbem eius funus, vrbanæ multitudinis ordinumque omnium veriſſimæ lachrymæ (quod antea ſurda in Vrbe nemini contigerat) per triduum decorârunt, quum tumultuario apparatu lugentium Afrorum & Æthiopum humeris ædibus ſuis inferretur. Nam præter hos præſtantiſſima eruditionis exquiſitarum artium ingenia, patrono inexhauſtæ liberalitatis ante diem erepto orbata deſtitutaque, de Fortunæ ſæuitia conquerebantur. Eius namque domus, ex omnibus cogniti orbis gentibus virtute animi aut corporis proceritate conſpicuos, liberaliter admittebat; videreque erat homines diuerſiſſimo ſub cœlo natos, eundem dolorem ex Heri morte, eandemque triſtitiam, ſed diſpari vultu, garrituque diſſono contundendo pectora, ſulcandoque ora vnguibus, præſerentes. Gaudebat ſiquidem ille mirum in modum, quòd Barbari viginti amplius linguarum in eius Cœnaculis recenſerentur. In his fuêre Numidæ Regulorum ſanguine progeniti, qui equitandi deſultandique peritia ſpectantium oculos admiratione complerent. His accedebant Tartari Sagittarij incomparabiles & Æthiopes, qui in luctatione & palæſtra quoſque validiſſimos anteirent. Ex India porrò natandi, vrinandique peritos, quibus ſtudiis iuuenili feruore impenſè deditus, tanquam magiſtris ad æmulationem vtebatur. Turcas autem, tanquam ad expedienda arma prompriſſimos, in venationibus ita exercebat, vt interdiu noctuque corporis cuſtodiæ præcipuos adhiberet; egregio certè exercitationum genere, niſi dignitatis oblitus, per vanitatem oſtentandi militaris ingenij, ſalutis quoque aleam ſtultè periclitari, quàm familiæ atque ordinis decus tueri maluiſſet. Non inane autem prodigium imminenti morti ſuæ præſtruxiſſe videtur, quum pro argumento inſignium ſuorum, crinitum cometem iuuenili atque amatoria vanitate geſtaret, qua ſpecie diro olim fulgore in cœlo ardens C. Iulij Cæſaris necem portendiſſet.

ANTONII

ANTONII VACCAE.

Floruit Hippolyte, & tecum fato occidit vno,
Quo reliquum antiquæ laudis & artis erat.
Id tua claudebat tectum auguſtiſſima quondam,
Orbis terra inſtar quia domus vna fuit;
Nec tibi magno animo quiſquã ſe æquaſſet et an-
Grandibus, aut largã, munificaq; manu; (ſis
Nec poterat Fortunã tuis multùm addere rebus,
Quum iuueni iniecit mors violenta manum.
Tunc hic te vndenis de gentibus ora clientum
Fleuerunt, cineres condideruntq; tuos.
Tantus eras, tamen inuidiam vitare nequiſti,
Liuoris cæcos nec ſuperare dolos.
Scilicet obuia quæq; ſibi domat ardua virtus;
Sed domuiſſe vnam non potis inuidiam eſt.

Franciſcus Sfortia II. Mediolani Princeps.



INSIONI hercle humanarũ rerũ exemplo Franciſcus Sfortia II. inter maximè ærumnoſos Principes, diuq; alternę fortunæ fluctibus iactatos cenſeri poteſt; vtpote qui triennis cũ patre Regni ſui penatibus eiectus, vnũ & vigeſimũ annum in exſilio vitam ſæpe inope, & inter ſpes & metus valdè ſolicitam tranſegerit, peccata aliena potiùs q̃ ſua ſemper lugẽs, atq; inde pœnas expectãs: nec tamen vnquã animũ deſpondens, quod ei eo fatalis propè fortitudinis & infractę conſtantię documentũ fuit. Poſt exactũ paterno imperio Maximilianũ fratrẽ, ipſe quinquennio pòſt, communibus Leoni, Pontificis, & Caroli Cæſaris armis reductus

grauiſſima inſtaorati toties belli à Gallis hoſtibus pericula ſubiit. Sæpe eom pœnituit bella ſuſcepiſſe, quæ ſibi nihil armis exercitato, egentiſſimoque pecuniæ ſemper nouas, & propè inextricabiles rerum difficultates importarent. Quibus malis, qoi ab ioitio ſtudioſiſſimè experitua fuerat, Inſubribus demùm odioſos & grauis, & notis propè omnium damnatos euaderet, vſqueadeò creſcente inuidia propter innumeras, & ouoquam deſituras cogendæ pecuniæ acerbitates, vt nonnulli eom tollendum arbitrarentur, & inter alios Bonifaciua Vicecomes ex familiaribus aulæ inſigni eum peifidia equitaotem, impreſſo pogione ſupra homerum ad ceruicem, ſed leui ictu vulneraret; elapſusque tot circomſtantium Prætorianorum diligeutiam, pernici vectus equa, intactus effugeret. Tria bella tribus præliis Chriſtianorum præſertim auſpiciis coofecerat, quum Lotrechium ad Bicoccam, Gofferium Amirâtem & Heluerios ad Seſithem amnem ſoperaſſet, & demũ Proſpero & Piſcario Ducibus, Ligores Genua capta ſobegiſſet. Quarto autem bello, quod longè maximum Rex Franciſcus ipſo ductante, Galliç Ciſalpioç intulerat, quum victus prælio Rex hoſtis ad Ticinum, captusq; fuiſſet, ita ſecundo eoentu Sforria lætatus eſt, vt totius victoriæ froctu excluderetur, accuſareturq; proditioois à Piſcario atque Antooio Leua, qoi Ciſalpinæ Galliæ imperium non Sfortiæ, ſed Cæſari partum volebaot, ita vt Sfortiam exitiali calumnia circumuentum in arce obſidereot, & totius ferè ditioois vrbibus ſpoliſrent. Non tulère indignitatem atque inſolentiam ioiuriæ Pontifex Clemens, Venerusq; Senatus, atqoe ipſi demum Galli ex hoſtibus focij & defenſores facti, quòd omnium intereſſet ad ſalutis & libertatis tuendæ nomen, Sfortiam conſeruare, nec exterois rapaciſſimis Cæſaris militibus Italiam diripiendam præbere, parique vt vnus Cæſar tantis aoctus opibus, cæteris ad arbitrium imperaret. Sed Fortuna ſua pertinaci libidioe Cęſari fauens, omnes qoi adoerſari infringereque potentiam eius auſi ſunt, ita perculit, vt cum magna clade proſterneret. Verùm qui armis Sfortiam rueri fruſtra conati ſunt, iuſto demum conſilio hoc à Cæſare precibus impetrârunt, vt Sfortiæ parceretur. Igitur Cæſar in Italiam veuit, Booooieq; ſuſcepturus inſigoia Imperatoriæ maieſtatis de manu Pootificis, euocatum eò Sfortiam ſub fide publica benignè complexus, paterno imperio reſtituit; atque eo modo pace facta, aliquanto pòſt Cæſar Sfortiç cœlibi, Chriſtierni Daniæ Regis filiam, ex sios matertera geniram, connobio iunxit. Quibus nuptiis, quòd confirmari aothoritas Sfortiæ videbator, iogenti, ſed oeqoaqoam diorurno gaudio Inſubres lætati ſunt, quòd pax inuecta, Prouinciam ſummis affectam detrimentis, ad priſtinom opulentiæ otium deductura crederetur. At ſuperis minimè viſum eſt Inſubrum miſeriis finem imponere, atq; ita Sfortiam, quòd aliter fieri non poterat, nouæ nuptç delitiis indulgentem, ex leui lippitudinis initio ſuſtulerunt, rum foitè, quũ Cæſar Tuneto capto ex Africa Neapolim rediens, ad triumphum Romam à Paulo Pontifice vocaretur. Tum enim defuncto Principe Inſobres tantis lachrymis elatum luxerũt, vt eo prodigio imminẽtes calamitates, quibus poſtea acerbitate Cæſariaoorum Præſidum Prouinciç, cooturbatç opes conoulſæque ſuot, præouociaſſe videaotur.

FAERNI.

Franciſcus hîc ſitus ſecundus Sfortia eſt
Inſubrum Dux, cuius imperium atque opes
Nunc aſperis, nunc proſperis euentibus
Fortuna forsq́; multiplex exercuit.
Atque ille nunc ciuilibus, nunc exteris
Petitus armis, Galliciſq́; & Beticis,
Mediuſq́; Reges inter aduerſarios,
Suprema ad vſque Fata regnum patrium
Seruauit, & prudentia fretus ſua,
Armis vim apertam fregit, atque aſtu dolos:
Nunc hîc quieſcit paruus è tanto Duce
Puluis cinisq́; & nudula vmbra mortui.

Baſilius Moſcouiæ Princeps.

ABSTRVSA penitùs ad Boream præter Hercyoios ſaltus, Arctooque vertici ſubiecta Moſcorum Regna, iotacta olim Romanis legionibus, nec planè Grçcis ſcriptoribus nota, Sigiſmundus Sarmatarum Rex latiſſimè nobis aperuit, quõ armis cum Baſilio eius geutis Priucipe ad Orſam iuſta acie contendiſſet; qua inoomerabilis eius gentis eqoitatos fœdè profligatos eſt. Tum enim primò Romç de victoris parta ſupplicationes decretæ ſunt, qoòd Moſchi à Polonis & Lithuanis, modò Rutheni, modò Moſcouitæ vocati, tanquã ſecuti Grçcorum opiniones, à Romaoo Pontifice diſſentirent. Sed Baſilius, qoi adoptari in Regem, ſicuti ex Demetrio Legato accepimus, ex Principe honeſtiore ſcilicet ſpecioſioreq; titulo cupiebat, pace facta cum Sarmatis, non ſemel cum Maximiliano Cæſare, Clementeq; Pootifice per Legatos ſuæ gentis, latè nobis Regnorum ſuorum fioes & opes indicauit, quum ea tantùm Mercatorum ſermonibos occiduis Europç popolis innotoiſſent, & tum maximè qoom Demetrius Legatus ad Vrbem miſſus, cuncta exactiſſimè, vti Latinæ peritus linguç retuliſſet, iubẽte Pootifice, vt memorabilia



morabilia quæque deſcriptis Regni finibus & gentium moribus, in peculiarem à nobis commentarium conferrentur. Qui liber non ſemel impreſſus extat, quo excuſari facilè poſſumus, ſi Baſilius breuiore quàm decet Elogio perornetur. Is, quẽ diximus, Demetrius legatus qui Regis imaginem hoc habitu nobis pictam detulit, percuoctantibus referebat; latiſſimos eſſe Regni fines, qui ab Oriente Volgam amnem attingant, Tartarorum Regna à Moſcis dirimentem. Ad Aquilonem Suecorum & Liuonum extremis terminis cohæreant, & ad Occidẽtem ad Boriſtheoem vſq; protendantur. A Meridie autem Tanaitis & Tauricæ Cherſoneſi ad Mæotidem paludẽ Tartaris Præcopitis, qui ſunt in Europa, proximi ſint. Regio in vniuerſum campeſtris eſt, ad ſegetem patum felix, cera, armentis & pellibus pretioſis ferax. Baſilius equitatu abundat, vtpote qui quum opos eſt, ducentorum millium equitum numerum efficere poſſit. Regiam habet Moſca in vrbe, quæ à præterlabente Moſco amne nomen accipit. Arcem habet io morem prope ooſtrum ædificatam & tormentis permunitam. Paruo ſumptu alit exercitum, quum Regni iuuentus omnis edicto arma capere cogatur, nullo propè adiuta ſtipendio. Ipſe per legatos bella gerit; auariſſimè imperitat, oec largitione iu quenquam vtendum putat, vſqueadeò illiberaliter, vt legatos ſuos à magnis Principibus redeuntes cunctis moneribus expoliet; atque ita accidit vt bello infelix exiſtimetur: quandoquidem inuiti populares edictis pareant, neque fortiſſimè propugnent. Sic ad Orſam victi pro victoria magnum luctum toti Moſcouiæ retulerunt. Nec ingruentibus in Moſcouiam duobus ſimul Tartarorum Regibus quiſquam repertus eſt Dux fortis vel ſtrenuus miles, qui pro ſalute patriæ propugnaret. Mahometes namque Gyræos qui in Taurica regnabat, & Abſa, qui ad Citracam Volgæ in Hyrcanum erumpentis Emporium imperabat, cũ ſingulis exercitibus Moſcouiam inuaſerunt, ferro & flammis eun cta excindeotes, & id quidem impunè, quũ Baſilius tantæ moli hoſtium impar, & conſilij inops, vſqueadeò trepidè profugiſſet, vt fœni cumulo conderetur. Eo mo-

do Mahometes & Abſa germani fratres iunctis ad Columnam exercitibus, ad vrbem Moſcam caſtra fecerunt: haud dubiè vrbe atq; arce potituri, niſi Germani tormentorum libratores, magnam Tartaris cladem & trepidationem intuliſſent: quum Baſilius abſens per ſyngrapham Mahometi ſe perpetuò tributarium profeſſus, quibuſdam datis muneribus impetrârit, vt à Moſca diſcederent. Itaque Tartari onuſti infinita prędа, incendiis euaſtata regione, infinitam propè captiuorum multitudinem abduxerunt; ſic vt Moſci, & in Taurica Turcis, & apud Citracam diuerſis Caſpij maris incolis venundati ſint: neq; Baſilius poſtea tametſi quereretur ſe à Gyræis fratribus, qui bellum non indixiſſent, deceptum falſis induciis atque oppreſſum, quicquam memorabile aduerſus perfidos hoſtes geſſit. Exinde Baſilius Salamoniam vxorem tanquam ſterilem repudiauit, & in monaſterium detruſit, ſuperinducta Helena nequaquam primarij viri filia, & ſecundum Helenam, aliam minimè prioribus nobiliorem ducturus videri potuit: niſi fama increbuiſſet Salamoniam intra ſacrata ſepta filium peperiſſe, qui in Principatus hæreditate ſuccederet. Nec multo pòſt Baſilius bello ſemper infelix & ſemper ſoſpes, graui oppreſſus pituita mortem obiit; his profectò repudiis infamis, & vti impotenter rapax, & nuſquam liberalis aut benignus apud ſuos inglorius; hoc etiam ab turpi Ioannis patris æmulatione probro oneratus, quòd à fœminis abhorrere diceretur, aliò ſcilicet tranſlata libidine, quoniam inueterata conſuetudine apud Moſcos, more Græcorum adoleſcentes amare fas eſſet; primores namque gentis, & cuncti equeſtris dignitatis ordines, honeſtorum ciuium liberos in famulatum ſibi aſciſcere, militiæq; erudire conſueuerunt.

IOVII IVNIORIS.

Et ſi te nullis inſignem fama trophæis
Baſili ſine laude per orbem,
At ſemper victum referet, ſemperq́; ſubactum
Horribili in certamine Martis.
Sarmata quum toties te fuderit, atque Gelonus
Obruerit tua caſtra ſagittis,
Et tua Regna ferox pubes populata Scytharum
Te patria ſolioq́; fugârit;
Non ingrata tamen tibi ſe debere fatetur
Haud meriti immemor Itala tellus:
Namque tuo nobis ignotos munere Moſcos,
Et Scythici Borealia cæli
Regna aperis, Tanaimq́; truce, penituſq́; repoſtam
Perpetuis ſub nubibus Arcton.
Sed quid Hyperboreos veterum mendacia iactat,
Riphæo ſub cardine montes?
Baſili nobis cæcam tu diſcutis vmbram.
Nos ideò pro munere tanto
Ritè tuam effigiem Lari veneramur ad vndam;
Noménque immortale ſacramus.

Antonius Leua.

NEMO ex his qui ſeculo noſtro ab Hiſpania in Italiam venerint, & poſt Magnum Conſaluum aliquid præclari nominis militiæ ſint conſecuti, ipſo Antonio Leua vel ingenio acutior vel illuſtribus bello factis præſtantior euaſit. Huic namque Nauarrus miſerabili vitæ exitu clarus, facile cedet. Ingenti hercle virtute Antonius nuſquam ferè veſtigiis eius abſcedente Fortuna, quòd longè maximum in toto militari negocio ſemper exiſtimatum eſt, frequentibus præliis ſæpiſſimè victor, & ſi ſors iniquior victoriæ ſucceſſum eriperet, nunquã victus videri potuit. Diuinè ſiquidem prouidendo, & grauiter enitendo, hoſtium conſilia præuertere, & quæ iam apud eos parata eſſent atque inſtructa, præoccupare, aduerſariorum immodicos conatus admirandis dolis eludere, & quum res poſceret vehementi atque expedita manu infringere atque retundere didicerat. Quod enim mirum eſt nullo propè præeunte magiſtro, nullaque prorſus adiutus bellicæ educationis diſciplina, & impiger miles & acer præfectus, improuiſis & fortibus conſiliis, celeritateque præſertim, Dux felix euaſerat. Cæterùm Antonius planè adoleſcens, & vt ipſe nobis narrabat, adhuc imberbis, Sanctij Martini patrui alæ equitum præpoſitus, anno ſecundo poſt ſecularem ea claſſe vectus in Italiam venit, qua Emanuel & Valentius Benauidij fratres, & duo Aluaradi pater & filius tranſuecti ſunt, aduerſus Gallos opem ferentes. Ipſe genus ducebat è Cantabria, quæ vna omnium Hiſpaniæ Prouincia optimorum terra marique militum feraciſſima exiſtimatur. Sed antea Antonius iuſta in acie hoſtẽ non viderat, quàm egregiè & ad Gioiam aduerſo, & ad Terranouam ſecundo prælio, illic conſtantis, hic verò maximè ardentis & imperterriti bellatoris laudem eſt conſecutus. Interfuit demum Rhauennæ Cardonij ſigna ſecutus, quo funeſto prælio non ignominiæ, ſed laudi fuit incolumem euaſiſſe. Sic enim Ceſennam ſe recepit, vt pleroſque milites ex itinere conſeruaret; atque ipſe demum inſtaurata ala, eodem Cardonio & Proſpero Columna Ducibus, ad Ciſalpinæ Galliæ bellum proficiſceretur. Poſt mortem verò Iulij Pontificis, Leoni, Carolo Cæſari coniuncto, in expellendis Gallis operam nauauit, vſq; adeò diligentem & ſtrenuam, vt iam inter ſummos Duces cõſilio perſpicax, & manu egregiè fortis haberetur. Ab hac fama iã planè clarum, ea quæ ſecuta ſunt bella clariſſimum fecerunt, quum

obſeſſo



obſeſſus Ticini à Franciſco Galliæ Rege ſeſe pertinaciſſimè defendiſſet; cum excidiò quidem nobiliſſimæ vrbis; quum alendo præſidio, neque fortunæ Ciuium, neque templorum donaria, neq; luculentæ domus exciſæ deformatæque ſuffeciſſent. Sed hæc Ticinenſium calamitatem, inexpiabilemque inuectæ egeſtatis dolorem, aliqua ex parte minuere viſus eſt Rex ipſe tanti nominis ingenti prælio victus & captus. Verùm ad eam victoriam, ad quam parandam Leua magnum eruptione ſua momentum tulit; nequaquam pax allata eſt; ſcilicet vt alia orirentur bella, quibus fertiliſſima Italiæ prouincia militari licentia vaſtaretur. Nam quũ Leua Cæſariniqu e Duces Sforciam grauibus calumniis implicitum, apud Cęſarem maieſtatis accuſaſſent, & in arce obſediſſent, conſternati ad arma Italiæ Principes in vnum ſeruitutis metu conſenſiſſent, hoſtes ex ſociis facti, longe omnium luctuoſiſſimum bellum excitârunt, eo euentu vt Antonius Mediolani obſeſſus, multis ſecundis præliis longè clariſſimus ducum euaderet, exiſtimaretque, neque humanis neq; diuinis rebus eſſe parcendum, modo decuá ſuum & Cæſaris dignitatem tueretur, & ſtipendij loco ſingulas vrbes, ſingulosq; earum ciues militibus immaniſſimè diripiendas concederet: ipſeque imperioſus, multis vndique partis victoriis terribilis atque opulentus, aduerſus tot hoſtes inuictus aduerſa arma ſuſtineret, & Sfortia per deditionem eiecto, tanti Principatus Imperio potiretur. Sed Cæſar ad clementiora conſilia conuerſus, poſt captum Pontificem, atque eum iam euaſtata Roma carcere liberatum, Sfortiam reſtituit ea conditione, vt Antonius, tuendæ Italiæ Dux copiarum, deductis, & in Græciam Hiſpanis militibus miſſis, Mediolani relinqueretur. Nemo enim eo potior gerendo bello Cæſari videbatur. & quanquam euaſtante cunctos artus podagra, non aliter quàm ſella ſuccollantibus ſeruis veheretur, nunquam Ducis munia, nunquam vllum militiæ laborem omiſit, aut intermiſit; vtpote qui lectica in aciem illatus, non ſemel cum hoſte conflixerit; ſemel apud Landrianum fuſo captoque ſancti Pauli Comite regiæ ſtirpis Gallorum

Duce,& ad Caracam ad Lambrum flumen ſuperato Iacobo Medice,qui cum Heluetiis auxiliis adueoerat. Ea Antonij aothoriratis atque peritiæ opinione adductus Cæſar, ex Africa Tuneto expugnato victor rediens, ipſo præſertim Leua authore, Galliæ bellum intulit. Qua in re nihil Antonio ægritudioe affecto, & cunctis diſtorto articulis, pepercit, quin eum ſecum in Prouinciam adduceret. Id bellum propter rei frumentatiæ difficultates, & cœli inclemeotiam, ſecus ac putârat Anronius tractu durius, arque exitu aſperius fuir; ſic vt ille languore animi & dolore corporis opptaſſus, ad aqoas Sextias io caſtris fato cedens, cùm bellicis labotibus, tum ardenti gloriæ cupiditati ſuæ finem imponeret, natus anoos quinquagintaſex. Funus Mediolani adornatum inſigni pompa celebratumq; eſt.

PARTHENII PARAVICINI.

Aſtus Annibalis, mora ſagacis
Matura Fabij, impigrumq; & acre
Marcelli ingenium, celerq; curſus,
Et velox via Claudij Neronis,
Hac ſi ſingula ſingulis parârunt
Aeternum decus, & perenne nomen;
Quanto in me omnia quum ſimul Gradiuus
Vnum contulerit, mage ipſe Lethes
Vndas deſpiciam, minasq; fati?

Quid quod mî attulit & nouos honores,
Ac viuam effigiem meosq; vultus
Muſaa Iouius domo dicauit?
Nec non & titulis referta noſtris
Conſcripſit monumenta docta, & omni
Aere & marmoribus perenniora.
Felicem effigiem, ò meos triumphos
Hoc pracone ter ampliusq; claros
Ecquem iam mihi conferat vetuſtas?

ANTONII VVLPII.

Quum ſemper vincas, totis licet artubus æger,
Conſilio non vi, vincere Leua doces.

RAINERII.

Hic Leua eſt; Leua Heſperia laus maxima terra,
Qua Batis tumidas in mare fundit aquas,
Implicitus cunctis morbo artubus, horrida bella
Artibus, & ferro, geſſit & explicuit.

Alexander Medices Florentiæ Princeps.

MAGNO hercle ſingularique, vti apparuit, aut inſanè more ſuo, aut atrociter iocantis Fortunæ prodigio editus eſt hic, quem ſpectas thoracatum, tranſuerſaque rubra faſcia Cæſarianæ factioois ſtudium oſtentantem, Alexander Medices, ad Etruſci Imperij faſtigium ideo prouectus, vt inde grauiore caſu interrupta felicitate præceps daretur. Hunc Laurentius iunior, qui Vmbriæ Principatus titulos affectauit, ex materna ancilla furtiuo congreſſu ſuſceperat: Alſonſina aoia tenui cultu educârat, quum filius Laorentius fato ereptus ex vxore Bolonia Regię ſtirpis maſculam prolem minimè ſuſcepiſſet. Quibus de cauſis viuente Leone in ſubſidium pereuntis ſtirpis ita receptus eſt, vt Clemens demum Pontifex Etruſco dominatu dignum exiſtimaret, qood Hippolytus patruelis ad tollendam æmulationem honori ſacræ purpuræ deſtinaretur. Viſus enim erat Alexander, corpore atqoe iogenio habili tractandis armis aptior, quum Hippolytus viuidæ mentis acumen oſtenderet, ad literarum ſtudia paratiſſimum. Sed oppreſſo demom Cæſarianis armis, captoque Clemente Pontifice, io eo ſtatim inuſiratæ calamitatis turbine Florentini defecerunt; atque ipſi Alexander & Hippolytus publico decreto Medicea domo exturbati, atque in exilium acti ſunt, ea conditiooe vt deſerti mox & inopes in ſubalpino agro ad Taurinum aliquandiu vitam degerent, donec conuerſa Fortuna Pontificis, Hippolytus galero ornaretur, & Alexander iam pridem doobos, in Præcutinis oppidis dooatus à Cæſare in clientelamq; receptus, gener aſciſceretur, & Florentinis demum longa obſidione perdomitis, vetereq; exutis libertate, à Cæſare collato Principis titulo præficeretur. Verùm is dominatus Clemente iam mortuo breuem atqoe turpiſſimum exitum tulir. Nam Alexaodrum ſextum iam regnantem annum, & præclara iuſti & conſtantis Principis argumenra præbêtem, ita voloptates Venereæ ſenſim occupârunt, vt qui inoidioſo Principatus nomine lætabatur, facilem ſibi in necem aditum aperiret, tanta quidem ſocordia, vt poſt inſidias, qoas ei Hippolitus oeſariè tetenderat, diligentiſſimè vitatas, in alterios propinqui, familiariſſimiq; ſodalis inuſitatam perfidiam incideret. Is erat Laurentius Medices ætate æqoalis, ſanguine coniunctus, nulla laceſſitus iniuria, & magnis affectus beneficiis, menſtruaque ſtipendij obſtrictus liberalitare, qua maximè eius perfidiæ fama prægrauari potuit. Eum namq; hic tam improbo quàm perfidioſo promiſſi lenocinij nomine in domom

ſuam



ſuam ſuumque cubiculum & lectum facilè perduxit, adamatæ mulieris aduentum mentitus, ſic vt incautus atq; miſerrimus Princeps, à cæteris omnibus accuratè cauere ſolitus quàm ab ipſo proditore, quem maximè diligeret, mactaretur. Intempeſta namque nocte altè ſtertentem, Laurentius gladio per coſtas adacto transfodit, propereque erectum, & acceptum vulnus acri morſu vindicantem, admouentibus manum duobus ſeruis quos induxerat, quinque vulneribus confecit, impetrataque facile à præfecto teſſera, publicis vectus equis Bononiam effugit, patriæ libertatis oblitus, occupante animum ſalutis cura, vt intactus euaderet. Nam qui liberatæ patriæ laudem appetiiſſe videri volebat, nihil plus tanto admiſſo facinore effeciſſe iudicatus eſt, quàm vt Principe amiciſſimo nefariè atque ignobiliter interempto, Coſmum ex priuato odio capitalem hoſtem ſuum, ad Etruſci Imperij potentiam quàm veræ virtuti fata promittebant, proueheret; & ipſe demum publico Senatus iudicio damnatus, obiterque Venetiis anguſto in calle trucidatus, parricidij pœnas daret.

ANTONII VACCAE.

Poſt belli clades varias, & funera ſæuis
Motibus Etruſca ciuilibus edita terra,
Quum populos placida compoſitos pace tenerem;
Per ſcelus agnati me perfida dextra nefandi
Suſtulit. & ſpes ille meas, ſpes ille meorum
Atque ſuas omnes, & publica commoda fregit.
Vſque adeò penſi, & ſancti nihil improba ducit
Inuidia, atque atro mens dira agitata furore.
Ergo iterum infectum ciuili ſanguine ferrum
Mæſta parens aſſueto malo Florentia vidit,
Et luctu extenuata Ducem deflente ademptum;
Aurea compoſitis meditantem ſecula rebus.

Franciſcus Maria Feltrius Vrbinatium Princeps.



NEMO magnorum Ducum elegantiùs & certiùs in tabula ad veram imaginem expreſſus eſt, quàm hic ipſe Feltrius, qui his ſuis armis atque coloribus, hisque triplicis Imperij militaris inſignibus, Titiani ſummi pictoris manu delineatus conſpicitur. Is Ioanne Rouereo patre Senogalliæ domino & Vrbis præfecto, qui Iulij Secundi Pontificis germanus frater fuit, & Ioanna Federici Vrbinatiũ Principis filia genitus, adoptari in Feltriam familiam à Guidone Vbaldo auunculo, cui fata prolem denegárunt, & Principatus hæres ſcribi meruit. Sic vt vim atq; expeditum robur paterni generis, & efficacem bello prudentiam, optimisque conſtitutam legibus, bellicoſæ Feltriæ domus diſciplinam egregio temperamento miſcuiſſe credi poſſit, vt ſeſe ad præclariſſimum militiæ decus efferret. Adoleſcens namque ita tyrocinij arma induit & exuit, vt pené prius quàm miles, Dux ſummus patrui copiis præficeretur, eo bello quo Ceruia atque Rhauenna, & Ariminum, atque item Fauentia poſſeſſa Venetis, Pontificio Imperio ſunt reſtituta. Nec multo pòſt conuerſis Iulij ſtudiis, bellum Gallicum eſt exortum per cauſam indicti Concilij, quò Pontificis authoritate funditus conuellendam, impotens armis Rex Gallus ſuſceperat. Eo bello Feltrius impar viribus, à Triuultio ſummo Imperatore ſic fuſus eſt atq; exutus caſtris, vt ipſa Bononia malè tuente Alidoſio Cardinale, Bentiuolis veteribus tyrannis traderetur. Non tulit contumeliam Feltrius animo generoſus, atque inter deleti exercitus & amiſſæ vrbis dolorem Alido-

ſium

ſium ipſum authorem tanti mali oblatum, apud Rhauennam trucidauit. Quod facinus in ſacrarum hominem, quanquam ex eius malignitate non immerito editum, vſqueadeò Pontificem alienauit, vt Feltrius Galli Regis auſpicia ſequi cogitaret. Verùm in Iulio aliquanto pòſt illa exardens ira deferbuit, quum poſt aduerſum Rhauennate prælium Gallis Italia pulſis, ingenti victoria potitus eſt, nec Feltrio veniam petenti ſtudioſi ſuffragatores è Senatu defuerunt, quibus in gratiam Pontificis ita reſtitutus eſt, vt Piſauri dominatu, indulgentia & liberalitate morientis patrui donaretur. Sed Leone decimo ad Pontificatum euecto, contrà ac rebatur multis de cauſis ſæuum hoſtem expertus eſt, quum ille Laurentium fratris filium vel impudenti cum iniuria, Vrbinatium Principatu honeſtandum arbitraretur, quod tamen vel ab ambitioſa importunaq; fœmina Alfonſina Laurentij auidi iuuenis matre, niſi poſt mortem Iuliani Leonis fratris, qui erat multis nominibus Feltriæ domui coniunctus, impetrari potuit. Itaque Leo profana & ſacra arma expediens, imparatum immiſſo exercitu, cui præerat Rentius Ceres, tota Vmbria atque Piſauro expulit; non ſecus ac Borgia Cæſar Guidonem Vbaldum eiecerat. Verùm Feltrius non multo pòſt coactis in vnum validiſſimarum gentium auxiliis, quæ confecto Veneto bello à Gallicis ducibus dimittebantur, vſqueadeò graui impetu quę amiſerat recuperauit, vt Pontifici & Florentinis magnum terrorem incuteret. Feltrio namque aderant & ſtudia militum & Populorum voluntates, & ingens animus cunctis militiæ laboribus atq; periculis par, quo Metauro amne pedibus ſuperato, quum ipſe Hiſpanorum ordines præiret, & propemodum armatus & pedes enataret, Pontificius exercitus triplo maior ad primum hoſtis conſpectum reformidata pugna in diuerſa ſe recepit. Exinde Pontificij nuſquam ferè vti multis affecti incommodis Feltrianos ſuſtinuerunt, ac niſi Leo magnis propoſitis præmiis, venales quoſdam Hiſpanorum præfectos corrupiſſet, & Vgo Moncara Cæſaris nomine vniuerſos vt Feltrium desererent induxiſſet, graue profectò vulnus Leo accipiẽs, pudendi & parùm æqui belli pœnas ſubiiſſet. Eo modo proditus atq; deſertus Feltrius, Fortunæ iniquitatem ea animi magnitudine tulit, vt vbique Leonis hoſtes quæreret, exortoque Gallico bello ad Lotrechium ſe conferret; apud quem alienæ virtutis pręcepta faſtidientem ſic egit, vt ille neque manu neque conſilio ipſius Feltrij vſus, Mediolanenſi Imperio à Cæſarianis & Pontificiis pelleretur. Cæterùm in ea victoria Leo mortem obiens inexpectatam, Feltrio recuperandi dominatus occaſionem dedit, propenſiſſimaq; hominum voluntate in Vmbria tanquam legitimus & exoptatus diu Princeps receptus eſt. Hæc tanta bellorum incommoda cum vſqueadeò nauiter erudierunt, vt aucta & confirmata virtutis opinione, ab ipſis Florentinis, qui dudum hoſtes fuerant, tum demum à Venetis ſummum militaris Imperij decus promeruerit. Veneti autem exercitus factus Imperator, vti tempora & prudentiſſimi Senatus mores flagitabant, veterem ſuum pugnacis ingenij ardorem ſalubri iuſtæ & cautæ grauitatis temperamento moderatus eſt, quum ei robuſtiſſimæ externarum gentium & inuictæ legiones ſuſtinendæ potius cunctando, quàm prælijs laceſſendæ viderentur. Ita enim patres bina Liuiani temeritate cladeq; edocti, Q. Fabio parem, quàm M. Marcello ducem malebant. Exiſtimabat propterea Feltrius, ſe ſatis fortem veteq; vtilem Reipublicæ operam laturum, ſi nihil amitteret, & nihil prælij aleæ, qua vinci poſſet, ſubiiceret. Ludificaretur hoſtis impetum, munitiſſima caſtrametandi ratione, & extraordinariis præliis; commeatu atq; pecunia indigos perpetuò fatigaret; quum vniuerſo prælio vbi opus foret certaturus crederetur. His artibus, contrà ac aliqui exiſtimabant, qui temerè externarum gentium vim contundi & ſuperari poſſe putabant, ſummo ipſius præconio Italia omnis ſeruata eſt, partusque Sfortiæ, paternæ ditionis Principatus, inuecta etiam hac qua reſpiramus tranquilla pace, in qua Feltrius ſupremis cogitationibus nihil prius expetebat, quàm vt in Turcas conſenſu Chriſtiani orbis Regum, iuſta atque inſuperabilia arma verterentur. Sed in hac honeſtiſſima cogitatione ereptus eſt, non fato quidem ſuo, ſed malignitate quorundam, qui ei venenum miſceri iuſſiſſe referuntur, vti ex certiſſimis quæſtionis tabulis, & tanti admiſſi ſceleris confeſſione conſtat, quum hunc quem virtutis merito colimus Guidonem Vbaldum, non Vmbriæ modò dominatus, ſed militaris etiam apud Venetos Imperij hæredem reliquiſſet.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Mars enſem, clauam Alcides, dedit ægida Pallas,
Et tibi cæleſtum tela triſulca pater,
Fulmina ſeu metuende manu, ſiue excutis ore,
Pars ſtupet vt celeri conijcis illa manu,
Pars ſtupet altiloq; domum immortale Mineruæ,
Iiſq; cohortantis deſluat ore ſophos.
Hu tu, & roborea perfunctus munere claua,
Vnde tibi æternum ab robore nomen erit,
Monſtra domas, acies perrumpis, concutis vrbes,
Et latè vndantis flumine ſternis iter;
Quum patrias ſedes, fuſis tot millibus antè,
Inuicto & repetis regna ſuperba pede.
Dijs genite & geniture Deos, qui cuncta nouorū
Et veterum æquiparas fortia facta Ducum.

Andreas Grittus Venetorum Princeps.



NON rarum modò, ſed prorſus admirabile intueri licuit in Andrea Gritto, qui nullo benigniore Fortunæ afflatu, ſed vnis tantùm inuictæ virtutis auſpiciis Principatum adeptus eſt. Nemo ſiquidem ciuium æqualium ſuorum in ipſo iuuentæ flore pulchrior: nemo quum vir eſſet & Senator, ſtaturæ proceritate, habituque oris, & membrorum amplitudine celſior atque formoſior fuit: nemo quum perpetuis ferè bellis legati functus munere periculoſa arma tractaret fortior, vigilantior atque conſtantior fuit; ſic vt poſtea mirum non ſit, quum vniuerſo bello victor de reſtituto patriæ imperio, non curru quidem laureato, ſed opinione ciuium & ſtudio grauiſſimi Populi triumpharit, ſi meritum decus ſupremumque in ciuitate titulum meruerit. Effectus verò Princeps, & ſuis inſignibus exornatus, eam oris & perſonæ dignitatem prætulit, vt omnes facilè faterentur, incomparabilem æqua magnitudine corporis & animi, atque omnium bellica, tum ciuili virtute extra inuidiam eminentiſſimum ciuem, ſupremo tanquam debito titulo fuiſſe honeſtatum. Cæterùm Grittus, qui vniuerſo bello victor extitit, multis aduerſis præliis infenſæ fortunæ ſuæ caſus vſqueadeò conſtanter tulit, vt rediuiua ſemper virtute, ſeipſo maior & clarior appareret. Abduana namque acie, qua nulla Veneto nomini funeſtior incidit, quanquam profligato cæſoq; exercitu effugiſſet, nihil tamen animum deſpondens, maximo

Reipublicæ

Reipublicæ commodo Taruiſium conſeruauit; amiſſumque fœdè Patauium, felici aſtu ſummáque virtute recuperauit, atque aduerſus innumerabiles Cæſaris copias defendit. Brixiæ autem quum eam vrbem Diis iniuitis tueri conaretur, ea capta atque direpta à Foiſſeio Gallorum Duce, in eius poteſtatem ita deuenit, vt in Galliam vlteriorem carcere ſeruandus mitteretur. Conuerſo verò ciuitatis ſtudio, quum Veneti Gallis propter Hiſpanorum & Germanorum offenſiones fœdere ſe coniunxiſſent, Nouarienſi prælio dum rediret è Gallia ſpectator fuit; ſic vt vix ei elabendi ſpatium daretur, quum Heluetiis Sfortiæ operam longè fortiſſimam nauantibus, Gallorum exercitus conciſus & profligatus fuiſſet. Vicentina porrò acie, qua temeritate Liniani graue vulnus Venetis eſt inflictum, ita victoris hoſtis manus effugit, vt Vicentiæ obſeratâ portâ in murum funibus extraheretur. Nouiſſimè apud Mediolanum, quū Piſcarius cum Hiſpanis per ſuburbana tecta in Gallica & Veneta caſtra perrupiſſet, capto iam Theodoro Triuultio, qui Veneti exercitus erat imperator, Grittus paruo equi flexu è manibus hoſtium euolauit, deducentibus eum per obliquos tramites Græcis equitibus. Verùm qui toties à Fortuna male mulctatus fuerat, ſupremæ victoriæ, & Principatus compos extitit, Grimanoque ſuccedens, præfuit Reipublicæ annos vndecim, octuagenarioque maior, quum Faſeolorum ſcutellam appetiſſet, obortis torminibus vita exceſſit.

ADAMI FVMANI Veronenſis.

Vt vigili doctoq; ratis ſimul aucta Magiſtro eſt,
Vndique vt aërij verrant freta cærula venti,
Nec ventos, validáſue timet ſecura procellas,
Credere ſed pelago, ac magnis ſe fluctibus audet.
Sic Duce te vrbs prognata mari, ſic Principe Gritte
Bellorum vt ſciret magnos inſtare tumultus
Bellorum metuit nullos interrita caſus,
Sed Martis dare ſe magnis cita motibus auſa eſt.
Vt ratis illa eadem docto ſi caſſa Magiſtro eſt,
Vt nulli vnſquam turbent freta cærula venti,
Et ventos validaſq; horret male firma procellas,
Credere nec pelago, aut vllis ſe fluctibus audet:
Sic Duce te vrbs bone Gritte, eadem ſic Principe caſſa
Bellorum vt videat nullos inſtare tumultus,
Bellorum metuit cunctos exterrita caſus.
Nec dubijs dare ſe Martis cita motibus audet.
Vt gregibus Tauri, turres vt mœnibus altis
Sunt decori, vt pelago naues cingentibus vndis;
Sydera vti radijs internitet aurea Phœbe;
Sic tu, ſic Venetum imperij dum ſceptra gerebas,
Notus eras Proceres inter bone Gritte ſuperbos,
Corporis eximia ſpecie, virtute, animoq;
Noſtratum, ô ſalue Heroum ter maxime, tu nunc
Et noſtra poſthac ſemper celebrabere Muſa.

PETRI ALVARI Romani.

Magnanimi inuictiq; Andrea picta tabella
Quam cernis Gritti continet effigiem.
Hic ſæuam toties Fortunam expertus in armis
Fortunam intrepido pectore ſuſtinuit;
Mox pia ſe ad pacis conuertens munia ſummos
Pacata titulos promeruit patria;
Conſilioq; graui labefactam reſtituit rem,
Et Veneti fines protulit imperij.

Iacobus V. Scotiæ Rex.

STVARDAE familiæ, quę Danicę erat ſtirpis, vſque à Saladini Syrię Regia temporibus, Scotię inſertæ, quinque Reges; ſerie nihil interciſa; eodem nomine ad exemplum Aegypti Regum, ſolis diſcreti numeris, in Scotia regnauerunt. Conſtat enim Macolmum, qui Rex in Scotia animi virtute memorabilis fuit, Valterium nobilem pariter atque impigrum Ducem oriundum è Dania, virtutis cauſa ad Stuardi dignitatem euexiſſe. Quòd in Syria inſigni fama aduerſus Saracenos Chriſtianis in caſtris militaſſet: Eorum ſiquidem lingua Regij conuiuij Magiſter Stuardus appellatur: quod nomen poſtea in familiam tranſierit; quod profectò inauſpicatum quinque Regibus fuit. Nam primum huius nominis Iacobum Stuardum ſuperbè regnantem coniurati familiares in cubiculo trucidârunt. Secundum autem hoſtile caſtellum incautiùs oppugnantem, diffracti ænei tormenti fruſtulum interemit. Porrò tertius à parricida filio ad Sterlingum iuſta acie ſuperatus atque interfectus cecidit. Quartus verò huius pater, quum abſente Henrico Angliæ Rege, atque in Morinis aduerſus Gallos bellum gerente, Angliæ fines inuaſiſſet, à Surreio Britannorum Duce ad Floddon magna clade Scotis obrutis occiſus eſt; ſuperſtite hoc Iacobo puero, atque in Regni ſpem educato. Erat is natus è ſorore Henrici Regis; quæ cœlibis pertæſa thalami non diu in tutela filij permanſit, quum Gulielmo Angoſio Equiti Scotorum formoſiſſimo nupſiſſet. Cæterùm puer à nutriciis cum ſumma fide liberaliter educatus, vti erat forma inſigni, Magdalenam Franciſci Galliæ Regis filiam in matrimonium duxit;



Sed non multò pòſt eam, nullâ ſuſceptâ prole amiſit, ſic vt iuſtis funeri perſolutis, ſuadente eodem Franciſco Rege, nuptias faceret cum Maria Claudij Lotharingiæ Principis fratris filia. Hæc erat ex Andegauenſis Regiæ familiæ ſtirpe orta, quæ veterum Prouinciæ Regum propinquitatem, & Neapolitani Regni iura reſpicit. His nouis nuptiis non diu lætatus eſt Iacobus, quum ſuſcepta filia, vſqueadeò leui morbo ſuccubuiſſet, vt nonnulli veneno ſublatum arbitrarentur, poſtquam deceptis Medicis, qui validiſſimis iuuentæ viribus polleret, per interualla morbi concidiſſet; vt vxori acria bella à finitimis Anglis ſuſtinenda relinqueret, appetente filiolam ſibi in nurum Henrico Rege, vt ea cognatione Odoardus filius ex Ioanna Semeria ſuſceptus, Angliæ ſimul & Scotiæ Rex efficeretur. Quæ res quum multis artificiis & machinationibus Anglorum tentaretur, & Dauid Conetus Cardinalis Scotus perfidia Normandi & Ratunij Comitis eſſet interfectus, atrociſſima adduxit bella, quorum is exitus fuit, vt puella cum matre vidua in Galliam claſſe tranſuecta, Anglis connubij ſpem præcideret, & ab Henrico Galliæ Rege eius ſtirpi inſerenda ſeruaretur.

LVDOVICI DOMINICI.

Si Rex, ſi iuuenis miſerandum funus obiui,
Quid doleo? minimè; quippe Iacobus eram.
Hæc patris, hæc aui ſubierunt fata Iacobi,
Tam dira infelix omnia nomen habet,
Vt minus infelix hoc tantum excultus Iacobus,
Heres nullus erat tunc mihi dum caderem.

Vincentius

Vincentius Capellius Venetæ claſsis Præfectus.



HOC ſplendido thorace & purpurea trabea conſpicuus fuit Vincentius Capellius, quum apud Actiacum promontorium Ambracij ſinus, coniunctis cum Auria claſſibus, cum Barbaruſſa prælio certaturus crederetur. Is ab Initio æquè grauis & fortis Senator, propter maritimarum rerum peritiam, acre & conſtans grauiſſimis in rebus iudicium cum ſingulari vigilantia coniunctum, facilè promeruit, vt ſummus claſſis præfectus crearetur, & tum maximè quum aduerſus Barbaruſſam Othomannicæ claſſis Ducem, abrupta vetere pace, foret dimicandum. Veneti ſiquidem Carolo Cæſari inauſpicato fœdere coniuncti conſociatis claſſibus, contra veros hoſtes arma vertenda cenſuêrant, tanta ſpe victoriæ, vt Barbaros tota maris poſſeſſione ſe depulſuros crederent; quandoquidem ipſe Andreas Auria cum Cæſaris claſſe primas in committenda pugna partes depoſceret, ſeque oſtenſurum profiteretur, quantò validiores, & ad rem gerendam paratiores Chriſtianæ diſciplinæ triremes Barbaricis forent, quæ nouo rudique remige, & non magnoperè peritis gubernatoribus vterêtur; præter quàm quòd numero etiam multò plures eſſent, & in quo victoriæ certa ſpes ſita videretur, ingentium etiam nauium præſidio confirmatæ, ad quæ ſcilicet prægalta nauigia inſtructiſſimaq; tormentis, tanquam ad Caſtella ſeſe recipere poſſet, in omnem hoſtilis audaciæ, vel turbati maris caſum. Erant enim in vtraque claſſe Cæſariana

& Veneta triremes roſtratæ centum trigintaquatuor; onerariæ autem naues ſeptuagintatres, præter tres ingentes Galeonnes ſtupendo tormentorum apparatu inſtructos. In nauigiis porrò quæ Carcheſia in malis ferrent, & velis tantùm agerentur, impoſita erant circiter decem millia delectorum peditum, Hiſpanici præſertim & Italici generis. His Valerius Vrſinus, illis Ferdinandus Gonzaga præerant. Quibus claſſibus à Corcyra in Ionium eductis, tanta exorta eſt apud noſtros alacritas pugnandi, tantusque iniectus Barbaris metus, vt Barbaruſſa conſpecta claſſe noſtra, Ambraciu ſinu incluſus nequaquam his arctis faucibus, quæ ſunt ad Nicopolim, quam Preueſam vocant, egreſſurus crederetur; quòd non amplius quàm octuaginta Triremes roſtratas, & ſine roſtris quadraginta biremes haberet, nec peritiſſimus ſenex ſuarum conſcius virium, paruipendenda maiora nauigia tot inſtructa tormentis exiſtimaret. Sed noſtri, qui in conſpectum Nicopolitanæ arcis prodierát, inexplicatis conſiliis ita hæſerunt, vt quum fruſtra elicere hoſtes procurſatione conati eſſent, Ferdinandus Gonzaga exponendum eſſe peditatum, & Nicopolim, quam paucis ante diebus Grimanus Patriarcha fauces ingreſſus cum Pontificiis triremibus expugnare fruſtra adortus fuerat, omnino aggrediendam, atque expugnandam cenſeret; & è terreſtri demum ſinus ſupercilio Barbarorum claſſem tormentis inuadendam arbitraretur. Ea res apud quoſdam probari non poterat, quòd dubium euentum habitura videri poſſet, ſi poſt expoſitos milites aliqua ſæuior incideret procella, quæ ſeruandam claſſem, deſertisque militibus in tutam ſtationem reducẽdam oſtenderet. Quid enim incommodius & aſperius pediti relicto accidere poſſet, quàm vt ab equitatu, qui Grimanianos in mare cum cæde propuliſſet, opprimeretur, ſimul & à claſſiariis Turcis inuaderetur; quum nullo deſertus in terra claſſis ſubſidio protegi poſſet? Itaque Auria quum ad eum Capellius ſcapha vectus ad puppem proueheretur, peteretque quid ſibi agendum foret, & ſe promptiſſimam operam vti iuberet præſtiturum polliceretur: ei totius ſtudij & alacritatis gratias egit, & vt ſuo ordine conſequeretur admonuit, claſſemque ad Leucadis promontorium direxit; ratus aut Barbaruſſam faucibus egreſſurum, præliique committendi occaſionem præbiturum; aut ſi ceſſaret, & ſinu ſe contineret, vti metu occupatus, vetere exiſtimatione gloriæ naualis ſpoliaretur. Ipſe verò ſuperata Leucadis Inſula, quæ Nerithus olim, hodie Sancta Maura dicitur, ad Naupactum deſcenderet, totumque ſinum à dextra læuaque ferro & incendiis deuaſtaret. Sed magno miraculo portentoque, ventus qui ad curſum erat ſecundus, ita flare deſiit, vt vela nauium dudum pleniſſimè inflata conciderent, tantaque oriretur malacia, vt ſi roſtratæ nauigio vti vellent, neceſſariò onerariæ immobiles eſſent relinquendæ. Hac inopinata re, ſicuti Auria & Capellius vehementer ſunt perturbati, ita Barbaruſſa occaſioni ſuæ non defuit, claſſemque faucibus mira celeritate eduxit; primumque omnium ſiniſtrum littus apprehendit, obuerſis ad terram puppibus, vt ſi quid durius ab hoſte accideret, cùm è littore, tum ex nauibus decertaret, tanquam nullam omnino maiorem, quàm nauium, ſeruatis cum remige propugnatoribus, iacturam facturus. Verùm quum noſtros nouitate obortæ tranquillitatis præditos, conſiliique prorſus inopes, magnarum nauium fluctuantem claſſem circumire, nec ſe expedire ad pugnam conſpiceret; in eos directa ſuæ claſſis acie inuectus eſt, quum ipſe mediam teneret aciem, & hinc, Sinam cognomento Iudæus, & illinc, Saleccus Archipiratæ illuſtres præeſſent. Tanta autem perturbatione omnium, tantoque tormentorum ſtrepitu res eo die noſtris infauſto acta eſt, vt nullo nobili congreſſu cœpto diſſipati in fugam verterentur, & Barbarus obſtupeſcens noſtrorum ignobilem trepidationem, cum riſu demum conuerſas in fugam puppes contemplaretur, ipſe duas interciperet triremes, & nauigia noſtrorum maiora, circumducta corona triremium, diu tormentis verberaret; atque interim recentiſſimo oborti Euri flatu incomparabili Fortunæ beneficio è manibus Turcarum noſtra claſſis eriperetur: quam ingruente nocte minimè perſequendam Barbaruſſa iudicauit, quum ſingulari herclè ſuo, noſtris verò parum felici ſpectaculo lætaretur, maximeq; rideret, quòd trium prætoriarum lumina ignobili exemplo abiecta eſſe conſpiceret; tanquam ea ab extremo pauore vltrò extincta fuiſſent. Capellius atq; Auria continenti curſu Corcyram peruenerunt, quum nullus omnino præ pudore locus mutuæ conſolationi eſſet relictus, & eos poſtridie ad Paxam vſque Inſulam hoſtis eſſet perſecutus. Tum enim non obſcurè ad mutuam ignominiam obtrectantes, de inuadẽdo Dyrrachio fruſtra conſultatum eſt; vt infamia quoquo modo ſarciretur communi conſilio Caſtrumnouum in Rizonico ſinu expugnârunt; neq; quiſquam eorum culpam pudendi euentus, niſi perplexè reiecit, vti ab vtroque opportuna Hiſtoriis noſtris percunctatione didicimus. Cæterùm Capellius multis argumentis, vti erat apprimè facundus, nominis ſui famam egregiè defendit; agensque quartum & ſeptuageſimum ætatis annum, integra apud ciues dignitate fato conceſſit.

IOVII Iunioris.

Claſſem in Leucadij fluctibus æquoris
Inſtructam Veneto milite viderat
Latam verrere Pontum
Nimborum pater Aeolus;
Iræ quum veteris conſcius aſpera
Iunonis, miſerum in Dardanidum genus,
Leni murmure ventum
Spirantem, Aeolio in ſpecu

Incluſum

Incluſum tenuit. Quæ celeri modò
Lapſu vix pelagus contigerat ratis
Aura flatibus acta,
Et remo innolitans leui;
Nunc immota iacet per freta languida;
Tum claſſem implicitam, lapſaq; carbaſa

Riſit Barbarus hoſtis
E fluctu Ambraciꝫ ſinus.
Contra ſana Deûm fata CAPELLIVS
Ibat. præda (nefas) militis impij,
Ni claſſem inferat Eurus,
Seruatam ad patrium mare.

Franciſcus Borbonius Anchianus
Gallorum Dux.



NEMINI huius ſeculi Procerum, natalibus ac honoribus inſigni petulantiùs ac acerbiùs illuſit Fortuna, vti lubrico ſuo veſtigio ſemper incerta & inſolẽs, quàm Franciſco Borbonio, cognomina Anchiano. Hunc enim natura maximè decorum fecit; Regij ſanguinis domus totius Galliæ nobiliſſimum edidit; gratia autem Regia vſque adeò extulit, vt penè prius Dux quàm miles in caſtris conſpectus, imperatoriis inſignibus ornaretur; eiq; demum Laureã triumphalem ætati eius intemperãter indulgẽs, & plena doli Fortuna tribueret, quum ad Cereſolam ipſius Dauali Vaſtij, tanti atq; inuicti nominis Ducis, profligato exercitu, trucidatiſq; Germanorum legionibus, incomparabilem & planè nouam de Cæſarianis copiis victoriã retuliſſet;

ſubindeq; obſeſſo Catiniano iuxta Padum oppido, & ex longa pertinaciq; obſidione perdomi-
tis fame Hiſpanis atq; Germanis victor extitiſſet. Sed Anchianos his rebus, quæ præclarę memo-
rabilesq; fuerant, cum inſigni gloria geſtis, quum ad Fraociſcum Regem in Galliam rediſſet, vt e-
ius victoriæ grarulationibus apud ſuos frueretur, impetraretq; præmia militibus ſuis, qoi maxi-
mè eo prælio ſtrenuè dimicaſſent, fortè ex conſuetudine gentis alacritateq; aulæ, ludicrum inſti-
tutum eſt ſpectaculum, quo oppugnati defenſiq; oppidi ſimulacrum edebatur. Ea contëntio mi-
litaribus armis instructa prouectaque ardentius, vt maior illoſtribus fœminis volupras pararetur,
eum habuit exitum, vt ipſe Anchianus, florentiſſimæ iuuentutis Princeps, dum ſcalam apponit,
& per eam audacter ſubit, temerè prouoluto à defenſoribus prægraui cophino ex ſcala deturba-
retur, nec multo pòſt luxata ceruice confractoq; cerebro, idem modò feliciſſimus & puncto tem-
poris miſerrimus lugente Populo conſlamatus expiraret; ita vt quem nuper armatę Cæſaris pha-
langes, pugnantem ſuperare nequiuerant, miſerabili in ludo per iocum ſterneretur. Hoc tam fu-
neſtæ commiſerationis exemplo iuuentus per ſe feruida, periculiq; omnis facilè contemptrix, vt
cautiùs & temperatiùs contentioſia ſpectaculis vacaret, admoneri potuit; quum plerique dictum
Othomanni Gemis ad memoriam reuocarent. Is enim, quum Romæ in libera cuſtodia apud Ale-
xandrum Ponrificē ſeruaretur, eumq; humanitaris cauſa Aſcanios Sforzia ad equeſtres ludos de-
duceret; interrogatus, an ea noſtri moris ſpectacula, in quibus nobiles cataphracti haſtis inter ſe
concurrerent, & ſæpe excuſſi ephippiis ſolo deturbarenrur, ei placerent; vir grauis reſpouderat,
Inanem eſſe, glorioſam, penituſque fugiendam, quæ tanto vitæ periculo à noſtris peteretur. Pro-
prerea Turcas ſuos omnino ſibi prudentiores videri, qui non per viros nobiles & fortes milites,
vri noſtri, huiuſmodi ſpectacola ad voluptatem popolis conceſſa, ſed per ſeruos, in quibus ſi caſu
affligarentur, aut perirent, minima eſſet iactura, edere conſueuiſſent.

RAINERII.

Aſpice quem Regno ſubnixum Regia proles
Flagrantem armorum laudibus extulerat.
Hoc duce magnanimi cecidit vis bellica Vaſti,
Germani & toto procubuêre ſolo;
Gallica tum latè ſe ſuſtulit aurea pennis
Gloria, fama auidi laudibus Anchiani,
Inuidit Mars, & iuuenem ſimulacra cruentem
Martia, nube caua texit, & eripuit.

Carolus Aurelianus Franciſci
Regis filius.

CAROLVS Aurelianos è tribus Franciſci Regis liberis poſtremus, hoc promi-
nente naſo ingenuiſq; oculis & roſeo colore paternæ ſimilitudinis, atq; item li-
beralis ſplendoris & bellicæ virtutis ſpecimen referebat. Huic luſtrico die ad
Chriſtiani baptiſmatis fontem Abdenago nomen fuit, imponente id Ioanne
Deſpachio, Heluetię gentis legato, qui ad confœderandā ſacro eo vinculo prio-
rem amicitiam, compatraros honore fungebarur. Repetebat aotem id nomen
ex Moſaica Hiſtoria, quòd trium ibi pueroium ex camino ignis ardentis Deo
magoo laudes pſallentium & euadentium poſtremus fuiſſet Abdenago; non admodum inſulſa
comparatione Regiorom liberorum, qui pariter Deo magno cordi forent, ſicuti illi ab incendio
magni numinis miſericordia ſeruati fuiſſent. Sed huic bono alioquin omini religioſe concepto,
felix euentus defuit. Nam ſicuti primum nomine Franciſcum, qui erat titulo Delphinus, deſtina-
tum Regno iniqua ſota fati, ingruente in Prooiociam hoſte Cæſare apud Aoinioocm ſuſtulerat;
ita hunc qooque, ex peſtilenti morbo approperata dies atra ſurripoit, eo grauiore Franciſci pa-
tris dolore, quòd bello Belgico triumphalis Laureæ decus promeritus, pace demum confecta, a-
pud vrbem Soeſſionom certo fœdere ſponſalium Cæſari gener aſciſceretur, cui Ciſalpinę Galliæ
Imperiō Augusta liberalitate eſſet conceſſurus, vt ex ea tandem Mediolanenſis domioatos con-
trooerſia renato toties bello, exoptatus cūctis Europę gentibus finis imponeretur; ob id aliquan-
to grauior & luctuoſior Inſubrum, quàm Galliæ populis Caroli mors fuit, quando hi qui ſummæ
ſpei iuuenē amiſerant, ſuperſtite atq; incolumi Henrico Delphino, vel immaturi fati iniuriam æ-
quius ferrent; illi verò grauiſſimis bellorū & tributorū incōmodis afflicti, & à Cæſarianis mili-
bus inclementer expilati, tota ſpe pacis & ſperatæ tranquillitatis puncto temporis decidiſſent.

IVLII IOVII.

Te fera mors Carole eripuit florentibus annis,
Inſubria Cæſar dum tibi regna parat;
Illa diu extinctum ingemuit, te ſoſpite, nam ſe
Crediderat tantis poſſe carere malis.
Inſubria, & Gallis raperis, maiora ſed illi
Damna tulit mors tua, quàm patria.

Alfonſus



Alfonſus Daualus Vaſtius.

QVONAM honeſtiſſimo præcellentia & meritæ laudis præconio te ornauerim Alfonſe Dauale, idem mortalium formoſiſſime & fortiſſime Ducum, qui cunctos ſeculi noſtri triumphales Duces magnitudine animi, & perpetuo immenſæ liberalitatis ſplendore ſuperaſti? vnde hoc vnum tibi peculiare decus paucia conceſſum aut vſurpatum comparâris, ſcilicet vt poſt deuictos hoſtes humanitatis & pietatis iura tueri, totius elegantiæ ſtudia prouehere, ſubleuare virtutem, ingenia fouere, & clemētiæ laude potiri, nec obiter quenquam vel hoſtem diu miſerum eſſe pati condiſceres. Quòd ſi naturæ tuæ abſolutæ virtutis amore deflagrāti, vt tantum poſſes, quantum velles, Fortuna tribuiſſet, iam plerique magni Reges infra gloriæ tuæ gradum poſiti conſpicerentur. Hoc facilè nos ſingularum propè actionum tuarum vel bello vel pace præclari teſtes, exiſtimare, & cæteris confirmare poſſumus, ex religioſa hiſtoriarum fide, quas, freti conſcientia integri pudoris, cùm viuis ad oblectationē, tum poſteris ad exemplum edidimus. Quo fit, vt huius ſeculi iocundiſſimū Etruſci carminis Vatem non omnino fabuloſum exiſtimari velim, qui te Dauale Heroem atq; alterū propè Herculem æternis fortaſſe carminibus fecit, quum ex lepidiſſima fabula monſtrum horribile & truculentum, quod immanis auaritię nomen ferret, in Europa natum, diriſq; dentibus & peſtilenti habitu obuia quæq; vaſtantē decantaret; ad quod opprimendum honeſtiſſimi quiq; atq; fortiſſimi, inuſitatæ palmæ decus quærentes, vndiq; concurrerent. Sed pleriq; eorum vſque adeò feri monſtri aſpectum reformidantes, ita hæſerunt, vt in id eminus tantùm iacula contorquerent, congreſſuq; pauentes abſtinerent, donec ſuperuenēre



tres inclytæ virtutis impauidi bellatores, Leo ſcilicet decimus, Maximilianus Cæſar, atq; ipſe magnanimus Galliæ Rex Franciſcus. Hi oamq; vno tẽpore immanem belluá adorti, impotenter reluctantẽ prææltis vulneribus conſauciãrunt; ſic tamẽ vt ea cruento rictu reſurgere poſſe videretur, niſi opportuno ſuperuentu Daualus auratis in armis coóſpicous Heros, adacto per vitalia vehementi mucrone confeciſſet. Quod herclè inſigne ſpoliũ de monſtro tanquá de ſubacta auaritię tabie fortiter relatum inter tot toa Alfonſe maiorumq; tuorũ domeſtica trophæa, quæ de victis captiſq; Regibos penates tuos exornãt, nobilius, & ad famá quoq; perẽnius erit. Sed Daualum tantis præditó virtutibus, Fortuna auctæ felicitati, & creſcentibus honorib. ſamper infeſta vehementiſſimè perculit, qoũ ad Cereſolam ei ſperatę victorię decus eripuiſſet, egregiè ex aduerſo vinceotibus Gallis; vnde illi oó roto vertente anno ex oó dubio indignãtis animi dolore maturatus ſit vitæ exitus: quiotũ ſiquidem & quadrageſimũ agens annũ, in ſeceſſu Viglebsni oppidi podagra vexatus exceſſit è vita; nulla alia re protius felix, quàm vetere ſua gloria, & liberorũ ſummæ ſpai coóſpectu, fidelibusq; Inſubrum lachrymis, quũ intempeſtiuè bono publico ereptus tumularetur; qui moderatè ac humaniter, quantũ ſæua tempora tulerant, auſpiciis Cæſaris imperaſſet.

FAERNI.

Deſtituti flete ciues magnum Vaſti Principem,
Deplorate raptum vobis præſidem iuſtiſſimum,
Luctuoſa triſte funus proſequentes nænia.
Ille veſtra ſemper auxit ciuitatis commoda;
Ille ius & æquitatem conſeruauit publicam;
Inq́ ſæuis ſæpe bellis ſoſpitem vrbem præſtitit.
Quare mæſti flete ciues magnũ Vaſti principẽ,
Deplorate raptum vobis præſidem iuſtiſſimum,
Luctuoſa triſte funus proſequentes nænia.

PARTHE-

PARTHENII PARAVICINI.

Siſte gradum ſacrię, hoſpes decora alta ſepulchri,
Et molem ingentem, ſpoliię, inſigne trophæum
Haud mortale opus, & manes venerare beatos
Ipſe olim celebres Vaſti dum ſolueret vmbris
Inferias, meritóque Ducem decoraret honore,
Armipotens, Lybico, Gallóque ex hoſte recepta
Hæc ſpolia, hanc magnis ſacrauit manibus arã.
Tunc etiam perculſa graui Bellona dolore,
Turbataque effuſa comas Trisonia virgo
Funebrem ad pompã, exequiasę, ingentis alũnt
Conueniunt, & Martis opus dignumę, laborem
Concelebrant, luſtrantę, rogũ donisę, parentãt,
Tum lectos vrna cineres iam ritè peractis
Exequiis, pariter ſuprema voce ſalutant.

Inuicti, ô cineres, queis hactenus inclyta virtus
Auſonia emicuit, longè victura ſuperbas
Pyramidas fama, hæc vobis monumẽta dicamus.
Aeternamque aram, vobis decora omnia belli
Cedimus, & noſtros iam nũc largimur honores.
Hinc igitur cæco bellorum vrgente tumultu,
Ductores reſponſa petant, huc hoſte fugato
Sacra ferant, prædas, atę, arma hoſtilia figant,
Veſtraę, votiuis placent ſibi numina donis,
Hic pulchra virtutis honos, hæc præmia ſunto,
Hac Mauors, comitesę, duæ, pullatus Apollo
Excipit, & mæſta Aonidum cingente corona
Flebilibus reperit numeris, mox numine dextro
Ferrea concordes voluerunt ſtamina Parcæ.

Henricus IIX. Angliæ Rex.



VLYXIS ſocios (vt Poëtæ fecerunt) Circæis illecebris in feras mutatos quiſque facilè crederet, qui Henricum Octauum Angliæ Regem nouerit, & tragœdias eius aulæ, vaſtatique Britannici Regni incommoda perſpexerit vel audierit. Nemo ſiquidem ætatis noſtræ Regum aut forma corporis ſpectatior, aut altitudine eruditi ingenij nobilior, aut opum & virium magnitudine validior, aut denique (quod Virtutis atque Fortunæ munus eſt) ampliſſimis victoriis clarior atque celebrior fuit. In Gallia Gallicum nunquam ferè antea victum fuderat equitatum, & validiſſimas vrbes in Morinis & Neruiis ceperat. Scotos ſe abſente, & in continenti tranſuectis copiis bellum gerenti, Angliam adoriri auſos per Surreium Ducem ad Floddum interfecto eorum Rege, ad internitionem totius propè nobilitatis profligârat, & cum magna gloria præclaræ pietatis Iulium Pontificem, Gallorum oppreſſum armis euexerat, Clementemque item nefario impetu Cæſarianorum militum poſt euaſtatam Vrbem captum, piis armis adiuuerat, ſic vt inter Reges belli & pacis grauiſſimus diſceptator & arbiter haberetur. Sed malo quodam fato innatis demum tam nobile, tantiſque naturæ atque fortunæ bonis cumulatum & illuſtre ingenium, peſtilens Erynnis inferorum excita ſedibus. Inſano namque amore Rex ita percitus eſt, vt Catherinam vxorem, quæ Ferdinandi Hiſpaniæ Regis filia fuit, ipſiuſque Cæſaris erat matertera, repudiaret, vt Bolenis adamata in maritalem thorum duceretur. Verùm hanc adulterij & inceſtus ream, mortua iam Catherina, carnificis manu decollari iuſſit: ac tertio loco lectiſſimæ pudiciſſimæque Semeræ Anglici ſanguinis, regius thorus paratus eſt. Hac verò ex difficili puerperio enecta, Cleuenſem Sicambrorum Reguli ſororem quarto loco duxit. Poſt quam etiam repudiatam, quòd ad genium intentæ libidinis minimè reſpondiſſet, Hauardam Surreij victoria Scotica inclyti neptem duxit, quam poſtea quibuſdam veteris impudicitiæ criminibus circumuentam, capitali affecit ſupplicio, vt Pariæ, quanquam viro orbatæ, ſexto connubio iungeretur. Verùm hæc tanquam leuia Regiæ libidini & voluptati condonari poſſe credebantur, niſi tot repudiis, vxorumque cædibus Rex infamis à maiorum religione defeciſſet, Phiſerio & Moro, ſummæ virtutis & ſanctitatis proceribus, qui ſacrorum antiqua iura ardentiſſimè tuebantur, crudeliſſimè trucidatis; quorum hic erat Epiſtolarum magiſter, ille verò à Pontifice in ſenatum lectus. Nec multum inde inſania ſua præceps, in inuidiam atque odium Romani Pontificis, qui primæ atque legitimæ vxoris repudium ſeuerè fuerat deteſtatus, in templa graſſari cœpit; donaria, vaſaque ſacrata, antiquitùs altaribus dicata ſuſtulit, & conflauit, Cœnobia euertit, ſanctiſſimorumque martyrum oſſa & cineres ſepulchris eruta, in Thameſim amnem, aduehenda in Oceanum proiecit. Impotenter quoque ſacrorum effectus Princeps, ſacerdotiorum reditus & latifundia in fiſcum redegit, promulgauitque leges, quibus cuncta vel diuini vel profani iuris ad arbitrium reuocaret. Nec ſatis erat multorum opes occupare, niſi inauditam cogendi auri atque argenti ſitim humano cruore reſtingueret. Suſtulerat namque nobiliſſimos equeſtris ordinis proceres, quum modò auaritia inexplebilis, modò feruidæ libidines, modò ex ſcelerum iniuriis parta odia perpetuam accuſationum & damnationum materiam ſuppeditarent. Itaque pauciſſimis annis, ſecus ac antea fuerat, irritata tigride ſæuior, efferato lupo rapacior, fœta leæna rabidior, & ſiti exuſto dracone viroſior euaſit. Neque vllum omnino cœleſte numen repertum eſt, quod hæc latè ſerpentia mala compeſceret, aut vindicaret. Magno quidem humanorum votorum ludibrio, vel propterea quòd immanibus eius conſiliis ſinguli rerum euentus ſecundiſſimè reſponderent. Supremo namque bello Gallico poſt Hyberniam Inſulam rebellantem, armis perdomitam, Bononia vrbe ad Oceanum fortiter expugnata ſit potitus; & hunc quem è Semeria ſuſceperat Edoardum filium, Regni hæredem reliquerit, quem ex indole ingenij, ſpecieque oris Regale decus præferentem ſpectas, eadem in tabula iuxta patrem ſcitè pictum. Hunc Dij Deæque omnes ſeruent, ſi paternæ virtutis potius quàm ſæuitiæ atque impietatis æmulus eſſe velit. Cæterùm Henricus ſeptimum & quinquageſimum agens annum, gangrenæ morbo, qui ſiniſtrum crus atrociter exederat, poſtridie Calen. Februarias ſuccubuit; puero auunculum Semerum relinquens.

LAELII CARANI.

Clara velut magnum cognouit Roma Neronem,
Aſperitas cuius maxima in orbe fuit;
Secula ſic Regem aſpexerunt noſtra Britannum,
Qui pietate magis ſplenduit atq; magis.
Attamen hoc fatear Nero, te ſuperaſſe Britannum
Crimine, quòd diuos temnere non timuit.

PIRATÆ TRES TVRCARVM Inclyti Nominis.

Horuccius.



TRIAVS his tabulis ad veram effigiem repræſentantur duo Mitylenæi fratres; Hariadenus & Horuccius, quibus idem Barbaruſſæ fuit cognomentum, qui magna vi corporis atque animi ex Lesbo inſula piraticæ operam nauantes, & terra mariq; famam nominis fortiter atq; feliciter extendentes, ad magnas opes, atq; inde ad regale demum faſtigium in Mauritania conſcenderũt. Cæterùm Horuccius terreſtribus potius copiis, & nobilioribus auſis inualuit, quàm nauali diſciplina, quam penè totam Hariadeno fratri reliquerat, poſtquam ad Bugiam Numidiæ vrbem, dum arcem oppugnaret, tormenti ictu dextram amiſiſſet. Non demiſit tamen in ea calamitate animũ, vt qui ferrea manu ad cubitum religata, cum Numidis & Mauris regulis continenti bello ſeſe vehementer exercuerit. Verùm eius conatus, qui toti propè Mauritaniæ vſque ad Tremiſenios & Feſſanos Reges maximo fuerat terrori, hunc tulit exitum, vt ab Hiſpanis equitibus, qui Tremiſenio Regi auxiliares aderant, equeſtri fuſus prælio interficeretur, nequicquam longiſſimo curſu fuga per arenoſas ſolitudines extenta & effuſo paſſim auro, vt perſequentes diſtineret. Per hunc modum Hariadeno Algerij Regnum ceſſit. Is quidem par Horuccio fratri cùm animi magnitudine, tum immenſa vi corporis, & bellica virtute, ſed Fortuna aliquanto ſuperior.

Hariadenus Barbaruſſa.



Nam Hariadenus nauali inuictus diſciplinaq́, ita paucis annis potens, aſcitis ſibi prædonum audaciſſimis, & formidandus euaſit, vt vndiq; oram Hiſpaniæ atq; Italiæ, Inſulaſque ad vnum omnes Mediterranei maris impunè popularetur, & demum ex fama rerum geſtarum Solymanus virtutis cauſa, Othomanicæ eum claſſi præficeret: cuius imperio euectus & confirmatus, Muleaſſem Tuneti regnantem, & cum fratribus de Regno contendentē, aſtuta ſocietatis ſimulatione depulit; ſeq; Regem perdomito armis Tunetano populo impotenter effecit. Sed non diu tanto Regno lætatus eſt: nam Cæſar incomparabili virtute pietateq́; eum validiſſima claſſe numeroſoq́; militum & tormentorum apparatu aggreſſus, magno Chriſtiani nominis commodo & ſingulari ſui nominis gloria, ita expulit, vt multo maxima parte claſſis ſpoliatum, in fugam coniiceret; reſtituto ſubinde Moleaſſe certa pactione exigui tributi, quòd is regendis Africæ populis propter vetuſtatem imperij & Numidarum amicitiam potior haberetur, & Turcis prædonibus foret infenſiſſimus. Verùm Hariadenus tanta inuicti animi extitit fortitudine inter ea ſummæ calamitatis detrimenta, vt reliquam claſſem, quæ ad Hipponam ſubducta, ſemiq; demerſa fuerat, incredibili celeritate educeret, & Cæſarianarū triremium perſequentiū diligentiam effugeret; nec multo pòſt Byzantium proficiſceretur. Eum Solymanus vſque adeò ſereno vultu excepit, vt eum magnopere laudaret, conſolareturque; quoniā famæ iam pridem partæ ſatisfeciſſe cenſeretur, quòd nullis adiutus auxiliis, potentiſſimi Chriſtianorum imperatoris impetum ſuſtinuiſſet, atq; inde cum parte claſſis incolumis Algerij adhuc Rex ſe recepiſſet. Non enim claſſem neq; milites, neq; etiam

Regna,

Sinas Iudæus.



Regna, toties ſpectatæ eius virtuti vnquam defutura: extémploque eum, contrà ac pleriq; Turcæ proceres rebantur, conſeſſu ordineq; purpuratorum dignum exiſtimauit, oræq; maritimæ præfectum & Baſſam appellauit. Inciderunt demum grauiſſima bella, ruptis induciis inter Cæſarem & Franciſcum Galliæ Regem: qua de cauſa Galliam premente Cæſare, & Britannis in ſocietatem eius belli in continentem perductis, miſſus eſt Hariadenus cum ingenti claſſe, qui Gallo amico Regi opem ferret. Verùm ea claſſis terrori potiùs quàm magno vſui Gallis fuit. Nam Hariadenus Nicæa capta, arcem expugnare non potuit, hyemareque in Prouincia apud Tolonem coactus eſt, ſequentique anno vaſtata Etruriæ ora, atque Inſulis Ilua, Igylio, Ænaria, & Lippara immani populatione afflictis, Byzantium rediit, nulla re glorioſior, quàm quòd paulo antè ad Actium promontorium Cæſarianæ & Venetæ claſſis, cum ignominia noſtra fugientis puppes conſpexerit, & in Rizonico demum ſinu Caſtrum nouum paulò antè à Cæſarianis captum, terra marique fortiter adortus ita recepiſſet, vt ibi quatuor ferè milia veteranorum Hiſpanorum trucidârit. Cæterùm quum Byzantij tantis rebus geſtis apud naualia ædificandis triremibus multus incumberet, octogenarius ſenex, & multo grauis abdomine, venerique interdum indulgens, in morbum incidit lentioris diarrhœæ, ſic vt vitalis calor, crura femoraque ſenſim deſereret. Sed Iudæo medico tenellę ætatis pueros locis affectis applicante, aliquandiu labãtes ſpiritus vireſq; refouit; donec febris oborta eum extingueret, ſic vt Aſanem filium, quem Algerij Regem impoſuerat, ſuæ peculiaris claſſis & ſeruorũ, totiuſq; fortunæ ſuæ indulgente Solymano hæredem relinqueret.

At Sinas hic, cognomento Indæus, qui altero captus oculo, cum Barbaruſſa pictus cōſpicitur, nequaquam eandem fortunam, quam Mitylenæi fratres experti fuerant, fortius eſt, quanquam diſciplinæ naualis eſſet peritiſſimus, ſolertique præditus ingenio, prædonum prudentiſſimus haberetur. Ipſo quidem Hariadeno conſtantior in conſiliis, & moribus temperatior. Seruos enim mitiùs exercebat ad remum, & benigniùs alebat, vtpote qui valetudinem eorum benigniſſimè curaret, neque enecandos perpetuis flagellis exiſtimaret. Multam porrò ſyderalis ſcientiæ, nauigatoriæq; membranæ notitiam hauſerat, magnum vſum in agnoſcendis tempeſtatibus, de natura cœli & nubium, naturæque receſſuum & tempeſtatum maris perceperat. Quarum rerū opinione adductus Solymanus, eum Rubro mari, atq; Indico præfecit. Nam Turcæ paulo antea, Solymano Epirota eunucho duce, qui poſtea inter Baſſas electus eſt, intercludere Luſitanorum nauigationes cogitabant, quæ ex India aromatum merces in Europam aduehérent, magno quidem Memphitici portorij, & Othomanici vectigalis detrimento. Qua de cauſa Sinas apud Thorum atque Sueciam intimi ſinus Arabici portus, claſſem ædificabat, vt ea in Indiam proueheretur. Sed ſenem, Smyrnæ natū, durior Ægypti cœli inclementia tentauit, & celeriter extinxit eo exitu, vt ſe è vita felicem excedere putaret; poſtquam id ſuperi conceſſiſſent, vt Zabachem filium, Tuneti olim captum, poſtliminio ſibi redditum videret, & eius complexu potiretur. Huuc ad eum tanquam veterem amicum ſodalemque Hariadenus, à Populoniæ Regulo conceſſum, magni inſtar muneris, ad mare rubrum vſque miſerat.

PETRI ANGELII Bargæi.

Ecquis Protogenes, ecquis tam doctus Apelles
Hanc faciē, hac clara ſplendētia lumina flāma
Pinxit, & hos viua viuos in imagine vultus?
Nam (memini) ſic ipſe oculos, ſic ora ferebas
Inuicte Hariadene: acri dum milite ſeptus
Vrgeres hoſtem, & ſulcares nauibus æquor,
Vt durum, vt ſæuū ſpirat frons horrida Martē,
Vt cædem minitatur adhuc, vt viuida virtus
Quaq; arces, quaq; olim vrbes, quaq; ardua mu
Oppida diſiecit, q̃ regna opulēta ſubegit, (ris
Oſtentans ſeſe medio in diſcrimine belli,
Indicat aduerſas quantum contemneret iras
Fortunæ: quantis rerum verſaret habenas
Conſiliis, ſi quando aura impleuêre ſecunda
Carbaſaq; curſuſq; tuos, nec pectore magni
Defecêre animi, quanquam natalibus ortum
Obſcuris, quanquā maiorum exēpla ſequentē
Nulla: truces vt non ſceptro ſpoliare ſuperbo
Auderes, ipſoſq; ſua de ſede Tyrannos
Eiicere, & victis Lybiæ tua dicere Regnis.
Te te vnda tremuêre oēs, quas vltima Calpe
Aſpicit occiduas, vel quas proſpectat Amanus
Littora multifidus: nec non quæcunq; procellis
Inſula Ionio in magno tunduntur & Euris.
Quin etiam ipſa tuas olim Phæacia ſæuas
Deuaſtata manus ſenſit, quo ſemper e liberis
Dalmaticos multo tepefecit ſanguine campos.
Scilicet innumeræ tum vos toto æquore claſſes
(Proh pudor, & labes nullis abolenda diebus)
Fugiſtis fultum nec Diis, nec viribus æquis.
Ergo iterū Actiaca Phœbus miſeratus ab arce,
Ionios Italo perfuſos ſanguine fluctus,
Corporaq; Aegæis fluitantia vidit in vndis.
Nec fuit indignum ſuperis cepiſſe potenti,
Omnia tum primum dextra parere Tyranni:
Atq; hoſtem Auſonios ferro populare penates,
Noſtrarumq; vnum exitio ſe accingere rerum.
At tu magne Senex ne dira incendia mente
Concipe, néue in nos flammato pectore ſæui,
Illuſtres delere velis vt funditùs vrbes,
Argiuorū vrbes quondam decora alta tuorū.
Sic vicíſſe ſatis: ſat ſit ſumpſiſſe cruentas
Horribilem dextram victo de milite pœnas.

Franciſcus Primus Galliæ Rex.

HOc illuſtri planeq; Regio generoſæ frontis honore, atq; hoc cultu ſplendoreq; armorū, Franciſcus Galliæ Rex primus in aciem prodire, & dura Martis munera obire erat ſolitus. Hunc nemo Galliæ procerum vel excelſæ ſtaturæ proceritate, vel habilium ad arma artuum firmitate, vel impauidi & ſemper conſtantis animi vigore adæquabat. Nemo Regum candore animi, clementia & pietate anteibat. Nemo deniq; mortalium præalto viuidi ingenij lumine, & quod incomparabile in eo vidimus, expedita maximeq; tenaci, & rerum & nominū memoria ſuperabat. Summa ſiquidem in eum naturæ aſpirantis dona, ſuperi adeò cumulatè cōtulerant, vt certo & iocundiſſimo inſignium virtutū concurſu, haud dubiè felix poſſet exiſtimari, niſi eum tractantem arma Cæſaris, Fortuna ex profeſſo tanti belli paciſque artibus aduerſa, ſæpiſſimè fefelliſſet. Neque enim hæc, vti illi, virtuti fida comes eſſe voluit; ſcilicet ne obſtaret fatis Cæſari Italiæ Imperium deſpondentibus. In hoc tamen ſecundiſſimo ſuo curſu eadem Fortuna, quę perenne ſtudium in Cæſarem extenderat, tanquam certo pudore victa, id Franciſco præſtitit, vt ſaltem &li-

Franciſcus Primus Galliæ Rex.



& libertatem Galliæ ſibi cordi eſſe, tot aduerſis bellis oſtenderet, pararetq; ſubinde pacem reſtinctis vndiq; bellis, vt Fráciſcus ſua inuicti animi magnitudine proculdubiò felix moreretur. Quartum ſiquidem & quinquageſimũ natus annum extinctus eſt, quũ fortè ex nimia lactatione equeſtri, qua ille immodicè venabundus vtebatur, ei enatũ eſſet circa ſedem malignú vlcua, & ſenſim collabentibus viribuaignobili in vico; cui Rambuleto nomen eſt, Regũ nobiliſſimus defeciſſet; eo quidem tranquilliore abruptæ vitæ exceſſu, quòd Henricũ filium, qui iam cõſtantiſſimi bellatoris, & prudentiſſimi Regis præclarũ ſpecimen non vno in loco præbuiſſet, tanti Regni hæredẽ relinqueret, cũ bona etiam ſpe poſteritatia; quádo iam ex eo auitę indolis nepoté amplecteretur.

IOHANNIS BELLAI Cardinalis Pariſienſis.

Gratia, forma, decus, probitas, facundia, candor,
Religio, Charitum ſpes, amor Aonidum,
Ingenij atq; animi vis admirabilis, vnò
Cuncta hac tumulo, Rege iacente, iacent.
Fortuna eſt quicquam ſi defuit; hac age, vince
Errice, & reliquis æquiparato patrem.

IO. BAPTISTÆ POSSEVINI.

Effigiem Rex magne tuam, tuaq; inclyta facta,
Conſertus exculti ſcriptaq; voluminibus
Muſarum in templo, patrij prope littora Larij
Aeterna Iouius conditor hiſtoriæ;

Quodque ex te periit, fallax pictura reponit,
Quod viuit, viuum pagina fida facit;
Vt ſpectent oculis mirantibus ore nepotes,
Quæ decuſt terris, & dare iura mari;
Et ſimul annales rerum memorande tuarum
Franciſce, arrectis auribus excipiant,
Vt bello Heluetias viduaris ciuibus vrbes,
Quum tegeres molles prima iuuenta genas.
Vt fortes idem Inſubres, & Belgica Regna
Nomine penè ipſo debita Regna tibi.
Quà pater Erydanus violentis voluitur vndis,
Excuſſo impuleris ſubdere colla iugo.
Vtq́ urbem dominam, ſeptemq́ receperis arces
Excidio ex magno, ſeruitioq́ graui,
Acceptos tibi Roma Deos, ſanctóque Tonantis
Fungentem in terris munere, grata refert;
Quos tu pugnaci diuerſis partibus hoſti,
Terrorem incutiens obſidione leuas.
Tu latè Imperium proferi, tu prælia tentas,
Vt teneant fines otia tuta tuos.
Te non vlla acies, non terruit Amphitrite
Quum pareret gentes in tua damna nouas.
Impendere ferox à tergo negligis hoſtes,
Quos beat auriferi lucida lympha Tagi.
Non coniurato veniens Germanus ab Iſtro,
Cogit præcipiti te dare terga fuga.
Ergo tot ſpoliis non vno ex hoſte relatis,
Auertis patrio Barbara tela ſolo;
Nec tibi non magnam pepererant otia laudem,
Otia Pieridum dulcibus acta modis,
Quas primus patrias ad gentes, effera corda
Parnaſsi è ſummo vertice ducis ouans,
Deſpectasq́ artes, & humi ſine honore iacentes
Erigis, ô ſecli gloria prima tui.
Quare vos Regem tantarum in munere laudū
Carmine victuro dicite Pegaſides,
Vt qui vos claras in luminis extulit oras,
Veſtra ope conſpicuum tollat ad aſtra caput.

Ferdinandus Corteſius.

INTER Hiſpanici nominis inſignes viros, qui enauigato Oceano, adinuentiſq; nouis terris & populis, illuſtrem famam ſunt conſecuti, omnium (vti reor) clariſſimus enituit hic, qui aurato cinctus gladio, ornatusq; aurea torque, & pretioſa indutus pelle conſpicitur Ferdinandus Corteſius. Is Columbi Liguris, qui primus ſeculo noſtro ſtupenda nauigatione alterum propè terrarum orbem nobis aperuit, cogitationes propè inſanas prææalti ingenij, & placita naualis diſciplinæ ſolerter atque feliciter æmulatus, directo ad occidentem curſu, in vaſtum ſinum recuruantium ſeſe terrarum ad Septentrionem appulſus Mexicana regna, & gentes ingenio nihil à noſtris moribus abhorrentes, reperit. Profectus namque ab vltimo Inſulę Cubę promontorio, quod in occidentem rectà protenditur, & tropico Cancri ſubeſt, relictis ad læuam Iucatana & Coluacana inſulis, ad aduerſam intimi ſinus frontem applicuit, iuxta fauces ingentis fluminis, quod Panucum vocant. Ibi per interpretes Iucatanæ & Coluacanæ homines, quos anteriore expeditione adiuerat, didicit ea litora eſſe continentis, quæ molli flexu hinc Vrabanis litotibus annectitur, illinc verò ad Septentrionem vaſtiſſimo tractu his terris, quas nautæ Baccalauras vocant, ſe coniungit. In ea litorum plaga alterum ſe Iſthmum reperiſſe Verazanius Florentinus referebat, qui de ea regione peculiarem commentarium conſcripſit, & poſtea apud Darienem, dum curioſius nauigando naturæ abſtruſa planeque deſerta ſcrutaretur, à Canibalibus, ſpectantibus è claſſe ſociis, comeſtus eſt, ita vt non ſecus quàm in Vrabano Darienis litore, perſimilem Iſthmum in aduerſa hac ſeptentrionali ora naturam poſuiſſe ideo credendum ſit, vt per eos exterior Oceanus deprehendi poſſet, & fortaſſe nauigari; ſicuti Vaſco Nunio euenit, qui primus Iſthmum tranſcendere auſus, pelagum ad Perurana & Cuſcana aurifera Regna pertinentem, adinuenit. Neque enim dubium videri debet, quin ea æquora ad Arctoas partes vergentia, eius ſint Oceani, qui terram vniuerſam circumambiens ad Sinarum & Cathaiorum orientis oras, & denique ad beatas Molucas Inſulas obuertatur. Cæterùm Corteſius incolas blandiſſimis ſermonibus, & promiſſis, atque item muneribus ſedulò permulcēs, reperiebat eos, ſicuti in Iucatana & Coluacana vidiſſet, idola lignea atque aurea, variis ferarum & draconum effigiata formis, tanquam Deos colere, atque his placandis, noxiorum cruore ſacrificare, non abſimili ſuperſtitione, qua antiquiſſimos Druydas litare ſolitos, numinaque placare Cæſar ſcribit; ſic vt hunc ſacrificandi morem inhumanitatis atque ſæuitiæ plenum, olim allatum ex his terris in Britanniam, atque inde in Galliam manaſſe putemus. In mediterraneis porrò Corteſius perampla ditiſſimaque Regna Mexicanæ prouinciæ extendi ad occidentem audiebat, quæ hominibus ingenioſiſſimis, atque omnis elegantiæ cùm literarum & Muſices, tum mechanicarū quoque artium ſtudioſis incolantur; vtpote qui in morem propè noſtrum ædificent, & calce, gypſo, marmore vario, & ſectili lapide, fictilibuſque abundent; nec pictores deſint, qui cuncta coloribus exornent. Inceſſit Corteſij animo ingens cupido agnoſcendi ea Regna, quæ multo auro, argentoque, & pretioſis gēmis abundare, ſub æquatoreque ſita, ſingulari, atque ſaluberrima cœli temperie, & ſtupenda ſoli vbertate gaudere ferebātur. Nec voto defuit Fortuna: nam Corteſius aſtuto ingenio vir, vbi didicit eadem libidine,



libidine, qua apud nos Mexicanos populos inter ſe de finibus & de potentia armis decertare; ſeſe propinquiori Regulo aduerſus hoſtes eius, auxiliarem belliq́ue ſocium alacriter obtulit. Habebat enim ſclopettariorum & baliſtariorum haſtatorumq́ue exiguam certè, ſed egregiè validam armis atque auſis manum; & ſuper hæc (quæ Barbaris miraculo fuit) galeatorum equitum turmam. Neque enim his in regionibus quiſquam equum vidit. Itaque icto fœdere, Barbaris iuſſu Reguli cuncta onera armorum & commeatus humeris ſubportantibus, & curulia minora tormenta trahentibus, conſerta ſunt eo euentu multa prælia, vt Barbari hoſtes territi tormentorum bombis, equorumq́ue ſtupenda ſpecie, & multa paſſim cæde proſtrati; ſubactos ſe & planè victos faterentur, & in ius hoſtis Reguli vltrò deuenirent, & clementiſſimè reciperētur, ita ſcilicet conſulente Corteſio; vt amplificatis viribus, aſcitiſque ſecum amplioribus auxiliis, aduerſus Mutezumam potentiſſimum inter Mexicanos Regem, & in Temiſtitana vrbe, Venetæ vrbis in modum vndique pernauigabili, regnantem maturè contenderet. Idem fuit animorum habitus & armorum vſus apud populos Mutezumæ imperio ſubiectos. Nam ad equitum conſpectum obſtupeſcentes, proſtranteſque ſe ad tormentorum crepitum, conſertis demum manibus inulti cadebant; quod ligneis machæris & præfixis cornu iaculis, ſagittiſq́; harundineis, magna parte corporis nuda dimicarēt: eo quidem iniquiùs, quòd gladiorum & lancearū latas plagas horrerent, & equites vnum integrum Centaurorum ſpecie animal eſſe exiſtimarent; cœloq́ue à noſtris euocari fulmina, & à Diis benignè concedi aduerſus hoſtes arbitrarentur. His detrimentis atque miraculis Mutezuma terrefactus, ſe repentè dedidit, & ad Corteſij authoritatē cunctos Imperij ſui populos cōtulit: Sed poſtquàm ſe dederat, quòd deditionis pœniteret, excitare ruſſus ad rebellandum

ii

populares ſuos, & fugam parare diceretur, ei compedes iniectæ ſunt, quas miſerabili deformitate nihil tempore ntiùs & duriùs imponi poſſe Barbari eiulatu & lachrymis id ſignificantes oſtenderunt; quòd Rex Regum immenſæ Fortunæ faſtigium dudum tenens, ſeruilem contumeliám ſubijſſet, quam vt vindicarent quidam de populo, & vt Regem tanto eximerent ludibrio, in ſuperiorem porticum, vbi Mutezuma vinctus ſedebat, lapides conijcere cœperunt, fruſtra Corteſianis prohibentibus. nam Mutezuma caput ictus, paulo pòſt interijt, eique demum poſt multam & cruentam contentionem Corteſius ſuffragio multorum Regulorum ſuffectus eſt eo titulo, vt Cæſaris ſupremi Imperatoris ſe vices gerere profiteretur. Exinde vlteriora perquirere, quòd Mexicanæ regiones auro ſcatere, & gemmis atque margaritis abundare varijs percunctationibus; nec longè abeſſe Oceanum comperiſſet, nouam expeditionem ad occidentis oram maritimam ſuſcepit; eo quidem apparatu, vt non modò ſarcinarum & tormentorum onera ſecum ferret, ſed duos etiam myoparones certa ſoluta membrorum compage plicatiles, multiplicatis ſeruis comportari iuberet, vt his tentaret Oceanum, quem non amplius quingentis leucis abeſſe conſtabat. Ex itinere cuncti incolæ trahenti tormenta atque equites, expoſitis commeatibus paruerunt, atque omnibus officiis amicè collatis euntem ſecuti ſunt. Medio ferè itineris ſpatio conſpectus mons eſt altiſſimus, & in cacumine niuoſus Ætnæ Siculæ modò flammas euomens, & ignitos pumices eructans, atque inde ad Oceanum eſt peruentum, qui vaſtis dextri litoris anfractibus frequentes Inſulas oſtendebat, magna ex parte deſertas; in quarum vadis multi vrinatores deprehenſi ſunt, legendis conchis & vnionibus intenti. Exiſtimabat Corteſius ea æquora, quæ eſſent ſcopulis præpedita, nec leuibus nauiculis tutò tentari poſſet, obuerti in Orientem, famamque eſſe apud incolas, ad extremum Occidentem reperiri ingentes Inſulas omnibus aromatum atque vnionum diuitijs abundantes; ſic vt maximè lætaretur, quòd in occidua parte reperiri poſſe ſperaret nouum orientem, ſi maioribus nauigijs ea maria ſulcarentur. Igitur Corteſius latè explorato litore, notatiſque nemoribus, vnde materia ædificandæ claſſi cædi poſſet, Temiſtitan eſt regreſſus. Ibi Barbarorum templis ritè expiatis, Deo Chriſto & Deiparæ virgini ſolennes aras erexit, & Baptiſterium condidit. Nec ei admodum difficile fuit docilibus ingenijs veræ religionis cultum perſuaſiſſe, & ſacro fonte certatim ad eam cerimoniam accurrentes luſtrare, myſteriaque noſtri ritus ſingulis inſinuaſſe. Indigenæ ſiquidem aduenas non homines, ſed Heroes eſſe arbitrati, qui à magno numine in eas terras miſſi fuiſſent, à quibus ipſi verum Dei cultum & admirabiles artes, quibus perpetuò beati forent, benigniſſimè docerentur. Non eſſe ampliùs ipſis à quoquam finitimo hoſte vim & arma extimeſcenda, poſtea quàm inuictæ gentis præſidio terra marique tutiſſimi cuncta hoſtilia in poſterum contempturi, & perpetua ciuili pace gauiſuri viderentur; quòd Corteſius non dubio magni numinis nutu humanas actiones ad iuſtitiæ normam apto quodam ſeueritatis & clementiæ temperamento reuocaret; maleficiorum reos ad exemplum punire ſolitus, quum aliqui deprehenſi, more noſtro virgis cædi; alij reiectis in terga brachiis ex trochlea ſuſpendi quatique, alij inſertis in binas trabes cruribus in cuſtodia ſiti atque inedia torqueri iuberentur. Ampliſſimum enim carcerem ædificârat, qui liberæ gentis grauiſſima pœna putabatur. His inſtitutis & moribus vſque adeò Mexicani profecerit, vt quum Corteſius per concionatores interpretes multa de diuinis rebus & de Romani Pontificis authoritate Caroliique Cæſaris ſummi principis potentia atque virtute differeret, duo illuſtres gentis proceres publico decreto inſtructa legatione ad Cæſarem in Hiſpaniam, atque inde ad Clementem Romam vtrunque piè veneraturi mitterentur. Hos Romæ nos vidimus pari colore & coma & ingenij alacritate noſtris ſubfuſcis ferè perſimiles, quos Clemens imagunculas aureas dono afferentes ita remuneratus eſt, vt conueſtitos duplici veſte ſerica, equeſtri dignitate honeſtaret, biniſque bullatis baltheis cum totidem inauratis gladiis & pugionibus, atque item ſingulis aureis torquibus exornaret. quibus læti muneribus ad ſuos redierint, & multa (vti poſtea accepimus) de magnitudine Vrbis moribuſque & ceremoniis noſtrarum gentium retulerint. Exinde Corteſius domum Regij prætorij inſtar Temiſtitano in foro perelegauti ſtructura ex vario marmore ſculptiſque lapidibus ornatiſſimam, quam nonnulli Hiſpanorum Granatenſi Alambræ vel ob id anteponunt, quòd coloratis lapidum zonis admirabili ſpecie diſtinguatur, cohærenteſque habeat hortos, ſcaturientibus vndique per ſyphones & iocundè ſalientibus lymphis. Ipſa namque vrbs Temiſtitan circumfluam habet paludem, per quam longis pontibus continenti iungitur; vberrimoſque dulcis aquæ, quòd ſalſus ſit omnis ex palude humor, habet aquæductus, qui lapideis & tutis ciuium domibus in omnem vſum limpidiſſimas aquas ſuppeditant. Poſita eſt hæc vrbs medio ferè ſpatio inter tropici Cancri lineam & æquatorem. Cæterùm Corteſius non diu tantæ Prouinciæ imperio potiri potuit. Non ſecus enim ac antea Columbus, inuidia tantarum opum accerſitus eſt in Hiſpaniam, muneraq; gemmarum & margaritarum ſupra opinionem precioſa Cæſari dono dedit, à quo præmium retulit Vallij oppidi donum, quod ad eius poſteros tranſiret: ſucceſſorq; ei ſumma cum authoritate ad Mexicana Regna tranſmiſſus eſt Antonius Mendocius, Tendilij filius; qui vti eſt ingenio generoſo, optimiſq; inſtructo literis, & honeſtæ gloriæ

gloriæ auido, vlteriora profecto Regna atque exoptatum iter ad Molucas nobis aperiet. Corteſius verò in Africam ſecutus Cæſarem, Algeriano naufragio inſignem pretioſæ ſupellectili ſuæ iacturam fecit. ſeptennioq; pòſt, qui humilis Medelini oppidi ciuis, filius fuerat, (id eſt apud Anam amnē) munere Cęſaris illuſtris appellatus, apud Penates ſuós non planè ſenex fato conceſſit, paulo pòſt quàm nobis effigiem ſuá inter præclarás imagines in Muſæo noſtro collocandá miſiſſet.

F. FRANCHINI Coſentini.

Alcides lata multum telluris obiuit,
victor & ante alios clarus in orbe fuit;
Clarior Hernandus, nam plus telluris obiuit,
Plus maris, ignotos vicit & Antipodas.

Eiuſdem.

Liber vbi E[illegible]os deuicit belliger Indos,
Iuſſa dedit populis vt ſibi thura darent.
Hernandus [illegible] vt ſibi noluit aras,
Altera vbi eſt armis India victa ſuis.
Eſt igitur Baccho maior Corteſius; hic ſe
Abnuit eſſe Deum, vt fuit ille Deus.

Sigiſmundus Poloniæ Rex.



HVNC auguſtioris ſpeciem, quum ætate floreret Sigiſmundus Sarmatiæ Rex ferebat, inter noſtræ ætatis fortunatos Principes adnumeratus, ſi longæuæ vitæ & firmiſſimæ valetudinis commoda, cum diuturnitate imperij, quod ſemper ei incolume atque tranquillum ſtetit, ac illuſtrium cognationum claritudine computentur. Is enim à Caſimiro patre Regno accepto, alterum & quadrageſimum regnauit annum; octuageſimum autem paucis conceſſo leniore vitę exitu abſoluit; nullis profectò acerbioribus inteſtinis aut externis bellis tentatus, vtpote qui graui inſtituto ſecuræ domi paci obnixè ſtuduerit, & foris de barbaria infeſta arma temerè inferentibus, inſignes victorias retulerit, quum per legatos ſummæ peritiæ atq; authoritatis ſuperiorum temporum accepta detrimenta, redditis cladibus expiaſſet. Nam Tartari ad Socalum cum Polonis congreſſi, Roſſolanorum temeritate potius, quàm ſua virtute victores euaſerant, & Moldaui ad Ozocouiam Alexandri Regis exercitum profligârant. Conuerſa itaque Fortuna ad Sigiſmundum, Conſtantinus Oſtrogius Ruthenus, Tartaros æternos hoſtes apud Seluchum, atque iterum ad Viſnoueciam memorabili ſtrage edita ſuperauit. Idem quoq; Conſtantinus pari felicitate ingentem victoriam de Moſchis ad Orſam flumen iuxta Smolenchum eſt conſecutus. Cæterùm Moldauos Ioannes Tarnouius, inclytæ virtutis Dux, ita debellauit, vt Petrus ipſe Moldauiæ Princeps amiſſis Ducum & militum ſuorum primariis vulneratus, exutuſq; tormentis & caſtris, vix manus victoris effugerit. Hæc quanquam præclara multiplicis victoriæ trophæa Sigiſmundi gloriam in immenſum euehêrent, id tamen plurimùm ad ſummæ prudentiæ ſalutemque Regni nomen maximè pertinuit, quod conſtantiſſima fide pertinacique ſtudio, pacis & amicitiæ fœdera cum Turcarum Imperatoribus ſanctiſſimè coluerit, quanquam eum Chriſtiani Reges ſpecie pietatis & noui decoris propoſita, vt ſecum conſentiret atq; arma ſumeret, vehementer incitarent. Prouidebat enim Rex ſenex, vnico innixus filio admodum puero, ideoq; in capiendis grauioribus conſiliis nunquam præproperus & incautus, recaſura in ipſum tanquam periculo proximum Othomannorum arma, quibus niſi maximis & ſemper paratis copiis reſiſti poſſet; nec Polonis ſociorum longinqua auxilia, vt hoſti propinquo ad prædam expoſitis, expectanda viderentur. Ex ea quoque Turcarum amicitia Sigiſmundus non obſcurè ſe præmunitum atque defenſum aduerſus finitimos hoſtes intelligebat, quando ea eſſet Othomannorum vetus conſuetudo, vt ſocios in amicitiam clientelamq; receptos, aduerſus omnem iniuriam promptiſſimè defendant. Quorum vſque adeò grauis authoritas apud Tartaros, Moldauos & Moſcos valebat, vt quò minus ſe commouerent, & in Poloniæ fines incurſiones facerent, imperioſè deterrerent; & ipſe Sigiſmundus à Solymano honoris cauſa amicus & pater appellaretur. Regiæ ſtirpis ſtemma nequaquam altè à nobis repetetur, contenti Iagelonis Regis memoria, qui duos genuit filios, Ladislaum Polonici Regni ſucceſſorem, & Pannoniæ demum Hungarorum procerum accitu Regem creatum. Hunc victoria ad Nicopolim tumultuariè parta, cupiditate gloriæ elatum, & fœdera recentis pacis abrumpentem, quum iniquo fato in Bulgariam penetraſſet, Amurathes in Varnenſibus campis trucidauit. Huius frater Caſimirus Regnum ſuſcepit, Rex egregiè fortis, & de Pruthenis atque Germanis inſigni parta victoria celebratus. Hic plures liberos, Imperijque hæredes reliquit, vtpote qui rara felicitate quatuor Regum pater fuerit. Succeſſit enim ei Albertus, & mox Alexander; quum hic quinque, ille octo annos regnaſſent. Quibus demum ſucceſſit Sigiſmundus, quum Vladislaus quarto loco ei natus frater ad Bohemicum Imperium, atque inde Matthia defuncto ad Pannonicum tranſiuiſſet: & Federicus poſtremus tantæ ſobolis frater, purpurei galeri & Semarbtiæ dignitatis honorem à Romano Pontifice eſſet conſecutus. Habuit Sigiſmundus in matrimonio vxores duas, Barbaram Stephani Zapolij Tranſyluaniæ Præfecti filiam, quæ Ioannis Pannoniæ Regis germana ſoror fuit, ex qua Heruigem filiam ſuſtulit, Brandeburgenſi Regulo, Romani Imperij electori nuptam: ſecundo autem loco Sfortiani ſanguinis vxorem duxit nomine Bonam, quę ei hunc Auguſtum hodie regnantem peperit, & Iſabellam Ioanni poſtea Pannonię Regi nuptam, vt inde Regia proles Hungarico nomini pararetur. Itaque Sigiſmundus inter beatos proculdubio referri poteſt, poſtquam auo patreque Regibus editus, patruum Regem & tres fratres Regio diademate inſignes, atque item fratris filium & ſororis ſuæ fratrem Regem ſimul & generum vidit. Senio autem confectus aduocatis Regni proceribus Auguſtum filium ſibi ſucceſſorem decreuit, accuratiſſimiſque precibus commendauit. Nec multo pòſt leni tentatus morbo exceſſit è vita, eò etiam felicior, ſi pietatem Chriſtianam reſpicias, quòd ei ipſo die, quo Saluator noſter Deus Chriſtus Paſchali die ab Inferis reſurrexit, in cœlum emigrare contigerit.

MARTINI CROMERI Sarmatæ.

Ciuibus externiſq; mea eſt clementia nota,
Conſilium, grauitas, relligio, atq; fides:
Pax mihi cara fuit, tamē haud me impunè laceſſit
Theuto, Liuo, Moſc⁹, Turca, Scytha, atq; Getes.

Dauid Maximus Abyſſinorum Aethiopum Rex.



AETHIOPES cucullati Sacerdotes, qui poſt maximum Vaticani templum ſedem & delubrum habent, communi conſenſu eam ſui Regis effigiem veriſſimam affirmant, quam Petrus Aluares Legatus cum cruce aurea ad Clementem Pontificem detulit. Is poſtea nobis ex commentario Abyſſinorum regiones & mores explicauit, quæ omnia à nobis in Hiſtoriis ſuo loco ita diffuſe enarrata ſunt, vt nihil quod ad digniſſimarum rerum notitiam pertinere poſſit, deſiderari queat; qua de re, in exprimendo Dauide aſtrictiore vtemur Elogio, ne his faſtidio ſim, qui hiſtorias noſtras perlegerint. Hoc autem de eo Rege totius cogniti orbis longè maximo dici poteſt, quòd non modò Chriſtianæ religionis dogmata & cerimonias profiteri, ſed his propè Iuris ciuilis legibus, & vti nos diſciplinæ militaris inſtitutis, tot ſua Regna authoritate ſummæ iuſtitiæ tueri conſueſcat, eademque ei ſint iura in profanos & ſacratos ſacerdotes, quæ apud Romanum Pontificem vigent. Huic Dauidi proximè defuncto, quem vulgò Preteianem vocant, duo inſignia cognomenta contigiſſe, Abyſſini referunt; ſcilicet Atanadidinghil, quæ vox virginum thus exprimit, & Bellulgian, quod inæſtimabilis pretij gemmam ſignificat. Sedes habet non procul à Nili fontibus inter paludes eius ingentis amnis, qui irrigatione terras omnium ſolo naſcentium vbertate fertiliſſimas reddit. Vſque adeò autem eius Regna longè la-

teque extenduntur, vt finibus ab occaſu Atlanticum Oceanum attingant, introrſus Troglodi-tarum damnatis terris inſerantur, & ab Oriente ad Arabicum vſq; ſinum pertendant, vbi Aracocum portum Abyſſinos frequentare conſtat. Dauidi cæteriſque Regibus, quum in publicum prodeant, cæruleo tenui ſerico velare faciem, & ſiniſtra manu argenteam præferre crucem mos eſt. Mutare ſedes translatis tentoriis, & valida numeroſaque iuuentute noctu atque interdiu cuſtodiri ſolent. deferuntur lectica interdum aperta ſuccolantibus ſeruis. In conficiendo autem longiore itinere, mulabus quàm equis vehi malunt. Ipſe Dauid omnibus caſtimoniæ munditiis clarus, vxore vna contentus fuit; liberos ſuſcepit plures, è quibus natu maximus à Sellano Arabum Rege acie interfectus eſt, cuius acerbæ cædis dolor, quanquam egregie à fratre victore, qui improuiſam Sellano hoſti cladem intulerat, vindicatus videri poſſet. Dauidem tamen patrem adhuc ſtata ætate florentem ad mortem adegiſſe creditur; ſic vt Claudium hunc, qui hodie regnat, ſecundo natum loco Imperij ſucceſſorem reliquerit.

PETRI ANGELII Bargæi.

Expreſſam effigiem mira quam conſpicis arte
Hoſpes, & horrentem capitis mirare capillum,
Nigranteſq; genas, nigrantiaq; ora, manumq;
Inſpectas, tecumq; alto ſub corde volutas,
Quis ſit, & vnde genus ducat; quo magnus in orbe
Imperet, illuſtres nobis ponatur, vt inter
Heroas clari ſpectandus imagine Regis.
Hic ille eſt, qui iura dabat, legeſq; ferebat
Aethiopum populis media ſub ſydere Libra.
Tempore quo noſtræ ſuperato gurgite vaſto
Heſperidum terras circum, cælumq; profundum
Percurrêre rates, alióque ſub orbe parârunt
Imperium, iuuicti tremerent vt Cæſaris arma
Inſulæ Oceano in magno, regna inuia viris
Credita, & exuri radiis plaga Solis iniqui:
Scilicet audaces tum primum Atlasq; Garasq;
Valuáque & horrifico pulſatus cymbaba fluctu
Vltra anni Soliſq; viam ſtupuêre carinas
Ire, atq; Herculeis conuulſis æquore metis
Sulcare ignotas temerè vada cæca per vndas.
Tum quoq; Piſtriceſq; feræ, atq; immania Cete,
Monſtraq; præteritis non vnquam cognita ſeclis,
Horruerunt rapido volitantes flamine pinus.
Quin ipſi è cana prognatas Tethyde nymphas,
Pube tenus placido ſuperantes marmore nautæ
Videre. & membris immanibus Aegæona
Sæpe fatigantem terga horrida Balenarum.
Neptunumq; patrem, tumidis qui præſidet vndis,
Felicem orârunt reditum, ventoſq; ſecundos,
Et patrias certè remeaſſent vndiq; ad oras;
Ni genus crudelis ſylua inſediſſet iniqua,
Figere lethiferis hoſtem conſueta ſagittis,
Et miſeros toto palantes littore nautas.
Ah miſeros nautas, tam ſæua opprobria menſæ
Funderet, & raptos lentum torreret ad ignem,
Diráque diſſectis ſatiaret viſcera membris,
Atq; atro ingluuiem miſerorũ ſanguine fœdam
Paſceret, ac tepidos laniaret dentibus artus.
Tum verò ſi quis Smyrnæi carmina vatis
Legerat, & diuam Circem, ſæuoſq; Cyclopas,
Et Læſtrigonia portenta incognita terra
Riſerat, ignaro miracula prodita vulgo,
Ambigua didicit magno in diſcrimine vitæ
Docto aurem, certamque fidem præbere Poëtæ.
At non hunc tamen inſignis diademate clarum
Quem ſpectas, diri dirum genuêre parentes.
Non regio hũc mater magnorũ horrẽda Gigantũ,
Difficilemque aditu Regem, alloquióque ſuperbũ
Protulit hoſpitibus dias in luminis auras.
At culti Aethiopes gens fortunata Canopi,
Quæ ſæpe Oceanum, ſæpe Oceanitidas omnes
Numina magna maris, tũ Pana Iouemq; ſupremũ
Excipit hoſpitio, ac menſa dignatur honore.
Indigenam venerantur vti Regemq; patremque,
Scilicet his Nili fontes, quos viuida tellus
Imbibit, & magnũ fœcundat meſſibus agros
Suppeditant lymphas, dulces cœnantibus hauſtus,
Quas illi aſſiduè multo cum nectare potant.
Horum nulla fames & amor veſanus habendi,
Morbo infelici, triſtique cupidine mentes
Sollicitat, longa iamdudum in pace quietas.
At nos infauſti proles ſcelerata Promethei,
Inſanas vt opes miſeri cumulemus, & altos
Theſauros imis argenti aurique metalla
Viſceribus terræ effoſſis ſcrutamur, & ipſum
Vertimus heu ſæuis cognata in corpora ferrum,
Et conſanguineo fœdamus ſanguine dextras.
Iam iam igitur cũcti placidas vno agmine terras
Deſertis aliquando Aſia Europaque ruinis,
Victuri longumque æuum, & diuturna beati
Ocia ducturi, tanto ſub Rege petamus.

Muleaſſes

Muleaſſes Tuneti Rex.



PERAMPLVM in Africa Regnum, cæteriſque ab honore vetuſtatis, anguſtiùs tenuiſſe conſtat hunc Muleaſſem, quem celeberrima Cæſaris victoria nobis clarum, & inimicis eius fortuna miſerabilem fecit. Repetebat ipſe, vetuſtiſſimam Tunetani Regni originem ab his Pœnorum Regibus, qui ante ſexcentos annos ab aduentu Arabum totius Africę regiones, maritimaque præſertim Regna multitudine ſua, quæ inuicta armis extiterat, occupantes Mahometis ſectam vſque ad Oceanum, & Atlantica Regna protulerunt, vnde poſtea Almanſor immenſæ virtutis atque potentiæ Rex, cui Emiramolino cognomen fuit, à Mauroco clariſſima vlterioris Mauritaniæ vrbe ingenti auſu in Hiſpaniam traiecerit, & poſt deuictos multis prœliis vtriuſque Hiſpaniæ Reges, in Bætica Granatæ Regnum condiderit. Hic Muleaſſes magna vi corporis fuit, excellentiſque induſtriæ in omni exercitatione equeſtris diſciplinæ, ſed ingenio rapaci, ſuſpicioſo, & in omnem libidinem effuſè prono fœdoque, & quod immanius fuit, erga ſuum ſanguinem perfidioſiſſimè cruento. Nam Mahometis patris mortem acceleraſſe fraude Lentigeſiæ matris, & quoſdam è fratribus iugulaſſe; alios crudelem in modum oculorum luminibus priuaſſe ferunt, & quod ſupra nefarij criminis conſilia cùm ſibi tum populo Tunetano exitiale fuiſſe conſtat, Turcas prædones in Africam accerſiuit, portumque eis atque vrbem conceſſit ea conditione, vt eorum prædæ quinta parte potiretur. Rex erat plena quidem præſentis & opimi

quæſtus, ſed maximè inuidioſa, quòd communibus humani generis hoſtibus Tuneti tutiſſimus eſſet receptus. Per hunc modum quum piratæ Africæ litoribus inſiti, multa cùm Siciliæ atque Italiæ, tum Sardiniæ & Corſicæ, omnibuſque Hiſpaniæ oris detrimenta intuliſſent, claſſemque Hiſpanienſem intercepiſſent, ſeſe cum Hariadeno Barbaruſſa conſociârunt, qui Solymani ingenti claſſe ſubnixus, inſtructo inſigni dolo Tunetum occupare cogitauit, & fauentibus quibuſdam Pœnorum occupauit, eiectoque Muleaſſe, ſeſe Tuneti Regem conſtituit. Tum verò Cæſar ſuſcepta Muleaſſis cauſa, aduerſus Barbaruſſam bellum ſuſcepit, tanto apparatu, vt expugnata Guleta, quæ erat ad ſtagni fauces impoſita munitio, ipſoque demum Barbaruſſa acie fuſo, Tuneto poriretur, atque hoſtem fugientem magna parte claſſis exueret. Eo modo Cæſaris beneficio reductus Muleaſſes, ſeptem regnauit annos, nihil de antiquis moribus remittens, vel auaritiæ vel crudelitatis, vſque ad id tempus, quo Barbaruſſa à Solymano cum claſſe ad præſidium Galliæ Regis mittebatur. Huius tanquam veteris & formidandi hoſtis claſſem veritus Muleaſſes, eo conſilio ex Africa Neapolim venit, vt terreſtri itinere apud Genuam Cæſarem adiret, quòd maiora præſidia ab eo impetranda viderentur. Sed Cæſare Sicambrici belli conſiliis occupato, Neapoli ſubſiſtere iuſſus, amittendi Regni periculum, quod ab hoſte Turca Hariadenoque timuerat, à perfidioſiſſimo Amida filio inexpectatum ſubiit. Amida ſiquidem cunctis vitiis patrem imitatus, edita fama, quòd Muleaſſes apud Chriſtianos abdicato prius Mahometis cultu impiè deficiens, non multo pòſt morbo periiſſet, Regnum tanquam Rege patre orbatum occupauit. Quo nuncio perculſus Muleaſſes, filij perfidiam omnino armis vindicandam, repetendumque Regnum exiſtimans, tumultuarias Neapoli copias conſcripſit; Lofredioque Neapolitano Duce in Africam traiecit, & ad Guletam appulſus, vel deteſtante Touarre Hiſpano, Guletani præſidij præfecto, præproperus nimiſque raptus Regni deſiderio, & vlciſcendi filij cupiditate, ſublatis ſignis ſecundum ſtagni litus Tunetum ire perrexit, eo euentu, vt erumpentibus ex inſidiis Amidanis militibus, nullo propè negocio eius copiæ ex tyronibus confectæ, profligatæ ab equitatu omnes cum Lofredio Duce delerentur, ipſe vulnere accepto caperetur, cui Amida filius nihilo patre melior, oculos ignito ſcalpro expungi iuſſit. Eum tamen tanta calamitas tulit euentum, vt Amida aliquanto pòſt à patruo Regni poſſeſſione pelleretur; quo caſu Muleaſſes noui Regis, eiuſdemque germani fratris pietate carcere eductus, ad Guletam Hiſpanorum beneficio peruenerit. Nec multum inde diſcedens Muleaſſes Neapolim iterum traiecit, magnoque miraculo miſer Romam venit. Ibi tum nobis ex eius humanitate perdiſcere licuit, quæ ad hiſtoriæ noſtræ fidem pertinebant. Sed qui in diſciplinis Philoſophiaque ex dogmate Auerrois non mediocriter eruditus, vel in tanta miſeria pulſus, orbatuſque oculis, Regium faſtum prætulit, vt deductus ad Pontificem non aliter adduci poſſet, quàm vt genu tantùm exoſculato eum veneraretur. Tranſiuit demum ad Cæſarem in Germaniam, accuſauitque Touarrem furti, quòd depoſitam apud eum Regiam gazam, diſſutis culeis inhumaniter decimaſſet. Sed multa refellente Touarre, atque magnificè cauſam dicente, ita dimiſſus eſt Muleaſſes, vt Siciliæ præfecto alendus mitteretur, vſque ad id tempus, quo Andreas Auria & Ioannes Vega Siciliæ Prorex, Garziaſque Toletanus Neapolitanæ claſſis præfectus, expugnandæ vrbis Africæ negocium ſuſceperunt. Dum ea vrbs (olim Leptis parua, hodie Mahomedia à Barbaris vocata) terra marique à noſtris quateretur, adeſſetque Muleaſſes auditor ſtrepitus, potius quàm pugnæ ſpectator, antequàm expugnaretur, morbo interiit; vt aiebat, nihil à ſyderalis artis prædictione deceptus, quæ ſuo fato, & in Africa moriturum, ſed non exulem prædixerant. Deductum eſt eius funus frequentiſſimo Pœnorum omnis generis comitatu, ad Carouanam ſacroſanctam apud Barbaros vrbem, in qua inclytos Reges, & generoſos Numidarum Regulos tumulari mos eſt.

IOVII Iunioris.

Linque tuas rupes, & inhoſpita ſaxa Celeno,
Infandis Strophadum fixa diu ſcopulis;
Currite vos alia Harpya, furialia monſtra
Non Calais, Zetes non agitator erit.
Huc agite, antiqui renouetur fabula Phinei,
Atque iterum intactas polluite ore dapes.
Non erat Oedipodes, qui fœda ob crimina lucem,
Ipſe ſibi infenſis vnguibus eripuit.
Pœnorum ille fuit cunctis notiſſima labes,
Maurorum ille fuit peſtis & opprobrium.
Nec duro exilio factus miſer atq; ſuperbus,
Pontificis ſanctis oſcula dat pedibus.
Eruit huic lumen natus, vel numinis ira,
Illius vt fratres, & pater vltus erat.
Tu tamen his gaudes ſcriptis Rex Barbare, q; te
Poſſe diu credis viuere in hiſtoria.
Scribitur hæc aliis, nec tã impia facta ſequãtur,
Vtq; author ſcelerum in Tartara ſolus agas.

Pyrrhus Stipicianus.



HAc verè militari fronte, atque his ferocibus oculis, & inauratis armis, conſtantis pugnaciſſimique animi vim preſerebat Pyrrhus Stipicianus è Baleonæ familia; ſed Columniæ domui per clientelam inſertus, quum ſub M. Antonio atque Pompeio adoleuiſſet. Is nuper ſubitaneo erept9 morbo diſceſſit è vita, vt nouiſſimum inter imagines locum teneret, vſque adeò importunè, vt ei ſummus inter ſecundæ claſſis Duces, militiæ decus eriperetur. Erat enim ex multo vſu militiæ, opinione virtutis eò prouectus, vt ſe dignum militiæ honorem, quo virtus enireſcere poſſet, maturè conſecuturum ſperaret. Recentis ſiquidem obſidionalis coronæ decus retulerat ad Carinianum, ab Anchiano circumuallatus & obſeſſus; tanta vtrinque pertinacia, vt ille victor omnes ſpes proferendi imperij abiiceret, modò obſeſſo oppido potiretur; & ex aduerſo Pyrrhus, vel conſumptis omnibus alimentis priuſquam ſe dederet, extremæ inopiæ diſcrimen ſubeundum eſſe arbitraretur. Verùm lurida mors ex fame in proximo ſpectata, vtriusque pertinaciæ finem impoſuit. Deſperatis namque auxiliis, quas neceſſitas exprimebat, conditiones ab hoſte ita accepit; vt polliceretur Germanorum atque Hiſpanorum cohortes, quibus præerant Felix Archius & Sanmichaël Hiſpanus, intra quartum menſem nullam Cæſari operam nauaturas, atque ipſe continuò ad Franciſcum Regem in Galliam proficiſceretur. Hoc optima fide præſtitit Pyrrhus, quanquam Hiſpani occupato Brixello, pactionis fidem minimè ſeruaſſent.

Rex generoſo animo clemeotiæ laudem captare ſolitua, Pyrrhum humaniter excepir, & vti erat vel in hoſte præclarus virtutis æſtimator, ei apud ſe militare volenti liberaliora obtulit ſtipendia; ſed is Romani podoris plenus, de ſalute libertateque gratias agens, cuncta alia renuit, benigneq́; dimiſſus, ad Cæſarem contendit, qui tum in Belgis Sandeſirium oppidum expognabat. Ab eo Pyrrhos virtutis nomine Mortaria oppido, quæ eſt inter Ticinum atque Nouariam, donatus eſt; quanqoam ei grauiter Vaſtius ſuccenſuiſſet, quòd perpetuis eius obteſtationibua & precibos adductus, ad Ceresolam com Gallis confligere maturaſſet, vt extrema (ſicuti aiebat) ſame perdomito, & tot fortiſſimarum gentium cohortibua vix præ inedia effigies hominũ ſuſtinentibus opem ferret: cuius infauſtæ pugnæ caſum poſtea minus neceſſariom compertum eſt, poſtquam vel deſperatis auxiliis, per quadraginta amplios diea maiora etiam aoctioraque obſidioois incommoda pertuliſſet; ſcilicet vt effiƈta grauioris periculi neceſſitate, ipſius imperatoris diligentiam magis & magis excitandam potârit, graui cum diſcrimine vniuerſi belli. Verùm hæc Pyrrhus ita diluebat, vt aliquantum frumenti ab ſe cuncta perſcrutante, abſtruſa in ſcrobe nooiſſimè repertum diceret, quo ſe inſperato ſubſidio milites aliquandiu inediam toleraſſe faterentur. At Vaſtius eius rei excuſationem diſſimulanter excipiens, quòd pro ſua priſtina virtute neque ſibi neque voto Cæſaris ſatisfeciſſet, ad Cæſarem in Germaniam profectus eſt, vt ille de tota ratione atque euentu aduerſæ pugnæ certiùs doceretur. Eo autem animi habitu in Italiam rediit, vt eius prælij detrimento Cæſarem non obſcurè offenſum crederet, conceptoq́; inde inexpiabili dolore & morbo, vir alioqui magnanimos, vitam deſereret, & Pyrrhua Cæſaris munere lætaretur. Cæterùm Pyrrhus qui inſignem bello operam præſtare cupiebat, qoom hoootes militiæ apud Cæſarem præoccupatos eſſe conſpiceret, ad Venetos Italicæ libertatis iura tuentes ſe conuertit, apud quos magna eſſet minorum Ducom penuria, multis ſcilicet aut exauthoratis, aut fato ſublatis, inter qoos Valerius Vrſinua præpropera morte ereptus (vt erat omni dignus laude) ingens ſoi deſiderium illis reliquiſſet. Sed Pyrrhos dum miro patrum conſenſo militiæ adſcriberetur, vel multò virium robore validus, tridui morbom ſuſtinere oon potuit.

IOVII Iunioris.

Hunc cinerem, & magni ſaxum venerabile buſti,
Et nimis ereptum properè, è vitalibus auris
Heroa inſignem lachrymis decorate ſupremis,
Ingentemq́; animam mæſta ter voce vocate,
Heu pueres, quib. ardor ineſt, & gloria Martis.
Quis meliùs fera bella colat? venerãdaq́; iura
Militiæ? tu frange comas; & percute pectus
Ipſa tuum Bellona manu, validiq́; lacertis,
Enſesq́; & galeas, & forti haſtilia ferro
Diſiice deturbans, immitiq́; obrue ponto,
Quicquid in Aeoliis excuſſit Lemnius oris.
Ille per Elyſium, perq́; vmbriferas conualles
Terrenam exutus molem, noſtriq́; laboris
Secur⁹, veteres Phrygas inter, et inter Achiuos,
Romulidumq́; Duces, Romani ſanguinis ipſe
Nunc acres exercet equos, nũc agmina victor
(Paſſim pugnaci ſternens quæq́; obuia dextra)
Proterit, atq́; hoſtes cogit dare terga ſequenti:
Sed quid in Elyſio prodeſt victoria campo
Auſoniæ? quæ mæſta diu ſarcire ruinas
Hoc duce ſperabat. Cimbros non illa furentes,
Aut ſæuum duris Gallum extimuiſſet in armis
Obſidio, & rerum triſtis penuria teſtes.
Ille animũ inuictũ nũquã in diſcrimine ſummo
Deiecit, dum ſe crudeli traderet hoſti.
An ſe iactabit Caſilini gloria tantum?
Extremamq́; famem perpeſſa Petilia quondam?
Nũc gemat Auſonia (et certè hæc eſt ira Deorũ)
Vos manes gaudete pij, ſanctumq́; per altos
Fortunatorum ſaltus, ſedesq́; beatas
Ferte Ducẽ, celſumq́; humeris imponite veſtris,
Et tantam magno virtutem extollite cantu.

FINIS SEXTI LIBRI.

PAVLI

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI IN SEPTIMVM LIBRVM ELOGIORVM SVORVM

PRAEFATIO

Ad COSMVM MEDICEM Florent. Ducem.

NON miraberis candidiſsime Princeps, ſi complures qui ſuis ſeculis inſigni bellicæ laudis præconio floruerunt, hoc volumine prætermiſsi videbuntur: Nam ex profeſſo eos tantùm, quorum veras imagines nauciſci potuimus, appoſitis Elogiis exornandos arbitrabamur, vt in libro iam pridem à nobis edito de Viris literarum elegantium doctrina inclytis ſtudioſè ſeruatam eſt. Quamobrem iam mihi licet iure optimo veniam deprecari, quandoquidem in hac tot imaginum ſupellectile comparanda, per triginta amplius annos perpetua curioſitate incenſus, neque diligentiæ neque ſumptui vnquam pepercerim. Arbitrabar enim in hoc flexu ætatis & præcipiti ſenectâ, nullum omnino, abdicatis iam cæteris voluptatibus, vel honeſtius vel ſplendidius ſtudium fore (ſacrato præſertim viro) quàm iocundam, & negocio liteque vacuam, maximéque tranquillam vitam inſtituenti, paraſſe viris elegantibus apud Muſæum noſtrum peramœnæ delectationis voluptatem ac vtiliſsimum animorum oblectamentum, his præſtantiſsimis veræ virtutis exemplis, quibus hæc vita ſæpe anxia, & atri plena turbinis beatè compoſita, procul à moleſtiis & perturbationibus abduceretur. Cæterùm viuorum quoque Ducum; & regnantium adhuc Regum imagines ibidem ſpectantur, quibus ideo pleniora elogia ſuppoſuiſſe puduit, quòd (vt Poëtæ aiunt) vltimus vitæ dies iudicet de omnibus, nec quiſquam mortalium planè felix ante obitum dici queat. Præduri quoque, & odioſi ſit muneris viuentium mores publicæ cenſuræ ſubieciſſe; tanquam aliquanto certiore maleuolentiæ quàm præmij vel laudis ſpe. Quandoquidem apud multos hac tempeſtate parcè laudaſſe quàm maledixiſſe, tantundem ſit. In hos ſcopulos aliquando nos incidimus, quum Hiſtorias vel egregio fidelis ingenij temperamento perſcriptas ederemus. Verùm hæc eodem robore conſtantis animi ſemper feremus; quo grauiſſimi Operis negocium aggreſſi, eam tantùm ingenuo labore laudem tanquam ſecuriorem & pleniorem à poſteris potius, quàm à viuis, non obſcuro cum liuore, aliena ſæpe legentibus, expectandam eſſe cenſebamus. Cæterùm hic liber, qui viuorum Elogia continebit, illuſtri & uſtricto nominis tui Encomio claudetur; & optimo quidem iure, quum domi tuæ natus ſit, vbi conceſſo nobili ocio elegantiora ſtudia tuis auſpiciis refloreſcunt.

Vale.

ELOGIORVM LIBER SEPTIMVS.

Carolus V. Imperator.



SALVE ter maxime Carole Quinte Auguſte, à præclaro præcellentium virtutum concurſu atq; præſidio inuictiſſimi Imperatoris cognomen merite; quum apud cunctas propè gentium omnium nationes ſplendidiſſima ingentium victoriarum trophæa ſtatueris, vſque adeò felici euentu, vt tuam vim non modò Barbari Africæ, ſed ipſi quoq; Antipodes, quos victoria tua nuper aperuit, intelligant & admirentur. Quandoquidem incõparabili inuſitatæ virtutis tuę documento indomitę antèa Romanis, vlterioris Germaniæ gẽtes bello ſuperatę ſubactæq;, Maieſtati glorioſi nominis tui pareant, & tua ſigna vel ex longinquo etiã, trepidiſſimè venerentur. Quo fit, vt qui votis ritè conceptis, pro ſalute gloriaq; tua Superis ſupplicant, à te hoc vnum, quod eſt verè ſummum, ad dignitatem tuæ amplitudinis expoſtulent; vt poſtquàm, vti maximè pius non obſcura religione tangeris, de paranda communi concordia generoſè decernas, ſcilicet vt publicis piorum Principum armis egregiè auctus & confirmatus, Solymani inſolentiſſimi hoſtis fe-

ſtis ferociam contundas. neque enim omnino erit difficile inermem aciem grauibus armis protecto agmine perfringere, eius hoſtis, quem victrices aquilas reformidantem, & planè vertentem terga nuper ad Viennam conſpexeris.

IOVII IVNIORIS.

Deuictas Turcarum acies, Lybienq́; ſubactam
Milite Cæſareo victrix quum videris Arctos,
Vndantesq́; procul Pœnorum ſanguine campos
Proluit horrenti, quos Bagrada concitus vndis;
Quumq́; minor gentibus latis Germania terris,
Atque tuas totus ſub leges iuerit orbis;
Vndique te canimus vates ter maxime Cæſar,
Præſentiq́; tibi meritos largimur honores.
Hic te monſtrari populis gens Itala mauult,
Quàm tua ſi Parij ſublimis mole Coloſſi
Effigies medijs latè caput inſeras aſtris.
Nam lapides atque æra cadunt, quibus imber & ignes
Officiunt, longiq́; vorax iniuria ſecli.
At te olim CAESAR *cæleſtia tecta tenentem,*
Complentemq́; tuo felici nomine terras;
Et tum etiam Lybiæ populis, Turcaq́; timendum
Ante alios longè mirabitur alta vetuſtas.

Ferdinandus Rex Romanorum.



ET TV quoque Ferdinande Imperator designate, Regiis multis virtutibus Cæſari germano fratri par, ſed fortuna inferior, bonitati liberalis ingenij tui magis ac magis innitere, vt hanc rerum dominam tibi concilies, atque inde ſicuti præclarè optimus Regum omnium, ampliſſimus etiam fias. Neque enim ſat eſt clementem, pium, liberalemque fuiſſe, niſi bona ſors æquiſſimis conſiliis tuis arrideat. Sors quidem, quæ omnia verſat, & vti lubet, cæca libidine dare cuncta, & eripere conſueuit. Adiiſti quippe Pannonici Regni hæreditatem, quam legitimo iure cupiebas, quòd id Regnum Rege orbatum vetuſtis & nouis fœderum legibus Auſtriaci ſanguinis ſtirpem reſpiceret. Sed ius omne, quod præclarè tuum eſt, immanis Barbarus ſic interrupit, vt nouum hominem quorundam Hungarorum Procerum importuna aſſentatione, è Præfectura Tranſyluaniæ prouectum, beneficiarij iuris nomine Pannoniæ Regno imponeret, & à te demum felicibus armis profligatum, in contumeliam Germanicæ authoritatis reducendum tuendumque ſuſciperet. Quod videri poterat ex dignitate Othomanici nominis confirmare clientem, & Chriſtiana ſimul arma toties à maioribus ſuis victa contemnere. Huic namque ſeculo fatale fuit, vt noſtrorum Regum animi veræ pietatis obliuiſcerentur, exitialique inſania inter ſe peruicacibus armis diſſiderent: ſcilicet vt Barbaris veris hoſtibus ſterneretur via, qua illi nemine iuſtis viribus obſiſtente in viſcera noſtra penetrarent. Itaque virtuti tuæ tuisque tantùm opibus innixo, non inane modò, ſed funeſtum ſemper fuit, cum rabida, immenſarúmque virium præualida bellua colluctari, eritque ſemper & miſerum nobis & luctuoſum, niſi Cæſar frater tanquam alter inuictus Hercules, opem ferat. In dextra namque eius tam forti, quàm felici præclarè ſita eſt ſpes omnis parandæ incomparabilis glorioſæque victoriæ, ſi æquam pacem piis Regibus religionis amore dandam cenſeat; hiſque in ſocietatem aſcitis, eorum copiis atque opibus vti velit; ſicuti Maximilianus auus tuus, ſummæ virtutis & pietatis Imperator ad propulſandum tollendumque publicæ ſalutis periculum opus eſſe ſapientiſſimè decernebat.

IOVII Iunioris.

Te quoque nubiferas, quà Larius alluit Alpes,
Tot claras inter Regumq; Ducumq; tabellas
Littore Lunato Muſæa Palatia ſeruant,
Spectandum populis Rex auguſtiſſime Regum.
O' verè egregium cunctis decus addite terris,
Quàm bene Pannonij cura eſt tibi tradita Regni,
Scilicet vt Duce te, noſtris quandoque ſuperbum
Finibus arceri ſperemus poſſe tyrannum;
Qui velut immiſſus ſyluis arentibus ignis
Quum furit, inſano Borea ſpirante, per agros,
Corripit è medio crepitantibus omnia flammis.
At tibi nec virtus, ſpectataq; dextera bello
Defuerit, tandemq; tuis, ſic auguror, auſis
Conuerſo felix ſtudio Fortuna fauebit.

Henricus Secundus Galliæ Rex.

DIVI Diuæque omnes te ſoſpitent, magnanime Henrice, & paternæ virtutis æmulum faxint, modò illius totum inique ſortis omen auertant. Ex aliis namque Fortunam diſces, quàm non longè ſemper ab inuicta virtute tua abſuturam experieris. Quandoquidem quæ optimo conſilio prouideri queant, & Regnis tuis præſidio atque ornamento ſint, initio ſtatim Principatus ſtatuenda cenſueris. Primùm enim omnium ærario, cuius opibus cuncta belli & pacis munia conſtant, ita cauiſti, vt Quæſtorum impudentes prædas ſuſtuleris, & totius propè venatorij ſumptus luxuriem moderata lege correxeris, ita vt Agricolis in ipſa Regis voluptate minimè ſit lugendum; & quod integri tui pudoris eſt, apud aulam licentiæ muliebris intemperiem caſtigâris tanta verecundiæ cura, vt matronæ omnes perilluſtri Reginæ exemplo (hæc enim lectiſſimis pudicitiæ moribus gaudet) ſui perſpicuæ famæ decus reſpiciant, & ſolis nobilioris elegātiæ munditiis extra ſuſpectas dubij pudoris illecebras, pudici nominis laudē tueantur. Iuſtitiam porrò tanta ſeueritate colendam inſtituis, vt nihil apud Iudicū collegia promercale, nihil apud Equitum ordines corruptum, & nihil denique in cauſa religionis deprauatum, vel piaculo ſuſpectū, vel vlla ex parte ſupinè neglectum eſſe patiâre. Nec miru eſt, ſi hos mores in te iuuene veneramur, atq; ſuſpicimus; poſtquam (quod eſt grauiſſimi & ſaluberrimi iudicij tui munus) toti ſummæ arcani conſilij præfeceris Carolum Lotharingię Cardinalē, ſingularis innocētiæ, pietatis atq; prudentię hominem, à te propter fidem induſtriamq; mirificam in minore fortuna delectum. Quod verò inſtauratæ florentisq; militiæ intereſt, ipſum Annæum Memorātium, è villa ſua Centellia, vbi fœmineis delationibus ac artificiis preſſus importuno Reipubl. tempore iacuerat, in aulam euocaueris, quòd nemo eo ſobrij conſtantisq; iudicij grauitate, aut perpetuo armorū vſo

caſtrenſium



caſtrenſiumque rerum notitia, tuendæ Galliæ, & proferendo imperio Dux potior, atque præſtantior exoptari poſſit. Itaque macte tua iam bis cùm in Alpibus, tum in Belgis ſpectata virtute pernobilis Rex, perge vt cœpiſti, & virtutem, & pietatem cole, vt Fortuna pudore victa, fortibus auſis tuis arrideat.

BENEDICTI VARCHII.

Quid Regem verè Regem, lateq́ potentem,
Præſtantem bello Regem, ſtudiiſq́ Mineruæ
Inſignem addeceat, ſi ſcire Henrice laboras,
Henrice Francorum decus, & noua gloria gentũ,
Non alius quiſquam citiùs, meliúſue poteſt te
Patre docere tuo, magnum bene conſule patrem,
Patrem imitare tuũ, quo nullus tempore in omni
Omnibus in rebus maior fuit, aut erit vnquam.
Ex illo virtutem omnem, verumq́ laborem,
Fortunam ex alijs tantùm, dediſcere memento.

Chriſtiernus Daciæ Rex.

QVIS neget te, Chriſtierne mortalium immaniſſime, nequaquam ex merito nefariæ crudelitatis dantem pœnas, non quidem à Fortuna, quæ ſæpe incari, neque diu conſiſtere ſolet, verùm ab ipſo magno numine certiſſimo ſemper vltore ſcelerum, tam diu carceris calamitate fuiſſe mulctatum? Non enim humano partu in hanc editus lucem, ſed à monſtruoſa terrificaque bellua (vti tuus ſæpe fert glacialis Oceanus) natus & educatus inter Balenas & Orcas exiſtimari potes. Hanc ſiquidem ſtirpem



fateris inſidioſis vipereiſque oculis, effera fronte, portentoſiſque dentibus, & horrida barba humano cruore delibuta, qualem Anthropophagi Canibales apud Indiam noui reperti Orbis ſtare dicuntur. Non eius vtique Chriſtierni Regis ſanguine progenitus eſſe potes, qui vti erat egregiè pius, religionis cauſâ aliquando pedibus Romam ierit, vt ſacroſancta Altaria pietatis plenus inuiſeret, & Pontificem ſacrorum Principem veneraretur, muneraque venerationis eximiæ in patriam referret, quibus tu ſceleſtiſſimus nepos potirère. Deſciuiſti ſiquidem impiè atque arroganter, non quidem à Romano Pontifice (quod fortaſſe ferri poſſet) ſed à Chriſto ſuperiſq; Diuis, vt te innocentiſſimorum Sacerdotum ſanguine cruentares, ſacrorum Aras euerteres, Templorum donaria diriperes, & denique vti immanis parricida, humani generis odium parares; ſcilicet vt totius Daciæ, Gothiæ, atque Nouegiæ populi, monſtrum ſibi regnare, non hominem indignantes, publica conſpiratione rebellarent; teque eiecto, Chriſtianum te & nomine Regem, pro impio ſibi deligerent, à quo perpetuis vinctus catenis, tanquam indomita bellua clatrata in cauea ſeruauêre. Dignus profectò omnibus tormentis atque ſuppliciis, & nece turpiſſima, niſi honos qui Cæſari tibi ex matertera coniuncto, plurimus deberetur, & Chriſtiernæ filiæ tuæ inſignis pietas, quæ matri quàm tibi ſimilior euaſit, infelicibus Sfortiano & Lotharingio connubiis clara, te adhuc atroces retinentem ſpiritus, & tetro carcere pœnas dantem ſeruauiſſent.

PLACIDII Placentini.

Terrificã hanc effigiẽ, hũc horribilem tyrannum; | *Ad Stygios qui reboat perſimilem feroci;*
Dedecus hoc & Daniæ, dentibus ijs trifauci, | *Sanguinis hoc denique ſacri cupidum ſepulcrum,*

In

In tabulis (credo equidem) non meminiſſe fas eſt,
Ni monumentum veluti perfid a efferatur.
Ingenium ſcilicet hic exuerat benignum,
Et velut ante jua manus iam voluit Gigantum,
Dum nequit alte officere hic cælicolûm tonanti;
Inſequitur, ſæuit, & almos necat (heu) miniſtros:
Templaq́; ſacris vacuat tum ſpolijs profanus.
Et niſi qui fulmina torquet, populos ſubactos
Enſibus ac corde fero cogeret in tyrannum,
Spiritus huic terribilis iam ſolium locaſſet,

Solymanus Turcarum Imperator.



SOLYMANO ex re feliciter prouiſa, cui euentus reſponderit, nomen obueniſſe elegantiores Turcæ aſſerunt, ſecus ac patri contigiſſe conſtat, qui à contrario ſenſu Selymus, hoc eſt, manſuetus & lenis, authorque pacis ſit vocatus, quo nemo Othomannorum Principum ingenio ferocior, & ad ſæuitiam pronior, & denique bellicoſior fuerit. Nam ſi memoria repetamus vtriuſque res geſtas, quas in Hiſtoriis enarrauimus, plus certè cruoris effuſum fuiſſe fatebimur per octo annos, quibus Selymus imperauit, quàm his triginta quibus Solymanus Imperio potitus eſt. Hoc verò nomen Salomonem Moſaicis annalibus Regem, ſapientiæ gloria inclytum immutatis ſyllabis refert. Sed Solymani, ſi comparare iuuat, res geſtæ, paternæ famæ nomen æquaſſe cenſeri poſſunt, ſi numeros & pondera victoriarum æqua lance expendamus. Recepta namque Syria, interfecto Gazelle, qui rebellârat, & Belgra-

dom Pannonię propugnaculum cum ignominia Chriſtiani nominis fortiter expugnatum; Rho-
dus manu capta; trucidatus in acie Rex Hungarus; Boda vrbs Regia bis occupata; Auſtrianoe
exercitus ad Excchium fœda in fuga cæſus, atque deletus; Rocandulphi ingentes copiæ ad Bu-
dam expugnatia caſtris ſuperatæ; contemptusque demum atque repulſus ad Peſtum Germa-
norum exercitus; & expugnatum in oculis Strigonium, & Alba regalis eo victoriæ curſu in po-
teſtatem redacta, & paulò antea Hiſpani in Dalmatia ad Caſtrum nouum ſtrenuè expugnati,
cæſique: &, quod fœdiùs nobis accidere oon potuit, noſtræ claſſes, quæ inſuperabiles videren-
tur, ad Leucadem in fugam coniectæ, Solymanum profectò neque patri auſu imparem, neque
prorſus inertem, aor gloriæ minus auidum teſtabuntur. Quòd ſi eius victorias ad Orientem
partas computemus, Aſſyriæ & Meſopotamiæ Regna cum Babylonia, clariſſima Orientis vrbe,
& magnæ Memphi proculdubiò æquanda, Othomannico adiecta Imperio, captæ Ægypto op-
poni & comparari poſſunt: & qood ad gloriam attinet, euaſtati maioris Armeniæ, Mediæ, Per-
ſidisque fines vſque ad ſinum Perſicum, captomqoe bis Tauriſium Perſarum Regia, omnibus or-
namentis ſpoliatum, nónne Tammaſum Hyſmaëlis filium refogientem ad montes, neqoe con-
ſiſtere, neque acie congredi auſum, ſe planè victum cooſiteri coëgerunt? Superi itaqoe Solyma-
no eam mentem tribuant, vt perpetuo bello vexandum Orientem, appetendamque Indiam cen-
ſeat poſtquam nos totacceptarum cladium minimè podet; nec ex communi coocordia de ſacro
bello cogitamus, dummodò hoſtis auerſi beneficio pace frui liceat, quum huius Solymani vires
eleuare, noſtras iactanter efferre, eios mores ineptè carpere contendimus. At ipſe Turcis eius cer-
tè erit (vt illi fatentur) ſupra cæteros Othomannorum Principes, qui per ducentos regnâriot an-
nos iuſtitiæ, ſobrietatis, & continentiæ laude clariſſimus, quum nulla impietatis atque ſæuitiæ,
ſed multa religionis atque clementiæ monumenta Muſtaphæ filio iam plaoè viro & nobis for-
midando æmulanda proponat.

IANI VITALIS.

Otia quem nunquam tentârunt mollia, quē non
Delitÿs fregit deſidioſa Venus.
Regnatorem Aſiæ Solymanum en aſpice quiſquis
Scyllæam ignoras terribilem ingluuiem,
Aegyptum ille inhians, inhians Indosq́, Getasq́,
Pannoniaq́, arcet, indomitámque Rhodum
Vi magna aggreſſus rapuit, te vindice Cæſar
Euaſit rabiem ſola Vienna ſuam.
Et nunc immitis fœta truculentior Vrſa
In latebris fingit funera noſtra ſuis.
Interea dum nos vigilantes ſtertimus, ille
Inſomnis, nobis integra Regna vorat.

Andreas Auria Claſsis
Præfectus.

DIV te ſoſpiteot cœleſtia numina fortunate ſenex, aſſertæ in libertatem pa-
triæ ſupremâ gloriâ inclyte, perpetoe & inoicte Prædonum hoſtis, & multis
mari partis victoriis celebrate, Dij ſuperi, inquam, ſeroent, & in hoc viuidæ
ſenectæ robore ſiſtant. Ad præſidium namque oræ maritimæ Deorum im-
mortalium beneficio natos exiſtimaris, qui vnicus cœli nubiumque ſpecta-
tor, oaoalis diſciplinæ arcaoa huic ſeculo propalâſti; vt doceres quibos artibus
& irati maris contumeliam, & ſæuientis Aeoli minas contemnere poſſent, qui
hybernis etiam tempeſtatibus ſe fortiter committere audeant. Hoc tibi ſupremi laboris supereſt,
vt pro tua vetere virtute, vigilantia, pietate, patriam, quam abolitis veterum tyrannorum nomi-
nibus, verè liberam opiboſque florentem feciſti; parta ciuium coocordia, diu ſerues, incolumém-
que & bene fortunatam ſaxis.

IANI VITALIS.

Quem ſpectas barba horrentem, ſæuúmque tri-
dentem,
Imperium pelagi magna ditione tenentem
Aurius eſt; non ille modò Lybiaq́, Aſiaq́,
Piratarum horror, & formidabile nomen,
Sed terræ decus Auſoniæ, & noua gloria Mar-
tis.
Hic patriam longo concuſſam turbine belli
Firmauit pace, & ciuiles ſuſtulit iras.
Illum grata ſuum, Ligurum Reſpublica ciuem



Et pietate grauem, & meritis ingentibus, inter
Delectos Proceres quos illa ab origine prima,
Excoluit celebrem æterno ſacrauit honore,
Et Iouius tabulam virtutis dedicat ergò.

Tammaſus Sophi Perſarum Rex.

MAGNO Hyſmaëli quatuor filij fuerunt: Tammas, Helcas, Becram & Somirza: ſed hic Tammas communi iure gentium, quòd eſſet natu maximus, Regnum excepit. Verùm non eadem felicitate, qua pater (quanquam iiſdem propè artibus id regeret) aut proferre, aut tueri potuit. Intempeſtiua namque fratrum æmulatione vexatus, & à Parthia Hyrcanorum laceſſitus armis, Othomannica arma non diu tulit, quum Solymanus intellecta occaſione, è Comagene in Meſopotamiam effuſis ingẽtibus copiis totam eam regionẽ, quam hodie Diarbecham Barbari appellant, quatuor claris vrbibus, & ſingulari copiarũ omnium fertilitate nobilem occupaſſet. In ea enim ſunt vrbes Byrtha apud Euphratem, & ſecundùm eam introrſus Cara, Amida, & Moredinum, & Orpha, quæ Edeſſa fuit, & quæ eſt ad Tauri radices Bithelis. Exinde Solymanus Syriæ, Iudææ, & Ægypti Satraparum auctus copiis, Aſſyriæ Regnum inuaſit, & Babyloniam Alexandri Magni & Reginæ Semiramis memoriâ claram, immenſa cupiditate ex tam facili victoria adiit, & in deditionem accepit, vt inde expeditus atque terribilis ad Tauriſium æquata Selymi patris celeritate contenderet. Tum verò Tammas, quòd viribus eſſet inferior, ad montana aſperaque loca ſe ſubducens, & ſubitis incurſionibus venturi, & prælio



certaturi famam præbens, ita Solymanum ſpe pugnæ fruſtratus eſt, vt decedentē, & pabuli preſ-
ſum inopia, iiſdem veſtigiis inſequeretur; adeptusq; eius nouiſſimum agmen ad Bithelim vrbem
Tauro ſuppoſitam, quum Turcæ propter effuſas niues multis afflictarentur incommodia, eorum
caſtra per Delimenthem impigrum Ducem noctu adoriretur, & maximè cruenta cæde ſemiſo-
pitos obrueret. Ea clade Solymanus, qui Cara Amidæ ſubſtiterat, dolore perculſus Byzantium re-
diit, vſque adeò ſibi iratus, vt ſperati triumphi publicæq; lætitiæ apparatum omnem reiiceret, vl-
turumq; contumeliam iuraret non priùs ſe cœpto bello finem impoſiturum, quàm Hyſmaëlis pro-
geniem (vti Selymus pater, & auus Baiazetes ſtatuiſſent) funditùs excinderet. Hæc ſiquidem odia
cùm ipſa nouæ religionis diſſenſio, tum antiqua ſimultas à proauo Mahomete cum Vſſumcaſſane
concepta, in immenſum extenderant. Ferebatur quoq; Tammam, quod maximè Mahometanis e-
rat odioſum, per mutuas legationes cōcitare Carolum Cæſarem, vt Turcis in Oriente occupatis,
Pannoniæ & Græciæ, terra mariq; inuadendæ occaſionē arriperet. Tammas quoq; aliud ſubiit in-
commodum: nam ab eo Helcas germanus frater ad Solymanum Byzantij agentē tranſfugit; cuius
hortatu renouatum eſt bellum, quo Helcas vt perfidiæ, aut ſtulti conſilij pœnas daret, quū ſe bello
Ducem profiteretur, non longè à Balzera, quę eſt Emporium Perſici ſinus, interceptus eſt, eo ſuc-
ceſſu, vt Tammas adhuc reſpiret, & accerſitis in auxiliū ab Indico Oceano Luſitanis aliquot ſclo-
petariis, locorū opportunitate ſe defendat. Ipſe roſeo vultu & alacrib⁹ oculis, dignā Imperio faciē
præfert, & inter Perſas, quod maximè decorum eſt, equitandi & ſagittandi peritiſſimus habetur.

LAELII CARANI.

Regali Tammas Perſarum ſanguine cretus
Hic eſt, quem roſeo pinxit Natura colore,
Quem Venus ambroſia conſperſit odoribus, arma
Quem Mars bellipotens ſimul & Tritonia virgo
Munere

Munere bellorum, ſæuis inſtruxit & armis,
Qui quamuis odio fratrum vexatus acerbo
Hircanuq; armis, claris haud benefacta parentis
Aequârit, tamen audaces expellere Turcas
Eſt auſus, quorum tepefecit ſanguine terras.
Hic vbi iam niueo Tauris ſplendore coruſcos
Frigoreq; algentes nocturna ſtrage fugauit,
Retulit & magno claros ex hoſte triumphos.
Immanis ſummo perculſus Turca dolore,
Proſtratas acies cùm cernit milite Perſa,
Sic proprias repetit ſedes, & corde querelas
Sæpius effundit miſeras, & percitus ira,
Teſtatur diuos ſe vnquam linquere inauſum
Inuiſos donec Perſas euerterit Orbe.
At inuicte noua Tammas virtute ſuperbum,
In patrios iterum fines irrumpere Turcam
Si qua parte vides, armis victricibus arce,
Sterne, fugáque, proculque doma; nam victor honores
Et famam claro felix æquabis olympo.

Thomas Hauardus Norfoltius Dux.



HIC eſt ille bello inclytus, & ſupra omnes mortales ſupremo hoc infortunio miſer Thomas Hauardus Surreij filius, ab Anglis de nomine eius imperio ſubditæ Prouinciæ Norfoltius appellatus. Is Surreio patri operam in prima acie nauans, quũ Scoti ad Floddũ occiſo Rege delerentur, ſingularẽ eius victoriæ laudem tulit; Rebellantẽ Hyberniam eò traiiciẽs armis perdomuit, atq; pacauit. Henrico Regi bis Galliæ bellum inferẽti traiicientiq;, in continentẽ bellica laude virtuteq; animi Ducũ clariſſimus magno vſui fuit. Poſtremò eũ induſtriæ, perpetuiq;

officij ſui fructum tulit, vt poſt damnatum cæſumque ſecuti Edemundum fratrem, eiusq; filiam pari ſupplicio mulctatam, quòd Regi tot cædibus efferato infauſtè nupſiſſet, turris Londiniæ carceri includeretur; ſeruaretur tamen viuus à Rege, vt in carcere Regem non omnino ingratum erga ſe, qui adhuc tyranni beneficio viueret, fateretur.

LAELII CARANI.

Horrida Norforti dum tractas arma tremende
Diceris eſſe Deo Bellipotente ſatus.
Nā tua dextrà graues armis quū perderes hoſtes,
Obſtupuère homines, obſtupuère Dei.
Sed mage mirātur te hominesq;, Deiq; tyrannum
Quum virtute vident ſic cecidiſſe tua.

Eiuſdem.

Lictoris rabiem Marius compeſcit inermis,
Illi dum ferro colla ferire parat.
Pectora Norforti perterres dira tyranni
Se fœdare tuo namque cruore pauet.

Ferdinandus Toletanus Albæ Princeps.



ENITERE magnanime Albane, & qui militiæ vſqueadeò lætis initiis efflorniſti, perpetuo virtutis atque victoriæ curſu ad ſummum gloriæ faſtigium contende, qui antiqua Toletanæ familiæ decora cumulatè renouas, & Hiſpaniæ veterem belli gloriam aſſeris, benignitateque ſplendidiſſimi ingenij cunctos proceres æquas, & quoſque Duces conſilio, vigilantia, & ingentibus auſis antecellis. Agnoſcimus ſiquidem, quid generoſo illo tuo & inſatiabili laudis ſpiritu petas & ſperes, & quid deniquè certiſſimis

ſummarum

ſummarum virtutum præſidiis circumſeptus ſtrenuè euadendo conſequi poſſis. Inſita namque tibi eſt, & à præaltis maiorum tuorum ſeminibus ingenita, veræ laudis veriſque decoris immenſa cupiditas. Nam te Federici aui Bætico & Cantabrico bello clariſſimi trophæa excitant, te Garziæ patris Lybicis arenis inſepulti manes vrgent, te Cæſar ipſe, cui tu maximè conſpicuus, inter ſplendidiſſimos Proceres fidei virtutiſque nomine delectus perpetuò adſiſtis comes, vehementer accendit, vt nihil niſi arduum, niſi excelſum, & optimæ laudis ſpe plenum ſpectes, vnde ſumma petatur gloria. Hanc enim vnam ipſe petit, in qua tamen pietas emineat, & amplificatæ Religionis fama conſtet; tanto quidem ſtudio, vt te ſecum rapiat, benigneque tecum ſuum decus communicet. Et hoc herclè multò modeſtiùs & liberaliùs; quandoquidem quotam ſuæ laudis partem tibi conceſſerit, quum triumphalem laurum de profligato ad Albim, captoque Saxonum Principe repudiaret, vt totum id decus à te forti auſu feliciique dextra partum, præclaro iure tibi deberi fateretur. Confeciſti itaque tua ingenti virtute difficillimum, atque duriſſimum bellum, quod auſpiciis inuicti Cæſaris gerebas, optima quidem ſpe, & ſingulari perſeuerantia, quando ſemper antecurſor, ſemper hoſti proximus, ſemper ex tua peculiari diſciplina munitiſſimis vallatus caſtris, ita progrede ére, vt maturè obuenientis victoriæ fructum propè ſolus delibares, atque inde totum perciperes. His tuis ad incomparabilem laudem præclarè geſtis, ſicuti antea in Pannonia, Africa, Gallia, te effecturum promiſeras, aui atque patris felices animæ iampridem ex meritis in cœlum receptæ, ita gaudent & exultant, vt te etiam atque etiam obnixè cohortentur ad concitandum Cæſarem ſuopte ingenio de ſacri belli gloria cupidiſſimè cogitantem. Nihil enim ei vel ad vſum rerum præſentium aptius, vel ad gloriam laudatius, vel ad ſpem æternitatis omnino beatius accidere poteſt, quàm vt in veros hoſtes vniuerſa Chriſtiani nominis arma, vnlos præſertim inuicti, piiq; & bene fortunati Imperatoris auſpiciis conuertātur.

ANDREAE ANGVLII.

Dum cogis Fernande Scythas dare terga Viennæ,
Aſtra ſuo lambit vertice Dannubius;
Et quà lentus aquas agit Afris Bagrada arenis,
Miratus dextra eſt celſa trophæa tuæ;
Te rapidus tremuit Rhodanus, ter Gallia magni
Cæſaris eſt armis quum quatefacta ferox.
Illius amiſſa Lybicis quoque Sauus in vndis
Claſſe, tui robur pectoris obſtupuit;
Tandem Albis bello victus te ſiſtit Olympo,
Dum duce te, Carolo perfida dona dedit.
Ergo aqua vel tellus, nulla eſt nõ plena triumphis
Pars etiam Cœli; clare Tolete tuis.

Muleamethes cognomento Scyriffi,
magnus Rex Mauritaniæ.

HAC talari linteaque toga induitur Scyriffus, & oblongo linteolo ſimplicibus ſpiris ita caput inuoluit, vt eius extrema pars inſtar ingentis caudæ à dextra aure per humeros & crura ad talos vſque diffundatur. Hoc habitu Sacerdotes Ægyptios olim vſos fuiſſe conſtat, ſic vt facilè rear, Sacrificuli cultum inde acceptum, quem noſtri ſacra facientes ſuperinduunt, & Camiſum vocant. Muleamethes ſiquidem ob id Scyriffos vocatur, quòd ſacratæ ſit ſtirpis, & Mabometis Pſeudoprophetæ ſanguine progenitus. Ea vox enim Arabicè virum ſanctimonia pollentem, & ſacris myſteriis deditum exprimit. Quomodo autem hic magno huius ſeculi prodigio (quũ eſſet Pædagogus) ad tot ampliſſima Regna peruenerit, breuiùs quàm potero explicauerim, vt hinc quoq; aſtrologicæ diuinationi non inanem famam adſtruamus, & iam ſit planè perſpicuum totam humanæ ſortis fortunam ſua auſpicia è Cœlo deducere. Scyriffi pater Zidamethes habitauit in Dara, quod eſt Regnum non procul à Staffileta regione, quæ tota palmifera eſt, & magno incolarum emolumento dactylorum copiam venalem præbet, qui fructus eſui gratus, à finitimis vlterioribusq; populis expetitur. Huius mercimonij aliarumq; rerum opulentus erat mercator Zidamethes, & prudentiæ opinione maximè inſignis: ſed in primis ſyderalis ſcientiæ peritiſſimus, vtpotè qui multa prænunciaret & diuinaret, profiteriq; auderet, vel multis irridentibus, duos ſe habere liberos, qui proculdubiò ad Regale faſtigium eſſent euaſuri. Hi erant Mahometes & hic Scyriffus nomine Amethes, qui Arabicis eruditi literis ludum aperuerāt, pueroſque docebant, pari concurſu quæſtuque apud finitimas gentes doctrinæ fama celebrati. Hos pater admonuit, vt noſcendis externarum gentium moribus longinquam peregrinationem ſuſciperent, religioniſque cauſâ Mahometis Prophetę templum & ſepulchrum ad Mecham & Talnabim (quæ ſunt in Arabia) venerabundi adirent. Quòd opinio religionis mortalibus ingenita, homines ei deditos auguſtiores, & apud imperitos admirandos efficiat. Suſcepêre itaque iter, &



Memphim inuiſêre, tranſiuête mare Rubrum, deflexereque Hieroſolymas vſque Byzantinm, atque inde reuerſi in Africam, apnd Tunetum aliqnandiu conſtitêre, cœpiique ſunt haberi in veneratione apnd Punicas gentes, quòd eſſenr ex progenie Mahometis, inuiſiſſentque ſacroſancta templa & monumenta Hebræorum, atque alba veſte vterentur. Mahometani ſiquidem eos, qui religioſo voto conditoris ſectæ ſuæ Mahometis ſepulchrum inuiſerint, Sacroſanctos appellare ſoliti ſunt, & eos à cultu candidæ veſtis agnoſcunt. Ab eo tempore ingentes amicitias cum Arabibus Regulis contraxerunt, & vti erant ex paternis diuitiis maximè opulenti, ad tractanda arma tranſiuerunt, vt fatia ſuis viam aperirent. Adhæſêre itaque vagis Arabibus, qui in Africa à Nilo vſque ad Oceanum Atlanticum incertis ſedibus vagantur, imperanrque tributa Regibus, & detrectantes venalem amicitiam, armis inuadunt: qui vt tum accidit, magnis viribus Buccentuſſum Maurocchi Regem oppugnabant. Maurocchum longè clariſſima vlterioris Mauritaniæ vrbs, quę Romanis temporibus, vt coniectari licet, Bogudis Regis fuit, diſtat ab Atlante triginta millibus paſſuum, ea camporum ſpecie, & aquarum vbertate, qua Mediolanum florere, diſcedereq; ab Alpibus videmus. Sed Buccentuſſus, qui ab Almanſore potentiſſimo Rege aliquot antè ſeculis occupatæ Hiſpanię gloria inclyto, genus ducebat, non priùs expugnari potuit, quàm Feſſanus Tingitanæ & Cæſarienſis Mauritaniæ Rex, in ſocietatem Arabum traheretur, induſtria præſertim duorum fratrum, quorum authoritas apud Feſſanum plurimùm valebat. Eo itaque euentu Arabes Maurocco potiti ſunt, vt Mahometes alter fratrum maior natu Rex efficeretur, quum Buccentuſſus ei ſe deſperatis rebus certa conditione dedidiſſet. Sed hunc poſtea Mahometes periurus & fænus in granaria ſcrobe immaniter necauit. Amethes autem Scyriffus trans Atlantem progreſſus, opulentiſſimæ regionis Regnum, quod Suſium vocant, frumento, olea, viteque & metallis abun-

lis abundans, & Tarodentam clariſſimam vrbem, quæ Arabum ſtipendiaria fuerat, occupauit. Ea regio iubatos coronatosque Leones gignit, generoſos quidem & homini parcentes, niſi ex pecore minoribusque feris ad alimentum præda deſit. Ab Atlante, qui eſt nemoroſus & altiſſimus, & hodie mons Clarus appellatur, perpetui montes oriuntur, non ſecus ac ab Alpibus noſtris Apenninus, longo tractu & multis flexibus in Orientem ſic exporrecti, vt mediam Africam proſcindant, & ab arenis diſterminent. Eæ namque arenarum ſolitudines ad viteriores Æthiopes pertinent. Gæterùm Scyriffus non contentus ampliſſimo Regno, Feſſani Regis & Arabum fretus auxiliis, Maurocchi Regnum Mahometi fratri inuidit, & abſtulit. Ea tamen conditione, vt in Dara & Scaſſilite eum regnare pateretur, quæ Regna paulò antè communibus viribus occupaſſent. Ex Maurocchο demum Scyriffus inſatiabili cupiditate ad Feſſanum Regnum oculos adiecit, innixusque ſuis dolis & felicibus armis, Regem Muleamethem debellauit, & eiecit, quum illum fatigatum multis diuturni belli detrimentis Feſſanus populus, vt Fortunæ cederet, hortaretur, ne ruentis patriæ caſum, & ciuium ſuorum interitum conſpiceret. Ea verò magnitudine animi Scyriffus vndique probitatis atque iuſtitiæ ac humanitatis gloriam captare ſolitus, in victoria vſus eſt, vt diceret neminem ſe apud Maurocchum regnare paſſurum, præterquam Muleamethem, iocatus in communi nomine, atque ita victum & dudum hoſtem Maurocchi Regem fecit, illumq́; eò cum liberis ac vxoribus, & regia gaza migrare iuſſit; magno quidem cum dolore Muleamethis, cui nobiliſſima atque ampliſſima Mauritaniæ ciuitas, & patria erat relinquenda. Vrbem Feſſam interluit Sala amnis, qui hodie Rhazalma vocatur, & in Oceanum iuxta vrbem Azamor nauigabilis defertur. Eam ſeptuaginta quinque milibus domorum infinitoque populo frequentem eſſe omnes aſſerunt, trecentæque & ſexaginta frumentariæ molæ in amne viſuntur, actæ machinis, quas profluentis aquæ impetus rotat & euoluit. Infinitæ ſunt in vrbe rerum ſabtilium tabernæ, & plura mercimonij pretioſi conditoria, certis ſeptis publicè cuſtodita: atque item Gymnaſia duo, quibus iuuentus diſcendis diſciplinis & literis publico ſumptu alitur & docetur. Feſſani hoſpitales domos habent peregrinis ſuſcipiendis, atque Xenodochia, in quibus afflicti morbis benignè curantur. Populus in vniuerſum ſuffuſci coloris eſt; ſed fœminæ cultus elegantia, multaque laſciuia morum, perpetua ferè vmbra fuſcedinem auertunt, & quotidianis choreis indulgent. Hac in vrbe Scyriffus ſolium conſtituit, ſubnixusque ſuis viribus, Tremezenium Regem Cæſaris clientem eiecit. Bellum cum Luſitanis continenter gerit. Hi in ora Mauritaniæ extra & intra Gaditanum fretum oppida tenent; Arzillam, quam Arzillam vocant, & Septam, quæ Plinio ſeptem fratrum, à totidem imminentibus collibus, vrbs fuit. Eo quidem ſucceſſu, vt Azamore oppido ſit potitus, & Gheum oppidum in promontorio ſitum, quod ſumma virtute, ſed infelici exitu aliquandiu à Luſitano Præfecto fuerat defenſum, expugnârit. Ea verò in pugna, qua poſtremo Feſſanus Rex eſt debellatus Muleboazon, qui Feſſano aderat auxiliaris, Veleſio vrbe, quæ ferè eſt contra Gades poſita, exutus eſt; ſic vt exul & ex vulnere dextro oculo captus, in Hiſpaniam refugerit; atque inde auxilia poſtulatum in Germaniam vſque ad Cæſarem pertenderit, famam de Scyriffi viribus ingentem relinquens, & admonens Principes noſtros, vt maturè caueant, ne is Granatæ affectans Regna, alicunde traiiciendi in Hiſpaniam occaſionem & facultatem arripiat. Habuiſſe enim eum in acie octuaginta milia equitum, & peditum baliſtariorum ſclopettariorumque viginti milia, moreque noſtro egregiè ſabrefacta ænea tormenta, maioris minorisque generis conuecta equis & curribus ad octingenta, acceſſuramque profectò ei infinitam Arabum & Maurorum multitudinem, ſi traiicere meditetur, & religionis cauſâ bellum paret. Sed planè ſenem octogenarium quanquam viridi validum ſenecta, & aſſiduè camelino lacte vtentem, aut ſua proculdubiò abſument fata, aut ſuperi ab Hiſpania auertent, aut veteris armatisque militibus vbique terrarum egregiè vincere aſſuetis, trucidandum vel vinciendum obiicient.

ANDREAE ANGVLII.

Miraris mira hunc cinctum ſeptemplici, & alba
Indutum ſtola Regem habitu Lybico;
Quid ſi illum noſſes, atque illius inclyta facta,
Facta, inquam, audiſſes, digna duce Annibale?
Hic velut æthereum fulgur, vi Martis aperta,
Regna propinqua ſuo ſubdidit imperio:

Maſſilum huic gentes, Gætuli, & maximus Atlas,
Et Mauritani colla dedêre duces.
Adde quòd arma etiã Bætis meditatur ad vrbes,
Hiſpano ſpreto milite, & Oceano.
Dum parat hæc magna, illi ſors virtusq́; parauit
Nunc Iouij calamum principis Hiſtoriæ.

Ferdinandus Gonzaga.



HOC in te, Ferdinande Gonzaga Ducum præſtantiſſime, bellicæ virtutis eximium decus refulget, quod armato præſenteque Cæſare ſummæ virtutis & fortunæ Imperatore cuncta caſtrenſis diſciplinæ munia obis, quum in agmine, in caſtris, & acie, vti collega Cæſaris iura ſummæ poteſtatis exerceas, vnde geminata laus effulget, cùm meriti tui ſcilicet, tum iudicij Cæſaris, qui tantus ipſe Imperator te vnum ſupra cæteros, Ducem longè optimum cenſet. Eſſe quidem egregium Ducem, vt reor, magnum eſt: ſed opinione hominum exiſtimari cenſerique eius maximè iudicio, qui cuncta ratione gubernet, longè maximum videri poteſt. Agnoſcit quippe Cæſar humanarum rerum peritiſſimus, quo robore animi totas ardentis belli difficultates ſuſtineas & ſuperes, qua mentis prouidentia locorum & temporum gnarus, conſilia explices, deniq; qua vi lacertoſi pectoris & animi in armatas hoſtium acies deferare. Præclara ſiquidem teſtificatione digna hiſtoriis eximiæ virtutis & induſtriæ exempla in Apulia, Africa, Mauritania, Gallia & Belgio reliquiſti, quum ex præfectura Siciliæ quantum tibi curæ fuerit Siculorum, aratorumq; præſertim immunitates & commoda tueri, quantumque ſeditioſorum militum licentia immanis tibi odio fuerit, oſtenderis, dum maleficos planeq; deficientes à Cæſaris authoritate ſeueriſſimis ſuppliciis punires, vnde tibi Cæſar, improborum militum hoſtis acerrimus, aliquando gratias egerit, muneraq; rependerit, ſcilicet vt te Galliæ Ciſalpinæ præficerer, cuius procurationẽ ita in-

ita inſtituiſti, vt nemini timenda belli incommoda, & nemini à quoquam contra æquitatem iniuria ſit expectenda, & te vnum maximè acrem aduerſus hoſtes armatum defenſorem, authorem tranquillitatis, & magnificentiæ ſtudio præclara priuatim & publicè vrbi ornamenta parantem Inſubres venerentur.

IVLII IOVII.

Macte animo egregio decus inſuperabile gentis
Gonzaga, quem tanta rapit ſuper æthera belli
Gloria, quæ ſtabit claris æterna trophæis
Auſonios inter Proceres, & Martis alumnos.
Sic ſplendore nites, quantum omni ſydere maior
Sol micat irradians, totum qui illuminat Orbem.
Belgica gens, Lybiaq́ vrbes, Rhodanúſque ſuperbus,
Arnus, & ingens Danubius, Tigriſq́ fatentur,
Quantum conſilio Fernandus poßit & armis,
Aeternos cui bellipotens conceßit honores
Militiæ, vt Carolo dignus, dignúſque Philippo
Inſubria regeret iuſto moderamine gentes.
Ergo tibi partos inuicto Marte triumphos
Suſcipe, magnanime Heroum, te celſa fugatis
Hoſtibus aſſequitur celeri victoria paſſu.
Viue igitur felix, volitans tua nam inclyta virtus
Clara per ora virûm, celſum conſcendet Olympũ.

Ioannes Tarnouius Comes
Polonus.



VOTIS tuis religioſè ſuſceptis, vſque quaque aſpirent cœleſtia numina, magnanime Tarnoui, qui hac in tabula triumphali lauro, & victricibus armis conſpicuus ſpectaris, & Martio vultu illuſtre Sarmaticæ virtutis decus eſſers, qui toties de Barbaris bello victor & triumphator, vberiores etiam victorias te patriæ relaturum polliceris; quibus latè ſummotis pulſisque hoſtibus Lithuani, Roxolani, Podolij, Polonico imperio coniunctæ gentes ſecura atque lætiſſima pace perfruantur. Nihil enim niſi magnum ingenti animo concipis; nihil niſi glorioſum, ſalutare, & tibi patriæque decorum & illuſtre complecteris, vt clariſſimis factis inlitum generoſæ virtutis nomen & famam latiſſimè extendas. Eo namque ſtudio in adoleſcentia ingenium optimis literis excoluiſti, iuuentam duriſſimis belli laboribus dicaſti, vt vir demum factus, totum penè terrarum orbem, noſcendis tot gentium moribus nobiliſſima peregrinatione circuendum ſuſciperes; adita primò Aſia Syriaq; religionis cauſâ, & conſpecto mari Rubro, peruagatus etiam Africæ ciuitates vſque ad Atlanticum Oceanum, vbi aduerſus Barbaros Luſitaniæ Regi operam nauans, & fortis militis, & periti Ducis laudem, decoraque ſpectatæ virtutis ornamenta conſecutus es. Ab hac peregrinatione notitiaque multiplici rerum bellicarum auctus in patriam rediiſti, quum Leonem Romanum Pontificem, & Carolum Cæſarem eſſes veneratus, tanto hominum fauore, vt Sigiſmundo Regi commendarêre, & ab eo vniuerſis Regiis copiis præficereris, eamque patriæ præſtares operam, aſſiduis Barbarorum incurſionibus laboranti, qualem afflicti ciues tui ab optimo cioe fortunatoque Imperatore depoſcebant. Siquidem Moldaoos Geticam gentem Petro eorum Regulo duce ad Obortinum ita profligaſti, vt hoſtes alioqui terrifici, & multitudine ſuperantes, Principe vulnerato, primariisq; gentis interfectis, turpem in fugam coniicerentur; tu caſtris eorum & tormentis potireris, atque inde triumphali curru Cracouiam inueherêre; tanto Moldauis terrore iniecto, vt Petrus renouare bellum auſus, quum te aduerſum ſe iterum delectum Imperatorem audiret, omiſſo bello ad non iniquas parandæ pacis conditiones ſit conuerſus. Sed huic Moldauicæ victoriæ Hiſtoriis noſtris abundè celebratæ, alteram amplioris proculdubiò gloriæ de Moſchis ad Starodubum debellatis addidiſti. Sæpius Tartaros, Scythas fœdiſſimum atque ſæpe improuiſum hoſtium genus non vno in loco illata cæde repreſſiſti: ſingulari autem prudentia orientes in Regno ſeditiones compreſſiſti, vſque adeò latè propagata fama nominis, vt inuadente Pannoniam Solymano, Germani atq; Hungari Bohemique te vnum ſibi tanquam inuictæ virtutis gerendo bello Ducem expeterent. Verùm quod non eſſet tutum præſtare eam operam, tantum honorem probè repudiaſti, ne id ægrè ferret Sigiſmundus Rex tuus Solymano vetere amicitia coniunctus; quum tamen ille paratus foret, & teipſum, & vniuerſi Regni copias Reipublicæ concedere, ſi reliquorum Chriſtiani nominis Regum arma ſacro ſuſcepto bello in vnum iungerentur, quod tu ſuprema cura concupiſcere exiſtimaris, & Dij faxint, vt huius pij nobilisque voti compos fias. Nihil enim eſt magis decorum & expetendum viro forti generoſoque, quàm pro patria dignitateque Chriſtiani nominis, reformidato omni vitæ periculo, cum Turcis Europæ Regna affectantibus decertare.

IVLII IOVII.

Salue, ô Sarmaticæ gentis fortiſſime ductor,
Iuſtitia atq; armis, quis ſe tibi conferat vnquam,
Quum tua dat ſonitu bellorum buccina ſignum
Poſcis equos, atque arma gerens in prælia, turmas
Sternis, & armatos exultans deiicis hoſtes,
Moldauiæ dominum campo congreſſus aperto,
Fudis, Sauromatis cladem excidiumq; minantem.
Te ſuperis Aſtrea plagis tranſcribit, & ipſa
Iam tibi perpetuos Diuûm conceſſit honores.
Sarmata magnanime agnoſcat ventura vetuſtas
Nullum poſſe tibi ſimilem monſtrarier Orbi,
At tu, viuus adhuc, multis dominaberis annis.

ALEXANDRI SVCHTENI Germani.

Diues opum tellus, clariſq; potentior armis
Das mihi natales Sarmatis ora lares.
Sicut imaginibus titulisq; ſuperbus auorum,
Sic virtute mea magnus in Orbe feror.
Vallachus imparibus quum nos inuaſerat armis
Auſpicijs caſus Dux fuit ipſe meis.
Viſtula Moldauis clypeosq;, arcusq;, rotasq;,
In mare Theutonicum barbara ſigna tulit.
Facta quòd illius non ſis tum præda furori,
Tarnouio debes terra Polona tuo.

Coſmus

Coſmus Medices Florentinorum Princeps.



DII vota tua cumulatè impleant, magnanime Coſme, poſtquam nihil præ ter ipſum abſolutæ virtutis ſpecimen aſpiciunt. Tales namque tibi mores natura tribuit, nuſquam herclè nouerca, vti fas eſt videre, ſed ſemper arridens & benigna mater, vt gloriam ex benefactis clariſſimiſque virtutibus obuenientem contemnas potiùs, quàm affectes. Apud te ſiquidem pudor atque iuſtitia viget, & virtuti optimiſque artibus domi tuæ certiſſimus eſt receptus. Lireras colis, ingenia foues, magnificentiæ ſtudium pulcherrimis operibus extendis. Rempublicam porrò ita gubernas, vt nobilitatem in honore habere, populum alere, & patriam tranquillitate atque opibus florentiſſimam reddere contendas. Quod verò admirabile clementiæ tuæ munus eſt, exules facilè reducis, parcis rebellibus, ſcilicet vt plúres domi ſint, qui tibi plurimùm debeant, & nomen tuum ſyncero maximè ſtudio venerentur. Id enim ſalutare ciues agnoſcunt, Etruſci omnes certum publicis rebus præſidium fatentur, & tota iam Italia, atque vlteriores gentes felicis tui & rectè conſtituti Principatus decus concelebrant. Perge igitur optimè Princeps, vt te ſupergreſſum humanas laudes, & beata tua prole gaudentem, quum longa ſenectâ vitæ finem attulerit, ingentem animam conſpicua in ſede cœlites exceptam conſtituant, & poſteritas omnis cuncta ingenij atque fortunæ tuæ monumenta æternis laudibus perſequatur.

IOVII Iunioris.

Qualis Hyperboreo letus gradiuus in Orbe
Fumantes quum ſoluit equos, ſudantiáque ora
Strymonis in ripa victricibus abluit vndis;
Iam furor & rabies armorum, iraq́, minæq́,
Belligero cecidère Deo, tranquillus inerrans
Ore robur, placido ſignat ſua lumina vultu;
Ille ſedes luſtrans oculis & mente benigna
Armiferam Thracen, defenſumq́, hoſtibus Hebrum
Proſpicit, & Geticæ ſecura mapalia terræ,
Tum Veneris blandum pertentant gaudia pectus,
Talis magnanimi diuino lumine COSMI
Ante alias longè radians effulget imago,
Ingenteſq́, gerens humeros, auguſtaq́, membra,
Effigies vllum nunquam peritura per æuum
Vertice nudato celſum caput exerit armis;
Sydereóſque oculos, regalia lumina vibrans
Pacatam ſeſe populis ſpectantibus offert.
Ceu quum depoſito magnarum pondere rerum
Olli tranquillam demulcent gaudia mentem,
Ingenti quum iam ceciderunt monſtra ruina
Qua ſe deuicto mons Murlius erigit hoſte;
Quum iam læta ſuo felix Duce Flora quieſcit,
Atque Etruſca ſalus tanto ſub Principe tuta eſt.

RAINERII.

Te duce, mortales qua dedignata ſceleſtos
Extulerat niueos aurea ad aſtra pedes.
Aurea nunc Aſtrea redit, Venus antè receſſit
Sacrilega, Etruſca COSME decus patria.
Per quem parta quies, & pax, & copia rerum eſt,
Et Sophiæ Aonidumq́, artibus ortus honos.
In falcem, duce te galea conflantur & enſes,
Nec lethale ſonant claſſica, nec litui.
Marte ſatus, Ianum claudis, quî claudere Ianum
Mauortis prolem te potuiſſe putes?

FINIS LIBRI SEPTIMI.

783344

ELENCHVS ILLVSTRIVM VIRORVM, QVORVM HISCE SEPTEM LIBRIS EFFIGIES repræſentantur.

A

Actiolinus Tyrannus 27

Actiolinus Mediolanenſis Princeps 49

Albericus Balbianus 76

Alexander Magnus 5

Alexander Medices Florent. Princeps 208

Alfonſus Rex Neapol. 88

Alfonſus Ateſtinus Ferrariæ Princeps 199

Alfonſus Daualus Vaſtius 219

Aloiſius Grittus 197

Amurathes II. Turcarum Imperator 92

Andreas Grittus Venetorum Princeps 212

Andreas Auria Claſſis Præfectus 246

Annibal Pœnus 8

Antonius Grimanus Venetus 167

Antonius Lena 206

Artoxerxes Rex 3

Aſcanius Sfortia Cardinalis 126

Athila Hunnorum Rex 11

B

Baiazetes I. Turcarum Imperator 20

Baiazetes II. Turcarum Imperator 136

Baleona familia Duces 156

Bartholomæus Coleo Bergomas 96

Bartholomæus Liuianus 148

Baſilius Moſcouiæ Princeps 204

Barnabas Mediolanenſis Princeps 54

Braccius & Sfortia 79

C

Cæſar Borgia Valentinus 130

Camillus Vitellius 118

Campſon Gaurus Aegypti Sulthanus 144

Canis Scaliger 41

Carmagnola 80

Carolus Aurelianus Franc. Regis filius 218

Carolus Borbonius 183

Carolus Burgundiæ Dux 101

Carolus Magnus 15

Carolus IIX. Galliæ Rex 116

Carolus V. Imperator 240

Caſtruccius Caſtracanis 37

Caytbeius Memphiticus Sulthanus 110

Celebinus Turcarum Imperator 73

Chriſtiernus Daciæ Rex 243

Chriſtophorus Columbus 124

Conſaluus Ferdinandus 141

Coſmus Medices Florentinorũ Dux 257

Coſmus Medices ſenior 86

D

Dauid Abyſſinorum & Aethiopum Rex 233

E

Eliſabella Aragonia 176

Eraſmus Narnienſis cognomẽto Gattamelata 82

F

Farinata Vbertus 33

Federicus Feltrius Vrbini Dux 108

Ferdinandus Rex Romanorum 242

Ferdinandus Corteſius 228

Ferdinandus Toletanus Alba Princeps 250

Franciſcus Galliæ Rex 226

Franciſcus Alidoſius Cardinalis Papienſis 131

Franciſcus Borbonius Anchianus 217

Franciſcus Buſſonius 80

Franciſcus Ferdinandus Piſcarius 169

Franciſcus Gonzaga Mantuanus 152

Franciſcus Maria Feltrius 210

Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Princeps 90

Franciſcus Sfortia II. 203

Fridericus I. Imperator 21

G

Galeacius I. 48

Galeacius II. Mediolan. 53

Galeacius Sfortia 98

Gaſto Foiſſeius 138

Gattamelata, Eraſmus Narnienſis dictus 82

Georgius Caſtriotus Scanderbechus 94

Georgius Fraiſpergus Germanus 185

Gothifredus Bolionius 17

H

Horatius Baleonus 157

Hariadenus Barbaruſſa 225

Henricus Galliæ Rex 242

Henricus IIX. Angliæ Rex 221

Hippolytus Medices Cardinalis 201

Horuccius Mitylenæus 223

Hyſmaël Sophus Perſarum Rex 165

I

Iacobus V. Scotiæ Rex 218

Iacobus Triuultius 147

Ioannes Archiepiſcopus Mediolanenſis 52

Ioannes Acuthus Britannus 74

Ioannes Bentiuolus Bononienſis 170

Ioannes Galeacius Vicecomes 56

Ioannes Maria Mediolan. Princeps 181

Ioannes Medices 181

Ioannes Vitellius Cornetanus Patriarcha 61

Iulianus Cæſarinus Cardinalis 64

Iulianus Medices 105

L

Luchinus Mediolanenſis Vicecomes 48

Ludouicus XII. Galliæ Rex 139

Ludouicus Pannoniæ Rex 178

Ludouicus Sfortia Mediol. Princeps 128

M

Mahometes II. Turcarum Imperator 106

Malateſta Baleonus 157

Marcus Antonius Columna 160

Martinus Turrianus 36

Matthæus Cardinalis Sedunenſis 33

Matthæus Magnus 47

Matthias Coruinus Pannoniæ Rex 113

Maximilianus Cæſar 134

Maximilianus Sfortia Mediolanenſis Princeps 193

Muleamethes Scyriffus 252

Muleaſſes Tunetanus Rex 235

N

Narſes Eunuchus 14

Nicolaus Vrſinus Petilianus 132

Nicolaus Picininus 83

Numa Pompilius 2

O

Odettus Fuſius Lotrechius 187

Otho Archiepiſcopus Mediolanenſis 46

P

Pandulphus Petruccius Senenſis 172

Paulus Baleonus 156

Paulus Vitellius 117

Petrus Medices 128

Petrus Nauarrus 190

Petrus Soderinus Florentinus 174

Philibertus Aurantius Princeps 194

Philippus Mediolanenſis Princeps 60

INDEX IMAGINVM.

Pompeius Columna Cardinalis 196
Proſper Columna 164
Pyrrhus Epirotarum Rex 6
Pyrrhus Stipicianus 237

R

Robertus Neapolitanorum Rex 44
Romulus Quirinus Romanorũ Rex 1

S

Saladinus Sulthanus 19
Sarra Columna 33
Scipio Maior 8
Selymus Turcarum Imperator 159
Sfortia & Braccius 78. 79
Sigiſmundus Polonia Rex 231
Sinas cognomento Iudæus 225
Solymanus Turcarum Imperator 248

T

Tamerlanes Scytharum Imperator 67
Tammaſus Sophus Perſarum Rex 247
Thomas Hauardus Norfolcij Dux 249
Tomumbeius Aegypti Sultanus 147
Totila Gothorum Rex 12
Triſtanus Acunius Luſitanus 149

V

Vgo Moncata 188
Vguccio Fagiolanus 35
Vincentius Capellius Venetus 215
Vitellij fratres 117
Vitellocius Vitellius 119

Libuit hîc grata commemoratione eorum etiam nomina ſubÿcere, qui verſibus elegantiſsimis hæc Elogia vel illuſtrare, vel ornare voluerunt.

A

Adamus Fumanus Veronenſis 12. 43. 81. 213
Alexander Suchtenus 256
Andreas Angulius 123. 132. 250. 253
Angelus Perotius Camertis 37
Antonius Franciſcus Rainerius Mediolan. 3. 6. 15. 19. 30. 53. 66. 80. 120. 121. 134. 139. 149. 160. 171. 183. 188. 200. 208. 211. 218
Antonius Sanfelicius 151
Antonius Thebaldeus 114
Antonius Vaeca 132. 209
Antonius Vulpius Nouocomenſis 23. 178. 185. 205
Aonius Palearius Verulanus 147
Auguſtus Cocceianus Brixienſis 2. 72. 93. 98. 161

B

Benedictus Varchius 106. 196. 243
Bernardinus Balamius Siculus 188

F

Fabius Beneuolentius Senenſis 90
Fabius Segnius Florentinus 199
Ferdinandus Balamius Siculus 192
Franciſcus Manfredus Cremonenſis 55. 74
Franciſcus Franchinus Coſentinus 231

G

Gabriel Faernus Cremonenſis 7. 8. 63. 69. 96. 200. 204. 220
Georgius Iocodus Bergamus 77

H

Hieronymus Olgiatus Percuſſor 101
Hieronymus Vulpius 149
Honoratus Faſitellus 16. 26

I

Ianus Vitalis Panhormitanus 16. 48. 60. 126. 138. 145. 192
Incerti Authoris 85. 170
Ioannes Baptiſta Gabius 185
Ioannes Bellaius Cardinalis Pariſienſis 141. 227
Ioânes Baptiſta Poſſeuinus Mantuanus 153. 227
Ioannes Paulus Amanius Cremenſis 58. 127
Iulius Feroldus Cremonenſis 52. 53. 57. 76. 79. 176
Iulius Iouius 183. 128

L

Lælius Capilupus Mantuanus 153
Lælius Caranus 222. 248
Landrianus Mediolanenſis 107
Leonardus Griffius 108
Leonardus Aretinus 80
Ludouicus Dominicus Placentinus 163. 214

M

Marcus Antonius Caſanoua 234
Martinus Cromerus Sarmata 232
Marullus Tarchaniota Conſtantinopolitanus 19
Michael Syluius Luſitanus Cardinalis 118

P

Parthenius Parauicinus Nouocomenſis 17. 23. 35. 149. 166. 208. 221
Paulus Iouius Iunior 85. 88. 101. 103. 112. 114. 121. 130. 136. 144. 155. 158. 174. 197. 206. 216. 236. 238. 241
Petrus Aluarus Romanus 213
Petrus Angelius Bargæus 29. 106. 226. 227. 243. 248.
Petrus Grauina Neapolitanus 141. 165
Philippus Beroaldus Iunior 150
Placidius Placentinus 163. 244
Ptolemæus Gallius Comẽſis 50

In curanda hac editione non paucas diligentiæ operas præſtitimus. De vnico verò errore monendus es, benigne Lector, vt effigiem Ant. Grimani fol. 168. quæras apud nomen Andr. Gritti inferiùs fol. 212. ibi verò poſitã ſuperiùs reſtituas.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN PAVLI IOVII ELOGIORVM LIBROS DE VIRIS ILLVSTRIBVS IN RE MILITARI BREVITER COLLECTVS.

ABdenago 218
Abſaga 68
Acomathes purpuratus Hidrantem capit 108
Acontius Triuultius 147
Actius Vicecomes magnificus ædificijs 49
Actius Ateſtinus 29. 31
Actiolinus Patauinorum tyrannus 27. Germano-Italus ibid. equitum magiſter 28. horrendum monſtrum ibid. eius ingenium ibid. in pede vulneratus 31. à coniuratis prælio captus 30
Actiolini ortus 28. copiæ, crudelitates 29. humanitates ibid. bella ibid.
in Actiolinum coniuratio ibid.
Aegyptiorum vetus lex inauſpicatè abrogata 112
Aegyptiorum mos in Regum electione ibid.
Aegeriæ nymphæ cum Numa congreſſus 3
Ageſilai ſcomma de Sagittarijs ibid.
Aethiopes perfidiæ pœnas dant 111
Albaniam quis ceperit 72
Albertus Scotus Placentinus alæ equitum Præfectus 38
Albericus Actiolini frater 30
Albericus Balbianus illuſtris miles & dux 77. militiæ reſtitutor ibid.
Alberici Balbiani ingratitudo ibid. mors ibid. progenies ibid. effigies ibid.
Albuinus Longobardorum Rex in Italiam accerſitus 14
Alexius Græcorum Imperator infidus Chriſtianis militibus 18
Alexander Medices 208. vnde ortus ibid. cur in familiā receptus ibid. cur Princeps deſignatus ibid. in exilium à Florentinis actus ibid. Princeps à Cæſare inſtitutus & gener 209
Alexander Magnus Ariſtotelis diſcipulus 5. laudis appetentiſſimus ibid. paternæ gloriæ inuidus ibid. eius vanitas ibid. à Philippo ſenatum diſpudet ibid. patrem mentitur ibid.
Alexander Romanis inferre bellum deſtinârat 6
Alexandri Magni imperium quàm latè patuerit 4. 5
Alexandri in vultu mutatio mirabilis 4
Alexandri Pontificis aſperitas in Fridericum I. Cæſarem 22
Alexandrum Magnum maiorem fecerunt ſcriptores Græci 4
Alfonſus Aragonius à Regina adoptatus in Regnum Neapolitanum 88. captus nauali prælio ibid. Neapolim capit 89. ſplendori ſtudet 90. cælebs 25. moritur ibid.
Alfonſus Daualus Dux fortiſſimus 219. liberalis ibid.
Alfonſi Regis Neapolitani ſtirps 88. magnificentia 90. in doctos viros ſtudium & obſeruatio ibid.
Alfonſi Ateſtini præclarum ingenium 199. vita à Iouio deſcripta ibid. bella & mors ibid.
Alfonſina Vrſina 121
Aloiſius Grittus exemplum fortunæ 197. ex pellice genitus, magni ingenij & audaciæ 198. excellens viſionum æſtimator ibid.
Aloiſij Gritti ambitus libido 199
Amaxobij 68
Americus Cibaccbus 199
Amideus Allobrogum Princeps Papa creatus 65. Felix appellatus ibid. in Cardinalem euadit ibid.
Amurathes Orcani filius 71. occiditur ibid.
Amurathes ſecundus 92. primus Othoman. phalangem inſtituit ibid. Scanderbecho ſuccubuit 93
Amurathis ſecundi bella 92. Eremita factus 93. mors ibid.
Andreas Lampenianus parricida 100
Andreas Grittus virtute ad principatum contendit 212. bello inſignis ibid. Princeps creatur, octogenario maior moritur 213
Andreæ Auriæ fides deſiderata 216. miræ laudes 246
Angelus Politianus vir doctus 103. Petri Medicis Præceptor 122
Angelus Maximus ciuis Romanus 6
Anglorum militia in Italia 75
Anna Maximiliani Cæſaris filia à Gallo Rege repudiata 117
Annibal terrorē muctæ Vrbi iniecit 8
Annibalis Pœni teſtata virtus ibid. imago ærea ibid. marmorea ſtatua ibid.
Annibalis & Scipionis ſtatuæ apud Meſſanam ibid.
annus à Numa in duodecim menſes diuiſus 3
anſeres quò conueniant 68
Antelminella familia Lucenſis 38
Antonius Leua vir militaris impiger 206. dux felix ibid. Ticini obſidetur 207
Antonius Pontadera ſuſpenditur immeritò 61
Antonius Rido 62
Antonij Leuæ belli peritia & mors 207
Antonij Grimani vita breuis 167. dignitates ibid. prudentia 168. res geſtæ ibid. fortuna 169. ætas annorum nonaginta ibid.
Anthropophagi 61
Aquileia ab Atthila deleta 11
Arabes Aegypto infeſti 11. à Saltbano afflicti ibid.
Arcelli 47
Armalerius Aſculanus Centurio 62
Arſenga 68
Arſius Gallus dux 233
Artoxerxes à Plutarcho deſcriptus 3. adunco naſo 3. Memnon & Longimanus ibid. Cyri minoris frater ibid.
Artoxerxis liberalitas ibid.
Artoxerxis imago vnde deſumpta 3. imaginis certitudo ibid.
Aſcanius Sfortia Cardinalis diues & magnificus 127. à quo Cardinalis factus ibid. Principi ſimilior, quā ſacrata viro ibid. auceps & venator ibid.
Aſcanius Sfortia pecunia corruptus Borgiam Pontificem legit ibid. exul in Germaniam 127. captus ibid. Venetis traditur ibid.
Aſcanij Sfortiæ Cardinalis magnificentia 127. auaritia ibid. exileum in Gallia ibid. vt reſtitutus ibid. mors ibid.
Atanadidingbil 233
Aternum flumen Sfortiæ morte nobile 79
Atthila cur Dei flagellum 10. Bledam fratrem occidit 11. ab Aetio Patricio profligatus ibid. Aquileiam deleuit ibid.
Atthilæ lurida facies ibid.
Atthilæ acutum ſcomma in Leonē Pontificem 11. mors in nuptijs ibid.
auaritia Græcorum 73
aulici imbelles & inuidi 14
Auraſium Colonia Romanorum 194
auaritia horribile monſtrum 219
Auſtriacæ domus primordia 154. ad Romanos referunt ibid.

B

BAiazetes I. vt Regnum auſpicatus 72

Baiazetes IV. Othomannorum Princeps 70
Baiazetes Hildrim appellatus ibid.
Baiazetes in Venetos 137. *quid ei euenerit* 138. *à Tamerlane captus* 69
Baiazetis pugnaturi cum Tamerlane ſententia 68. *miſeria* 72
Baiazetis II. ingenium optimum 136. *victoria* ibid.
Baiazetis humanitas in Regem Gallum 72
Baiazetis filij 74
Balduinus Gotthifredi frater 19
Baleonum primus Malateſta 156
Baleonum familia vnde ortum habuit ibid.
Baſilij Moſchi vxores 206
Barbaruſſa victor claſſium Chriſtianorum 216
Barnabas Vicecomes pugnax 75
Barnabas Vicecomes Martialis & crudelis, venator binas miriadas canum vicatim alibat 54. *proli numeroſæ vt prouidit* 55. *à nepote captus carceri traditur* ibid. *eius effigies* 56
Bartholomæus Coleonus in carcere 96
Bartholomæi Coleoni belli peritia & virtus ibid.
Bartholomæi Coleonis tempore ridenda prælia 98. *ædificia* 97. *ænea ſtatua* 98
Bartholomæus Linianus ab Vrſinis Romanis adoptatus 142
Bartholomæi Liniani genus 142
bella per externos in Italia geſta 75
Beatrix Tenda 59. *Philippi Vicecomitis vxor* ibid.
Bellulgian 233
Benedictus XI. Papa 35
Bentiuolorum domus deſtructa à fundamentis 171. *ſoboles* ibid.
Bernardus Bandinus 104. *Sicarius truncatur* ibid. *cum Antonio Volaterrano* ibid.
Bernardinus Curtius perfidus 129
Berthancor Gallus Fortunatarum inſularum repertor 130
Biraga familia 31
Bina antiquitùs Bibriacum 83
Blanca Philippi Vicecomitis filia ſpuria Franciſci Sfortiæ vxor 59
Blaſius Magares 114. *Bohemos ſuperat* ibid. *ab Heluetijs ſuperatur* ibid. *credulus & ſuſpicax* 155
Bona Ioan Goleacij Sfortiæ filia 178. *Regi Poloniæ nupta* ibid.
Boncontes Piſanus ab Vguccione interfectus 36
Bonifacius Vicecomes perfidè Franciſcum Sfortiam vulnerat 204
Bonifacius nobilis, ſed factioſus Princeps 33
Bonifacius Anagninus Anagninæ à Sarra capitur 34
Bonifacius Columnenſibus infenſus 34. *Guelphis fauet* ibid.
Bonifacius Malefacius appellatur 36
Bonifacius Cœleſtinũ Pontificatu abdicatum in carcere necat 33
Bonifacius rabie moritur 35
Bonifacij ambitio peruerſa 33. *aſtutia* 35
Boſius Douarienſis 31
Boſnam quis ceperit 72
Braccius & Sfortia amici & hoſtes 78
Braccius præſagio territus 80. *eius mors & ſepultura* ibid.
Braccij & Sfortiæ genus 78. *ingeniũ* ibid.
Braccij miles 96. *egregia in Gallos vindicta* ibid. *quibus militauerit* 97
Buccicaldus Gallus 58
Bugea vrbs 190
Bulchinus 14
Bulchini mors & res geſtæ ibid.

C

CAbrinus Fundulius 57
cædes millium aliquot 92
Cœleſtinus Papa Eremita in mõte Gargano 33. *inter Sanctos relatus* 35
Cœleſtini Papæ ſimplicitas 34. *ſanctitatis opinio* ibid.
Cæſar Borgia viroſo ſemine procreatus 130. *corpore validus* ibid. *Piſis legum ſtudioſus* 130. *Cardinalis* ibid. *fluxæ fidei, fratrem iugulat* ibid. *vxorem Gallam ducit* 131. *ſæuus in omnes* ibid. *veneficus ſeipſum & fratrem infecit* 68. *captus euadit* ibid. *quos necauerit* 188
Cæſar Petruccius Vexillifer Florentiæ 105
Cæſarina familia Romana 63. *eius inſignia & Romæ dignitas* 63. 64
Calatini defectio ad Gallos 129
Caliphas Rex Ægypti à Chriſtianis victus 19
Camelopardali deſcriptio 112. *vbi captus* ibid.
Camillus Triuultius 148
Camilli Vitellij mors 118
Campobaſſi Neapolitani perfidia 102
Campſo Gaurus Ægypti Sulthanus 144. *proditur* ibid. *ab equis teritur* 145
Campſonis Gauri genus 144. *& virtus* ibid.
Canis quid ſignificet, & vnde dicatur 42
Canes Cathaini 68
Canis Scaliger Veronæ dominus 41. *eius virtutes* ibid. *ſæpe bonam, ſemel aduerſam fortunam in bellis expertus* ibid. *Patauium cepit* ibid. *item Taruiſium* 42. *cur magnus dictus* 41
Canis & Actioloni cõtraria ingenia 42
Canis regia illuſtre hoſpitium domicilium ibid. *effigies* 43. *mors* 42
Canibales 225
Capena porta 61
carceres ab Actiolino ædificati 68
Cardinales duo Columnenſes 34
Carmagnola quis, & vnde 80. *eius militaris virtus* ibid. *fortuna* ibid. *mors capitali ſupplicio* 81
Carolus Magnus Florentiæ inſtaurator 15
Carolus Burgundiæ Dux 101. *ferox* ibid. *in Heluetios ducit* ibid. *tertiò vincitur, & occiditur* 102
Carolus Borbonius Regem Franciſcum capit 185. *Comeſtabilis creatus* 183. *Cæſaris ſororem ambit* ibid. *Lanoium ad ſingularẽ certamẽ prouocat* ibid. *Romã expugnat* ibid. *ictus moritur* 185
Caroli Borbonij leuitas & inconſtantia 183. *pater* ibid. *coniuratio* 184
Carolus Aurelianus Regis filius 218. *Cæſaris gener deſignatus* ibid.
Caroli Magni opera bellica 15. *effigies* *arca vbi* ibid.
Caroli Andegaueni ingenium 44. *crudelitas* ibid. & 45
Caroli IIX. virtus 117. *res geſtæ in Italia* ibid. *effigies* 116. *vita breuis* 117
Caroli Burgundiæ Ducis cadauer à quo cognitum 96. *eius ſepulchrum* ibid. *filia Maximiliano nupta* ibid.
Caroli V. Cæſaris laudes 240. 241
Catoccium quid 25
Caſſanu 68
Caſſonas ibid.
Caſtellinus Beccaria 59
Caſtiliona familia 31
Caſtrum nouum in Rizonico ſinu captum 216
Caſtruccius paruæ pilæ luſu excellens 38. *qua occaſione militiæ ſe addixit* ibid. *diſciplinæ militaris renouator* 37. 39. *fraude captus* 37. *è carcere eductus Princeps ſalutatur* ibid. *qua occaſione Princeps in patria fieret* 39. *Lucenſium, Lunenſium & Piſanorum Dux appellatus* ibid. *Gibellinus Lucæ reſtitutus* 36. *Gibellinæ factionis Princeps* 39. *Piſtorium occupat* ibid. *Romanorum æmulator* 39. *iterum triumphaturus, moritur* 40. *proditione Piſtorium amittit* ibid. *vi recuperat* 41
Caſtruccij patria & familia 38. *parentes* ibid. *militiæ felicia tyrocinia* ibid. & 39. *authoritas* ibid. *Galeatium carcere liberat* 41. *conſtantia* 40. *gloria* ibid. *inſignis vindicta* 38. *fœderati* 39. *fortuna* 38. *triumphus Lucæ habitus* 39. *effigies* 41
Catharina Medices Laurentij filia 123
Caythbeius natione Circaſſus 110. *Ægypti Sulthanus cõditione ſeruus* ibid. *Rex & Sulthanus* 111. *coniurationem diſijcit* 112

Celebinus

Celebinus 73. formoſiſſimus ibid.
Celebini fortuna ibid.
Cepinius Petilianus 144
Ciccus Aſcenſanus ab Inquiſitoribus combuſtus 45
Ciccus Simoneta 129
Circaſſiæ ſitus 110
Circaſſij ibid. Chriſtum Deum adorant ibid.
Citbraca emporium celebre 68
Clarix Vrſina Laurentij Medicis vxor 131
Claſſis Veneta & Cæſaris cum Turcica ad Preueſam 216
Cognomina quædam vnde deſumpta 41. 42
Cola Montanus Ludimagiſter 100. 101
Columna oppidum 34
Columnenſium oppida à Bonifacio deformata ibid.
Columbatium 74
Columbus à Liguribus venerandus 125
Columbi nauigatio ibid. ſecunda nauigatio ibid.
Comenſes in Sfortianos humani 129
Concilium Baſilienſe à Papa damnatum 65. Florentinum ibid. Piſanum 175
Concilij Baſilienſis exitus 65
Concilia Papis quid cenſeantur ibid.
coniuratio in Medices 105
coniurationis in Galeacium Sfortiam cauſa 100
coniuratio in Actiolinum 30
coniuratores in Galeacium Sfortiam 100
Conſaluus Ferdinandus cur Magnus appellatus 141. inter duos Reges
[illegible] ibid.
Conradus Landus perfidus 127
copiæ quæ Romam ceperunt 195
Corbana victus à Chriſtianis 19
Coſmus Medices Florentiam ædificijs & artibus decorauit 86. ſapiens habitus ibid. in carcerem ex inuidia ductus 87. arte & largitione liberatus in exiliũ mittitur ibid. Venetijs excipitur ibid. Floretiam reuocatus Pater patriæ appellatur ibid. aduerſarios in exilium agit ibid.
Coſmi Medicis diuitiæ & ſumptus 87. 88. vxor, progenies ibid. ætas, mors & ſepultura ibid. epitaphiũ ibid.
Coſmi Magni Ducis Florentini virtus & ingens laus 257
Chriſtianorum leuitas infida 66. perfidiæ pœna ibid.
Chriſtiernus Regis Daniæ vituperoſa vita 243
Chriſtophorus Columbus noui Orbis repertor 123
Chriſtophori Columbi patria ibid.
Chriſtophoro Columbo de expeditione contradicitur 124

D

Damaſci arx Tamerlano reſiſtit 69
Danthes Florentinus exul apud Scaligerum 43
Darienes inſula 125
Daualis Vaſtij aduerſus prælium 220. mors ibid.
Dauid Abyſſinorum Rex, ſiue Prætejannes 233
Dauid Conerus Cardinalis Scotus interfectus 214
Derbenthum 68
Diadarius 110
dies faſti & nefaſti à Numa conſtituti 3
dimicatio triduana ad Memphim 147
diſciplina grauis vbi corrupta 3
diſciplinæ militaris in Italia interitus 37
Donatus Lectius 20
Dryllus amnis 95
Dultibes Caitbbeij vxor 112

E

Elephas perdomitus in Italia 112
Elephantis deſcriptio 131. mors ibid.
Eliſabella Aragonia Mediolani Princeps 176. virilis animi ibid. impudica 178
Eliſabellæ Aragoniæ mors ibid.
Emanuelis Luſitani Regis munus Romam miſſum 155
Emiſſarium ex Ticino Martinus Turrianus fecit 33
Epigramma & effigies 32
Equites à Romulo inſtituti 1
equorum ſyluestrium figura, vires & venatio 166
equorum ſyluestrium nomina 167
Eraſmus Triuultius 147
Eugenij Papæ prudentia 65
Eurenſij 71
Exarcola quid 92
expeditio ſecunda in Syriam 20
exercitus Chriſtianorum in Syriam 18

F

Fabritius Peregrinus Parmenſis 8
Facinus Canis 57
factio Medicea à Soderino offenſa 175
Farganaccia Morio Florentinus 87
Farinata Vbertus 23
Farinata Guelphis metuendus 24. exul Senis ibid.
Farinatæ dotes 26. pietas in patriam ibid. humanitas in hoſtem ibid. ſapiens conſilium 25. cum Scipione Africano ſimilitudo 26. eius effigies 24
Ferrum fortunatum 72
Ferruccius ex Mercatore Dux exercitus 196. captus interficitur ibid.
Ferdinandus Aragonius crudelis 93
Ferdinandus Daualus Piſcarius inſignis Dux 39. eius vitam Iouius deſcripſit 169
Ferdinandus Corteſius Columbi Liguris æmulus 228. Meſſica Regnũ inuenit ibid. eius caſus & res præclarè geſtæ 228. 229
Ferdinandi Regis laudes 143
Ferdinandi Gonzegæ laudes & virtus 254
Ferdinandi Cordubæ pietas incomparabilis 188
Ferdinandi Albani Ducis laudes adhuc iuuenis impares vituperij iam ſenioris facti 250
Filippus Rex Galliæ à Pontifice execratus 34
Filippus Vicecomes captus Papiæ vt Princeps fiat 59
Filippi Vicecomitis inſignis liberalitas 60. eius effigies ibid.
Filippi Vicecomitis clementiæ gloria 89
Florẽtiæ reſtaurator Carolus Mag. 15
Florentini Carolum Roberti filium in Dominum poſtulant 45
Flumen os Draconis appellatum 125
fœdus Italiæ funeſtum 129
fœdus à Chriſtianis authore Pontifice cum Turcis fractum 66
Fortebraccius 83. Pontifici infenſus ibid.
Fortebracciorum familia ibid.
fortuna Alexandro Magno fauet [illegible]
fortuna in Mamaluchorum imperium euertendum 146
foſſæ nouæ Papirianæ olim 37
Franci inuictum hominum genus 14
Franciſcus Ruſca 57
Franciſcus Petrarcha in Capitolio laureatus 45
Franciſcus Filelphus Poëta 91
Franciſcus Saluiatus Archiepiſcopus Piſanus 103
Franciſcus Turrianus 17
Franciſcus Pactius 103
Franciſcus Gonzaga Venetorum imperator 152. capitur 153. magnificus ibid.
Franciſcus Galliæ Rex I. quibus dotibus ornatus 226
Franciſcus Sfortia primus nominis paterni hæres & virtutis 90. Filippi Vicecomitis gener ibid. imperij hæres ibid. clemens & moderatus ibid. ſuis & hoſtib. venerabilis 91. ſine literis literarum amantiſſimus ibid. arcem Mediolani ædificauit ibid.
Frãciſcus Sfortia II. ærumnoſus Princeps 203. vulnere appetitus ibid. bella tria confecit ibid. Regno à Cæſare reſtituitur 204. vxor datur, & moritur ibid.
Franciſcus Borbonius Anchianus 217. Dux priùs, quàm miles ibid. Cæſarianas copias profligat ibid. ad triumphum domum reuerſus caſu, aut conſultò occiditur ab Henrica 218. hunc populus luxit ibid.
Franciſcus Maria Feltrius Dux Vrbinas 210. vir militaris ibid. Alia

dofium Cardinalem occidit, Gallorum ſe pendia ſecutus, principatum recuperat 211. et milites fauent ibid. à Venetis copijs præficitur 218
Franciſci Gonzagæ ingenium 153. et quorum ſtudium, liberi ibid.
Franciſci Sfortiæ Iſabellæ filij caſus 177
Franciſci Alidoſij Cardinalis vita improba 134. mors turpiſsima 136. occiditur à Feltrio ibid.
Fridericus I. vnde Oenobarbus dictus 21
Fridericus Cæſar I. quibus copijs in Syriam traiecerit 22
Fridericus Feltrius 108. Franc. Sfortiæ diſcipulus ibid.
Friderici nominis etymologia 21
Friderici I animi magnitudo 22
Friderici in Italiam & Romam aduentus ibid. bella & res geſtæ eius in Italia ibid. cum Pontificibus ſimultas ibid. mors 23. ſtatuæ & effigies ibid.
Friderici Feltrij laus militaris 108. 109. ædificia 109

G

Gabinianum captum Aurantij Ferrucij morte celebre 196
Galeacius I. bello & vitæ ſplendore inſignis 48. inuidia in carcerem ductus ibid. emiſſus ibid. exul moritur ibid.
Galeacius II. Vicecomes forma præſtans 53. ædificijs magnificus ibid. in luiæ paritus 53. Ticini arcem ædificauit, & Ticino pontem impoſuit ibid. Gymnaſium inſtituit, & Bibliothecam nobilem ibid. Pareos muris circumdedit ibid. eius effigies ibid.
Galeatius Sfortia fortunatus & miſer 98. miles in Gallia ibid. regalem faſtum ſeruauit ibid. quibus delectaretur 100
Galeatius Sanſeuerinus literis deceptus 129
Galeatij I. effigies 48
Galeatij Sfortiæ magnificentia 99. ſolertia 100
Galeatio Sfortiæ illuſit Coleo 97. dona à Sultbano miſſa 112
Galeottus Firmanus ſtrangulatus 121
Galli ad Neapolim peſte abſumuntur 195
Gallorum in Regno Neapolitano fortuna 117
Gorzias Toletanus 190
Gaſtonis Foſſij virtus 138. & victoriæ ferè incredibiles ibid. Rhauennæ victor occiditur ibid.
Gattamelata Venetorum imperator 82. Braccianæ factionis ibid.
Gattamelatæ cognomen ibid. mors 83. ſtatua poſita ibid.
Gemes Turca Baiazetis frater captus 137
Gemis Turcæ prudens de ludis equeſtribus ſententia 218
Genebra Ioan. Bentiuoli vxor 171. imperij auida ibid.
Gentilis Bellinus Pictor 108
Genuenſes à Vicecomitibus rebellant 60
Georgius Poggiebraccius Rex Bohemiæ 114
Georgius Fraiſpergius Dux præſtantiſsimus truculentus 185. Carolo V. fidelem operam præſtitit ibid. paralyſi perculſus 186
Georgij Fraiſpergij prælia fortiter depugnata 185. odium in Pontificem & dira vox ibid. liberi 186
Georgij Caſtriothæ virtus & felicitas 95. diſciplina militaris ibid. delectus, memoria & pietas 96. effigies ibid.
Gherardus Campoſampetrius 28
Gherardus Lupidius Lucenſium Capitaneus 36
Græcorum & Latinorum concordia 66
Gebellini Proceres 40
Gibellinorum & Guelphorum funeſta nomina quando incœpta 24. funeſta victoria 36
Gibellinorum & Guelphorum exaſperati animi 39
Gibellinorum fœderati ibid.
Girapolis 190
Gotifredus Bolioneus cuius familiæ 87. Chriſti militem profeſſus. ibid. expeditionis Hieroſolymitanæ Capitaneus ibid. Rex appellatus 89
Gotifredi effigies ibid.
Grittus obſeſſus capitur 197. capite truncatur ibid.
Guelphi & Gibellini ad Montecatinū 36
Guelphi caſi ibid.
Guelphi victi ad Altopaſſum 39. Luca pelluntur 36. ad internecionem delentur 25
Guelphorum exercitus 40. fœderati 39. familiæ Florentiæ 24
Guido Guerra 132
Guido Luſignatus Hieroſolymitanus 24
Guido Nouellus 26

H

Hariadenus Barbaruſſa 70. pirata 224. Tuneti Rex ibid. à Carolo Cæſare expulſus ibid. Baſſa creatus in Galliā claſsis præfectus 225. 226
Hebræos cultum à Perſis accepiſſe 3
Henricus Caſtruccij filius 41
Henrici VIII. Regis Angliæ dotes 222. vitia & victoriæ ibid. vxores & libido ibid.
Henrici II. Regis Galliæ laudes & ad virtutem adhortatio 242
Hermes Bentiuolus 172
Heros virtutis & fortunæ 90
Hieronymus Riarius 103
Hildides Atthilæ vxor 11
Hippolyti Medicis Cardinalis pictura 201. ingenium ad omnium virtutem ibid. Poëta Etruſcus, Phonaſcus, Organiſta, Citharœdus, Lyriſtes, Fiſtulator, Tibicen, Tympaniſta ibid.
Hippolyti Medicis ſtudia & magnificentia 202. dominandi libido. ibid. familia, fortuna, mors ibid.
Hiſpani venales 209
Hiſmael Sophus Vſſuncaſſani nepos 165. equitandi & ſagittandi peritus ibid.
Hiſmael cur in conſtanti ætate moratus 166. res geſtæ 165
Horatius Baleonus ſæuus & factioſus 158
Hordæ 68
Horuccius Pirata Rex ex infima ſorte 223. interficitur ibid.
Hyelon 132

I

Iacobus Vicanus 61
Iacobus Picininus Fr. Sfortiæ gener necatur 84. 91
Iacobus Triuultius in pugna Tarrenſi 147. Gallis operam nauat ibid. Mareſcalcus creatus 148. in pugna ſemel tantùm ſuperatus ibid. lucrarum appetentiſsimus ibid. Muſocbij & Viglebani dominus ibid. in Gallia moritur, & Mediolani tumulatur 149. Guelphæ factionis 143
Iacobus Poggius Poggij docti filius 104
Iacobus Pactius 103. Cacodæmoni ſe deuouet 103
Iacobus Scotiæ Rex occiditur 141
Iacobi Triuultij parum liberalis facies 147. patria & pater ibid.
Iacobi quinque Scoti Reges 213. quatuor interfecti ibid.
Ianus Doccius Sicarius 199. dilaniatur ibid.
Iani Templum à Numa conditum 3
Ianizerorum nomen 92. inſtitutio ibid. eorum numerus ibid.
Iaxartes amnis 131
illuſtres viri in triumphum ducti à Caſtruccio 39
imaginis Artoxerxis certitudo 3
Imauus mons 68
Imperatores Orbis duo maximi ibid. vbi pugnârunt ibid.
Imperatores exercitus qui Venetis placeant 82
Imperij legitima iura vbi petenda 1
Inſula Guadalupea 125
Inſula Hiſpaniola ibid.
Inſula Cuba ibid.
Inſula Fortunatæ à quo reperta 124
Iſabella Gonzaga 8
inuidia virtutis inſidiatrix 9
inuidiâ Coſmus Medices in carcerem ducitur 87

Ioanna

Ioanna Regina Neapolitana impudica 88. Alfonſum filium adoptatum hoſtem declarat ibid.
Ioannes Vicecomes Archiepiſcopus Florentinis cur bellum mouit 52. pontem luculentiſſimum ad Leucum ædificauit, Cardinalitiam dignitatem cur renuit 53. eius effigies vbi monetur ibid.
Ioannes Galeatius Vicecomes omnium Principum opulentiſſimus, quàm latè Regnum eius patuerit 57. eius mors & effigies ibid. & Regni in tyrannos diſtractio 58. grauiſſimus Princeps 77
Ioannes Acutus Anglus 74. Vicecomitum miles & gener 75
Ioannes Coſmi Medicis pater 86
Ioannes Galeatius Sfortia veneno ſublatus 176
Ioannes Maria Vicecomes ſæuus 57. abominandus ibid. occiditur in Templo 586. eius effigies ibid.
Ioannes Bentiuolus tyrannus 170
Ioannes Medices Leo X. Pontifex creatus 123
Ioannes Medices armipotens, facundus 181. eius genus 190. educatio ibid. militaris laudis cupidus ibid. opera militaria 182. interficitur 183
Ioannes Hunniades clariſſimus in armis 113. natione Dacus ibid.
Ioannes Zapolius 198
Ioannes Vineatus 57
Ioannes Vitellius 117
Ioannes Vitellius Cornetanus 62. expediti ingenij & gloriæ auidus. ibid. Pontificis gratiam cur amiſit 62
Ioan. Vitellij Cornetani ambitio ibid. capitur fraude ibid. & 63. bonores 61. crudelitas 62. ſcomma in Regem Neapolitanam ibid.
Ioan. Acuti præſtantia in bellis 75. militares eius diſcipuli ibid. ſepultura eius 77
Ioan. Hunniadis filij 113
Ioan. Tarnouij Poloni laudes & virtus 255
Ionij libellus de Origine Turcarum 72
Italia quandiu externis Dominis ſeruierit 37
Italiæ totius ſtatus 122
Iulius Pontifex cur Soderino infenſus 176. Dictatura excludit ibid.
Iulianus Cæſarinus Iuriſconſultus & Cardinalis 64. 65. Legatus in cauſſa Huſſitarum 65
Iulianus Cæſarinus Legatus in Concilio Baſilienſi ibid.
Iulianus Medices Clementis Pontificis pater 96. quibus moribus præditus ibid.
Iuliani Cæſarini Epiſtolæ ad Pontificem 65. mors 66. effigies 67

L

Ladislaus Rex veneno ſublatus 113
Ladislaus Huniades ibid.
Ladislai pax cum Turcis facta 66
Laurentius Medices ſe defendit à coniuratis 105
Laurentius Dux Vrbini 123
Laurentius Principis percuſſor 209
Laurētio Medici dona à Sultbani miſſa 87
Lazarus Seruiæ Deſpota 71. expellitur 92
Leges dare verè Romanum 1
Lemures nocturni vbi adorentur 125
Lentigeſia Muleaſſis mater 235
Leo Pontifex Attilæ ferocitatem mitigat, & cur 11
Leuthares 14
Leuthari mors & res geſtæ ibid.
Ligninius Gallorum Dux 129
Ligures in Thraciam primi Turcas traijciunt 71
Ligurum & Venetorum laus 19
Linternum Scipionis exilio & ſepultura nobile oppidum 9. cur Patria appelletur hodie ibid.
Literæ Græcæ & Latinæ Florentiæ quando floruerunt 122
Liuianus in agro Piſano fuſus 143. ad Abduam ibid. Venetorum Dux ibid. captus in carcere commētaria ſcribit carbone ibid. ad Mediolanum victor ibid. moritur 144
Lionettus Clarentiæ Regulus 74. eius mors 76
Lotharingiæ domus nobilitas 214
Lothrechius contra Aurantium miſſus 195
Lothrechij fratres Duces bellatores 187. cadauer & ſepultura 188
Lucenſes diſcordes 35. in Piſanos ibid. Piſanos imitati Vguccionem excludunt 37
Luchinus Vicecomes pugnax 51. bella per Legatos gerit ibid. in prælio vulneratus ibid. Pater patriæ appellatus ibid. nepotes coniuratos exilio mulctat ibid. Parmam coemptam imperio adiecit 78. podagra vitam finiuit. ibid.
Ludouicus Sanctus Rex Galliæ 45
Ludouicus Bauarus Cæſar rapax & efferus in Italiam vocatus 39. Mediolani coronatus ibid. & 42. auarus & ingratus 48
Ludouicus Sfortia diſſimulator, facundus, facilis 128. prudentiā clarus habitus 129. Dux declaratus. ibid. Heluetio habitu capitur 130. in Galliam ductus carceri deditur ibid.
Ludouicus Pannoniæ Rex 178. eius genus & natiuitas ibid. vxor ibid. ſterilitas ibid. expeditio in Turcas & mors 179. ſepultura 180
Ludouicus Aurelianus in carcere 116. Sfortiæ infenſiſſimus ibid. Ludouico Sfortiæ hoſtis 129
Ludouici Galliæ Regis XII. ingenium 139. iuſtus & parcus 140. inexorabilis & ſæuior ibid. in miſeros immiſericors ibid. Pontifici infenſus ibid. eius victoria ibid. vxorem duxit Anglam, moritur 141.
Ludouici Sfortiæ ingenium 128. animi fortitudo 130. impiū conſilium 129. fuga ibid.
Ludouico Sfortia Moro cognomen 128
Ludouica Franciſci Regis mater 184

M

Mahometes Caitbbeij filius Rex Ægypti 112
Mahometes Gyræus 205
Mahometes Alexādro Magno par 106. cuius filius ibid. Atheos 107. Naualia primus inſtituit ibid.
Mahometis mago 108
Malateſta Baleonus dominatum Perusiæ recuperat 158. Venetorum & Florentinorum Dux ibid.
Malpaga 98
Maluctij Bentiuolis infenſi, perduntur 171
Mamaluchi Turcas adorti 118
Manfredus Neapolitanus Rox Gibellinus 25
Marcus Craiouicius 78
Marcus Vicecomes familiæ dedecus 52
Marci Antonij Columnæ animi & corporis pulchritudo 160. educatio & militiæ tyrocinium ibid. infortunium 161. Proſperi Columnæ ex fratre nepos. ibid.
Mareſcoti à Bentiuolis iugulati 171
Marinus Scodrenſis Hiſtoricus 94
Martiani Cæſaris viſum 11
Martinus Turrianus 30. cognomine Gigas 31. nobilitatem ſubegit ibid. Pater patriæ & Dictator ibid.
Martini Turriani ſtudia ibid. & artes 32. effigies ibid.
Maſſa Trebaria 35
Maſtinus Scaliger, Canis filius 42
Matthias Coruinus Regum decus 113
Matthiæ Coruini genium 114. ſtudia & effigies ibid. fortuna 113. electio ad Regnum 114. bella geſta ibid.
Poggiebraccij filia Matthiæ Coruino deſponſa 114
Matthæus Magnus Vicecomes 25. conſilio & prudentia valuit ibid. patria eiectus, reſtitutus ibid. execratus à Pontifice ſepulchro caruit 34. eius effigies ibid.
Matthæus Langus Sedunus Cardinalis 162
Matthæus Langus literis operam d. 6 ibid. Epiſcopus & Cardinalis 16:: miles ſtrenuus Gallo infenſus ibid. Papæ fautor ibid.
Maximilianus I. vir militaris 155. pecuniæ contemptor ibid. ſemper indigus ibid. Burgundicum Regnum in dotem accepit ibid. Bru:

gæ tum vxore captus ibid.
Maximilianus Sfortia Regno reſtituitus 192. inſano ſimilis ibid. fratrem cur oderat 193. ab inſania conualuit ibid. victoria potitur 127. deditionem facit ibid. moratur in Gallia ibid.
Maximiliani I. pater 154
Medices inter ſe diſcordes 122
Mediolanum aratro proſciſſum à Friderico I. 22
Mediolani tres Archipræſules 31
Mediolani arx à quo ædificata 91
Memphitici imperij fines 111
Meſithes Paleologus 108. Rhodum infeliciter tentat ibid.
Michalogli 71
Michael Zilagus 114
Mæcines inſula 190
Mons Granus 129
Mons Politianus Florentinis à Senenſibus datus 175
Moſcouia ſcriptoribus Romanis ignota 204. eam quis aperuerit ibid.
Moſcouiæ fines 205
Moſca vrbs ibid.
Moſchi venundati ibid.
Moſcheuitarum religio 204
Muleamethis Scyriffi origo & res geſtæ 251. 252
Muleaſſes Regno expulſus 235. reſtituitur ibid. in Germania ad Cæſarem 236. oculis à filio priuatus ibid. Philoſophus eruditus ibid.
Muleaſſis Amida filius 236
Muleaſſis Tunetani Regis origo & ingenium 235. mors 236
Muſattus Franceſius Florentinus 34

N

NApus Turrianus 32
Narſes inuictus inuidiâ conficitur 14. Longobardos in Italiam accerſiuit ibid.
Narſetis eloquentia militaris 15. ad Sophiam heram ſuam reſponſio 14
Narſetis pons 15. effigies ibid. laus ibid. victoriæ ibid.
Nautarum in Columbum ſeditio 125
Neapolis obſeſſa à Lotrechio 195
Nerius Vguccionis filius Lucæ Princeps 37
Nicolaus Petilianus Vrſinus 14. cuſtodia elabitur ibid. Venetorum imperator 132. ſolers & fidus 134
Nicolaus Piccininus Lucam à Florentinis defendit 84
Nicolaus Tegrimius Caſtruccij vitam deſcripſit 41
Nicolai Piccinini illuſtris fama 83. ingenium ibid. intemperans ibid. temerarius ibid. mors 85
Nicolai Machiauelli petulantia in commentitia Caſtruccij vita 41
Nogaretus Gallus vir impiger 34. Pontifici inſultat 35. exilio mulctatur ibid.
Nola deditur 132
Numa quibus rebus inclitus 3. Romanis religionem innexit ibid. ſacerdotia Dijs & flamines conſtituit ibid.
Numæ Pompilij prudentia 3. Regnũ ibid. marmorea effigies in Vrbe ibid.
Nuptiæ celebres Mediolani 74

O

OBegninus Gallorum Dux 129
Octouirûm Florentiæ ſuprema poteſtas 174
Odettus Fuſius Lotrechius 187. ſuperbi vigoris ibid. ſæuus ibid. ſui capitis 188. inconſultus ibid.
Olgiati facinus 101
Oranum 190
Orcanes Othomannus 71. inuictus 47
Otho Vicecomes animi patientiæ verũ ſimulacrum 70. primus Mediolani Princeps 47. Turrianas ædes ſolo æquauit 32. Archiepiſcopus Mediolanenſis 31
Otho Bontertius 57
Othonis Vicecomitis figura 47
Othomannicæ potentiæ primordia 71
Othomannorum origo 70
Orſa flumen 204
Othomannicum imperium quando inceperit 71
Othomanzicum oppidum ibid.
Othomannici imperij progreſſus ibid.

P

PAcciij Medicibus infenſi 103
Pactiana coniuratio in Medices 204
Paganus Turrianus 31
Pandulphus Petruccius Senenſis mitis ordinis Nouarij ibid. Rempublicam prudenter adminiſtrauit ibid. ſocerum ferra ſuſtulit ibid. exilium ſponte ſubit conſeruandæ patriæ ergò 173. Triumuiri Senis creati Petruccij aſtu ibid. filium ſibi ſucceſſorem deſtinat 174
Pandulphus Malateſta 57
Papiſtarum de ſummo Pontifice opinio 33
Paria inſula 125
Paulus Malateſtæ pronepos & pater 156. à Leone X. obtruncatur iniuſtè 156. eius laus in re militari ibid.
Paulus Sorecina 31
Pauli Vitellij ingenium, res geſtæ, mors 96
Pauli Iouij ibid.
Paxa inſula 216
Perſæ Alexandrum aſſentatione perdunt 5
Perſarum Reges 3. eorum ornatus ibid. regia 68. aurea & argentea moneta ſigno Sagittarij inſignita 3
Petrus Soderinus Florentiæ Dictator creatus 174. Curiam cum familia habitat ibid.
Petrus Medices cur in exilium actus 123. paternæ virtutis deſertor ibid.
Petrus Corbarius Pſeudopontifex 41
Petrus Vbertus cognomento Aſinus 26
Petrus Aluares rerum Abyſſinarum explicator 233
Petrus Nauarrus artifex, & arcium expugnator 190. miles gregalis ibid. Comes appellatur 191. captus Gallo operam locat 190
Petri Medicis ingenium 121. vxor 122. conatus irriti 123. mors ibid.
Petri Nauarri miſera mors 191
Philomela vrbs capta à Friderico 23
Philibertus Aurantius belli cupidus 194. Borbonio adhæſit 195
Philibertus Aurantius ſtrenuus bellator 195. exercitus imperator ibid. glande vulneratus ibid.
Philippus Sanguinettus Gallus 40
Pij II. Pontificis conatus 94
pilæ ludus 99
Piratæ noui Orbis 125
Piſani in Vguccionem tyrannum 37
Piſcis Galeatij Vicecomitis morte nobilis 48
Piſtorium à Caſtruccio obſeſſum 40
Pompeij Columnæ Cardinalis ingenium 196
Pompeij vita à Iouio deſcripta ibid.
Pontifex captus 195
Portæ ferreæ 68
Prætorium Florentinum vnde ædificatum 25
Præueſa olim Nicopolis 216
Principes quæ res pleroſque perdat 96
Promontorium viride 124. bonæ ſpei ibid. & 149
Proſper Columna pater Italorum 164. mitis & humanus ibid. captus à Gallis ibid.
Proſperi Columnæ habitus corporis ibid. mors 165
Pruſia vrbs Bitiniæ caput 71
pugna Sigiſmundi cum Celebino 74. Tartarum & Chriſtianorum ad Nicapolim 72. inter Guelphos & Gibellinos 25
pugna funeſta ad Arbiam 26
Puſterla familia Mediolani 31
Pyrrhus Rex tegula à muliere deiecta occiditur 6
Pyrrhus Stipicianus à Cæſare donatus meriti ergò 237. eius cum Vaſtio contentio apud Cæſarem 238. ex Baleonea familia 237. obſidione clarus ibid.
Pyrrhi in re militari præcellentia 6. marmorea ſtatua Romæ 7

R

RAimundus Cardonius 39
Raphael Riarius 204
Regna elargiri Romanum eſt 1

Regali

Reguli Itali, qui ſacro bello nomen dederunt 17. 18
Rha flumen 68
Rhinoceros, & eius figura 150
Rhinocerotis & Elephantis inimicitia ibid. & 151
Ripeus 10
Robertus Rex Cæſarem à Roma expulit 45. vulneratus in prælio 45. Gennam defendit ibid.
Roberti Regis pater 44
Roberti Neapolitani Regis ingenium ibid. virtutes ibid. opera 45. bella ibid. authoritas in Italia ibid. literæ 45. mors & ſepulchrum & effigies ibid.
Rodulphus Pius Cardinalis eruditus 3
Rodericus Borgia, poſtea Alexāder VI. 138
Romulus Marte genitus 1. author militaris diſciplinæ ibid. quandiu regnauit 2. ſe Romanis Deum fuiſſe vt oſtenderit 1. vbi deceſſerit 3. turbine aſſumptus in cælum 1
Romuli opera ibid. auguſta imago ibid. marmorea ſtatua in Vrbe ibid.
Roma omnium gentium libera patria ibid.
Romæ captæ vindicta 196
Romanus popul. religione mitigatus 3
Romanum eſt, Regna dare 1. & Regna elargiri ibid.
Romani tributum Attilæ pollicentur 11
Romani Pontifices cultum ab Hebræis accepiſſe 3
Romanorum in hoſtem Annibalem nobile decretum 8
Romanum oppidum in Euganeis 28
S
SAcramorus Vicecomes 60
Sacrum bellum 17. 18
Saladinus Rex Ægypti 19. eius virtutes ibid. prudentia ibid.
Saladini mors & teſtamentum 20. fides & rectitudo ibid. effigies vbi inueniatur ibid.
Saleccus Archipirata 216
Samarcanda vrbs 67
Sanctius Benticolus vir probus 171
Sarra Columna in ſyluis vagatur profugus 34. à prædonibus captus, nō agnitus Maſsiliam ducitur ibid. redimitur ibid. exul 35
Sarræ Columnæ generoſus animus 33. effigies vbi 29
Sauonarolæ damnato fauentes, Mediceis infenſi 174
Scaligerorum origo 41. domus, manſiones 42. illuſtre hoſpitium inſignium virorum 37. hoſpites 42
Scanderbechus cur appellatus 94. eius educatio & virtus ibid. eius facinus ſingulare ibid.
Scanderbechus Neapolitano Regi opem tulit ibid.
Scanderbechi virtus 93. mortui opinio apud Turcas 96
Schenderbaſſa 138
ſeculorum malignitas 91
Selymus ſæuus 159. ingens ibid. Hiſmaëlem Sophi vicit, Sulthanos delevit ibid. Tomumbeium ſuſpendit 160. crudelis moritur ibid.
Senatus Romanus à Romulo lectus & inſtitutus 1
Seruorum in Mamaluchos coniuratio 112
Sfortia Griſonibus & Heluetijs ſe committit 130
Sfortiæ & Braccij genus 78. ingenium ibid.
Sfortiæ & Braccij congreſſus amicus 79
Sfortiæ mors 80
Sfortiarum & Tamerlanis comparatio 69
Sciabania 68
Scipio diuinæ ſtirpis à populo creditus 8
Scipio inuidiæ domitor ibid. ciuis optimus 9
Scipionis maioris virtus 8. mors 50. epitaphium ibid.
Scipionem Piratæ colunt 9
Scytharum nobiles familiæ quatuor 21
Simon Toſa Florentinus 41
Simon Horrigonus Inſuber 129
Sinas Archipirata 216. cognomento Iudæus, naualis rei peritiſſimus 226. claſſem in Rubro mari ædificat ibid. Smirnæ natus ibid.
Sigiſmundus Bohemiæ & Hungariæ Rex 72. Cæſar Auguſtus 74. fugā ſibi ſecundò conſulit ibid.
Sigiſmundi Poloniæ Regis felicitas 232. victoriæ ibid. fides ſeruator ibid. ſtirps ibid. filij ibid.
Soderinus Dictator quibus fauerit 175. à quibus maximè oppugnatus ibid. Gallis fauet 176
Soderinus quibus rebus offendit patritios 174. in exilium Raguſium miſſus 176. Romæ gratus hoſpes ibid.
Soderinus Cardinalis ibid.
Soderini exequiæ 177
Solymanus Turcarum Satrapes 19
Solymanis Othomanni virtus & felicitas 245. 246. bella 246
Sophiæ Auguſtæ imprudentia & liuor 14
Sophi cū Solymano bellum 247. ſtirps 248
Spineta Malaſpina 37
Spingardæ 97
Stagia oppidum 34
Stella mons 68
Stellata oppidum 210
Stephanus Maylatus 199
Stephanus Columna à Petrarcha celebratus 34
Stuardæ familiæ nobilitas in Scotia 213
Sulthania 68
Sulthani Prætonianorum capitis tegumentum 8
ſupplicium coniuratorum Florentiæ ſumptum 105
T
TAcius Regulus 30
Taliſmannus Sacerdos Turcarum 21
Tammas Sophus Perſarum Rex 247
Tamerlanes ſe iram Dei vindicantis eſſe aſſerebat 69. terror & clades Orientis 67. cur ab Ægypto inuadendo abſtinuerit 69
Tamerlanis genus 67. figura & virtus ibid. pugnandi mos 68. expeditio ibid. de prælio indicium ibid. immanitas in Baiazetem ibid. de immanitate eius prudens reſponſum ibid. exercitus ibid. mors Cometa luridum præcedit 69
Tarlati Aretij Principes 38
Tartalia capitis ſupplicio affectus 60
Tartarorum victus 69. mos ſagittandi 68
Taurifium Sophi regia capta 247
Temir Cutblus 67
Thomas Hauardus Norfoltius Dux carceri poſt rē geſtam addictus 249
Tigridis deſcriptio 112
Tiſſaphernes Sagittarijs Perſicis corruptus 3
Tomumbeius vltimus Sulthanus 146. captus ſuſpenditur 147
Tornielli 57
Totilas Taruiſij Rex appellatus 12. Regum optimam famam æquauit ibid. Romam cepit 13. moderatè victoria vſus ibid. à Narſete victus & occiſus ibid.
Totilæ eximia forma 12. prima victoria 13. clementia in victorijs ibid. iuſtitia 13
Transfugæ Selymo victoriam parant 147
Tranſyluania hodie, olim Dacia 199
Tribubus diuiſa Romana ciuitas 1
Triballi ſerui facinus 71
Triſtanus Acunius 149. Elephantum Romam duxit ibid. munera quæ Pontifici dedit ibid. quas adierit noui Orbis prouincias 149
Triſtani Acunij nauigationes ibid.
Triuultius Sfortianis inimicus 129
Triuultius Sfortianis aduerſarius 147. eius vxor ibid.
Turacambi 71
Turcæ in Thraciam 71
Turcarum in Europam primus traiectus ibid. in Tartaros ſtrages 68
Turcarum Imperatorum imagines vt

ad Ionium peruenerint 70
Turriana familia Belgica 30
Turrianæ familiæ origo ibid.
Turriani Guelphi 26
Turrianorum gentilitia ſigna 31
Tyrannus 172. aſtutus & ſolers 173
Tyranni tres 170
Tyronum equitum inſtitutio 109
Tyrius antiſtes belli ſacri ſcriptor incorruptus 18

V

VAllis Saxina 30
Vallis Saxinæ argẽtifodinæ. ibid.
Vbertus Pallauicinus 57
Venatio ſylueſtrium equorũ mortalis, & cur 165
Venetiæ Italiæ decus 11
Venetæ vrbis primordia ibid.
Venetorum & Ligurum laus 19. bella in continenti 83
Veſtæ Deæ Virgines à Numa inſtitutæ 3. annum duodecim menſium ab eodem ibid.
Vgo Bauarus 45
Vgo Moncata Eques Rhodius 189. Siciliæ præfectus ibid. captus à Gallis ibid. dolosus 142
Vgonis Moncatæ genus 188. fortuna & militia ibid.
Vguccio Piſanorum imperator 35. dominus creatur ibid. in tyrannum euadit 36. Lucenſes aggreditur ibid. Lucæ Princeps effectus ibid. victoria potitur ad Montecatinum ibid. Caſtruccium tollere ſtatuit 37. cibi vorax & capaciſsimus ibid. profugus ad Canem Scaligerũ. ibid. dominatum vno prandio amiſit ibid.
Vguccionis Fagiolani patria & familia 35. Gibellinus ibid. pugnax ibid. prandium 37. voracitas & in eam ſcomma ibid.
Vguccionis forte factum 36. effigies 37. mors ibid.
Vlrici Cilienſis mors 113
Vicecomites Gibellini 46
Vicecomitum familiæ fundamenta 31
Victorius Sollerinus auarus 176
Victoria nobilis Caſtruccij 39
Victoria Gibellinorum memorabilis 36. 37
Victoria Caroli IIX. ſtupenda 117
Victorias primo impetu ſæpe parari 110
Vincentius Capellius Venetæ claßis præfectus 215
Virginius Vrſinus 123. Anguillariæ comes 70. captus 142
Virtutis vis apud Rom. æſtimata 8
Vitelliorum fratrum diſciplina militaris 117
Vitellocius Vitellius ſtrangulatus 121
Vitelloci Vitellij phalangis peditum in Italia inuentor ibid.
Vitiges Gothorum Rex captus 12
Volga flumen 62
Vrbes in Euganeis ab Atthila euaſtatæ 11
Vrſini à Columnijs ſuperati 142
Vſuncaſſanes à Turca ſuperatus 108

Z

Zagattij 62
Zemini qui 125

FINIS.